Regesta documentorum regni Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae ...

Croatia (Kingdom)

REGESTA

DOCUMENTORUM REGNI CROATIAE, DALMATIAE ET SLAVONIAE

SAECULI XIII.

COLLEGIT ET DIGESSIT

I. KUKULJEVIĆ DE SACCIS.

(Opus posthumum.)

ZAGRABIAE.
TYPIS OFFICINAE SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE.
1896.



(Preštampano iz „Starina“ jugoslavenske akademije znanosti i umjetnosti XXI., XXII., XXIII, XXIV., XXVI., XXVII. i XXVIII.)

I. **Cathari,** *3. Januarii 1200.* Lupinus Lupanae, Maurus Jacobi Leocae, Ursacius Simeonis, Euticius Michapag, Paschalis Dragus, Rille Dobrazza, Nicolaus Graban cum populo civitatis Cathari et domino . . . . archidiacono Micha cum suo capitulo ibi existentes, recolentes, quod cum sub tempore comitis Benesae, veniente legato a curia romana Gualterio, totus populus civitatis reclamaret coram eo de superfluitate laboris, quem sine misericordia exigebat (idem comes) a suis debitoribus. Decretum igitur fuit, ut pro decem annis de labore non possit plus quaerere exactor nisi duplicatos solidos ad rationem de quinque ad sex, quoniam in antiquo tempore idem fuit usus civitatis. Hoc igitur decretum communitas Cathari confirmavit. Actum sub tempore domini regis Velcani, et comitatum regente Desimiro.

Farlati: Illyricum sacrum. T. VI. p. 435.

II. **Romae. Laterani,** *4. Januarii 1200.* Innocentius III. papa scribit fidelibus christi in Ragusana provincia constitutis, quia maior instat necessitas quam unquam, ut terrae sanctae celeriter succuratur, et de succursu speratur maior quam unquam provenerat utilitas proventura; recepit enim litteras ab Antiocheno et Jerosolomitano patriarchis, archiepiscopis item et episcopis utriusque provintiae, sicut et a carissimis filiis suis A. Jerosolimi et L. Armenici regibus, similiter et a magistris Jerosolomitarum hospitalium et militiae templi, quibus ei exposuerunt necessitates et miserias Terrae sanctae, asserentes inter alia, quod cum hactenus dominus per discordiam Saracenorum, qui se ipsos impugnant, orientali provinciae pepercisset et iam nunc inter eos de pace tractetur, si prius quam redeant ad concordiam congruum subsidium mitteretur, sperent pro certo quod facile posset hoc tempore orientalis provincia liberari. Si autem prius redierint ad concordiam quam subsidium devenerit, timent quod residuum terrae Saraceni de facili valeant obtinere, cum peregrinis ad propria iam reversis terra remanserit et viris et viribus destituta. Monet igitur eos papa, ut crucem et arma aripiant et ad succursum Terrae sanctae veniant, communicat in fine quod decimam partem proventuum et redituum suorum ad subsidium Terrae sanctae duxerit deputandam.

Ex transumpto bullarum et instrumentorum archivi publici de Ragusa MSC. pag. 426. In mea collectione. Farlati ibid. p. 87. Idem scribit archiepiscopo ragusino et suffraganeis. Ibid. p. 84. Monum. hist. Diplom. XI, 205.

III. **Romae. Laterani,** *25. Januarii 1200.* Innocentius III. papa confirmat magistro et fratribus militiae templi in Slavonia constitutis confinium compositionem cum monasterio SS. Cosmae et Damiani anno 1194. initam.

Theiner: Monumenta Slavorum meridionalium. I. p. 11.

IV. **Romae Laterani,** *2. martii 1200.* Innocentius papa recomendat capitulo et suffraganeis ecclessiae Spalatensis suum in Hungariam missum legatum G(regorium) sanctae Mariae in Aquiro diaconum cardinalem, virum literatum et de nobilioribus Romanis oriundum, quem praecipit honorifice tractari et ipsius monita firmiter teneri ac servari.

Carrara: Archivio capitulare di Spalato, p. 8.

V. **Spalati,** *13 Julii 1200.* Bernardus archiepiscopus Spalatensis notificat Chazae abbatissae S. Benedicti, quod intellecto plenius instrumento Grubessae b. m. comitis, ex consensu majoris partis nobilium Spalatensium confecto, de his quae fuerant in controversia actitata inter abbatissam s. Benedicti et Vulcinam filium Biti Nasitorti super territorio quod est in Dilato super Viperam, quod vocitatur Lugoperscina et est in curia spalatensi constitutum, quod territorium datum fuit jure haereditario ecclessiae s. Benedicti et traditum ei in perpetuum a rege Suinimiro, sicut per publicum instrumentum eius apparet. Constituto in praesencia sua advocato abbatissae Borislavo filio Nicolai comitis Cacicli et Vulcina adversario sine aliquo advocato, controversia hoc modo decisa est, quod Vulcinae judiciali sententia silentium impositum et ei prohibitum monasterium in posterum ullatenus molestare. Metae fuerunt: a Vipera quomodo vadit Predel s. Domnii usque ad viam supra mare, qua itur Tragurium, deinde ad occidentem usque ad terras Messagalinae et sursum sicut vadit potoc superius ad montem, quem potoc assignavit villicus regis in praesentia nobilium Srecae Bogdani, Kalendae Nicola, Cassari Radae, Pisuale Sabatii com. notarii et pristaldi archiepiscopalis Vulcasii.

Farlati: Illyr. Sacr. T. III., p. 233. Orig. in archivo monialium S. Mariae Jaderae.

VI. **Romae. Laterani,** *11. octobris 1200.* Innocentius III. papa significat Henrico regi Hungariae, quas poenas in haereticos constituerit, mandatque ut Patarenos, quos spalatensis archiepiscopus de Spalatensi et Traguriensi civitatibus expulerat, Culinus autem banus Bosnae illis non solum tutum latibulum sed et praesidium contulit, una cum bano a regno expellat; contra Nicolaum vero Farensem episcopum in metropolim jadertinam intrusum procedat.

Theiner: Mon. Slav. merid. I. p. 12.

VII. **Romae. Laterani,** *14. Octobris 1200.* Innocentius III. papa iniungit archiepiscopo Spalatensi (Bernardo) ut Nicolaum quondam farensis ecclesiae episcopum, qui duos necdum in minoribus ordinibus constitutos, in provincia spalatensi episcopos eligi fecerat, et in Jadertina provintia post latam in eum suspensionis sententiam quosdam ad ordines non erubuit promovere, una cum suffraganeis suis singulis diebus dominicis et festivis per universam Spalatensem provinciam excommunicatum publice nuntiet, ordinatos ab eo clericos ab officio et beneficio suspendat, et per Jadertinam provinciam faciat idem publice nuntiari, quod nisi resipuerit infra mensem, non solum a dignitate verum etiam ab ordinibus deponendus sit.

Theiner: Vet. Mon. Slavorum merid. I. p. 13.

VIII. *15. Octobris 1200.* Andreas, Dalmatiae, Croatiae Chulmaeque dux attendens servitii fidelitatem, quam illi Baranus zagrab. decanus exhibuit, dedit illi in recompensationem servitii terram, quae fuit Jerosae hominis, haeredum omnino carentis, et cum talium haereditates ad ius ducatus devolvi debent, ius idem in Baranum totaliter transferri decrevit. Iobagiones qua testes subscripti: Mog comes, Nicolaus banus, Dominicus episcopus zagr., Nicolaus archielectus zadertinus, Ata comes, Cristol comes, Crasun comes, Isep comes, Cersen comes et caeteri complures. Metae autem terrae fuerunt: Ex una parte fluvius qui vocatur Dulus, ex alia parte villa Pete et Vete, ex tertia antiqua regia strata, et protenditur usque ad pontem, ubi terminatur. Datum per Jacobum praepositum magistrum ducis et cancellarium.

Tkalčić: Mon. episcopatus zagrab. I. p. 9.

IX. **Romae. Laterani,** *21. Novembris 1200.* Innocentius III. papa iniungit B(ernardo) archiepiscopo Spalatensi et Johanni capellano suo, cum in terra Culini bani quorundam hominum multitudo moretur, qui de Catharorum haeresi sunt suspecti, ut ad terram praefati Cullini accedant, de fide ac conversatione tam ipsius quam uxoris et hominum terrae suae inquirant, si quos haereticos invenerint ad fidem reducant, contra renitentes autem secundum edictum adversus haereticos procedant. Una communicat, quod Henrico regi Hung. scripserit contra illos. Idem rex Culinum arguens et obiurgans praecepit, ut huiusmodi homines de tota terra sibi subiecta proscriberet, bonis eorum omnibus confiscatis. Culinus tamen semetipsum excusavit, quod eos homines non haereticos sed catholicos esse credebat, paratus quosdam ad sedem apostolicem destinare.

Theiner: Mon. Slav. merid. T. I., p. 15.

X. **Romae. Laterani,** *5. Decembris 1200.* Innocentius III. papa significat (Joanni) antibarensi archiepiscopo, quod ad audientiam eius ex litteris Vulcani Diocliae regis et eiusdem archiepisci pervenerit, quod Dominicus quondam suacensis episcopus, qui coram capellano S. subdiacono et legato sedis apost. de homicidio accusatus fuerat et in concilio apud Antivarum pontificalem resignaverat dignitatem, ad praesentiam ejus (pontificis) accessisset et rediens quasdam litteras archiepiscopo praesentavit, quibus sibi asserebat a pontifice episcopale officium restitutum, quibus visis ille eum in ipsa ecclesia restituit, electum vero episcopum svaciensem G. ab eadem ecclesia removit. Sed praefatus rex non credens litteras papales emanasse, tam ipsum Dominicum, quam electum episcopum praecepit pontificis conspectui praesentari, petens edoceri, quid duceret papa de ipso negotio statuendum. Praefato Dominico fugam arripiente in Hungariam attulit solus episcopus mentionatas litteras, quas Romae pro falsis agnoverunt, quocirca mandat pontifex, ut episcopum G. in officium restituat, Dominicum vero, si rediverit, in quoddam monasterium includat.

Theiner: Mon. Slav. merid. I., 13.

XI. *A. 1200.* Andreas dux Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae intrans civitatem Traguriensem, ubi una a clero et uniuerso populo in honore et gaudio receptus laudes hymnidicas recepit, confirmat civitati privilegia ei ab antecessoribus suis concessa.

Lucius: De regno Dalmatiae et Croatiae Schwandtner. T. III., p. 119.

*

XII. *A. 1200.* Johannes capellanus et Symon subdiaconus, domini papae familiares, et ap. sedis legati concedunt Constantio abbati de Acrumina (Lacroma) et suis successoribus, salva auctoritate apostolica, ad instantiam cleri et populi ragusiensis, mitram, baculum et sandalia, quam concessionem iam Andreas quondam archiepiscopus a papa Eugenio pro abbate eiusdem monasterii impetravit.

Farlati: Illyr. Sacr. T. VI., p. 88.

XIII. *A. 1200.* Hemericus rex Chasmam, quam rex Ladislaus ecclesiae zagrabiensi contulerat. per clericum Thomam canonicum albensem peragrari faciens, eidem ecclesiae confirmat, et populum in ea constitutum ad instar Dumbrogensium et aliorum eidem ecclesiae subditorum in marturinarum et annonae pensione sive hospitii debito non bano sed soli episcopo respondere decernit. Terrae meta prima fuit pons regis Colomani, secus quem nomen Prodani episcopi in corticibus arborum insculptum est. Hinc via dicti regis super magnum montem usque ad puteum eiusdem. A puteo inde ad Rosuk, inde ad montem Sythva, inde ad fluvium Dobouk, deinde ad Balablata, hinc ad fluvium Prestika, qui jungitur fluvio Chasma. In villa vero Zelina prima meta est versus septemtrionem juxta puteum, a quo per vallem usque magnam viam dividentem terram Bereslai et tendit ad ecclesiam S. Johannis et ad terram Vgrini et versus occasum ad pontem Vratislai de Lomni, sub quo currit fluvius Zelina. Hinc ad magnum montem usque metam Razumeni, inde ad puteum, ubi terminatur. Datum per manus Desiderii aulae cancelarii et praepositi de Scibin. Subscripti inter caeteros Calanus episcopus quinqueecl., Dominicus Zagrab, Benedictus banus et comes de Zala.

Tkalčić: Monumenta epp. zagrab. I. p. 9.

XIV. *A. 1200.* Andreas dux Dalmatiae, Croatiae Chulmaeque causam, quae versata fuit inter Dominicum zagr. episcopum et Petrum fratrem Zadur de terra Graboniza cum suis magnatibus ordine judiciario decidit in commodum episcopi, convicto Petro in iure plurium testimonio, relinquendo terram episcopo in perpetuum. In testimonium subscripti iobagiones: Mog comes, Nicolaus banus, Ata comes, Martinus comes, Isep comes, Cresen comes. Prestaldi vero Welceta de Gora et Wrodislaus de Zagrabia. Datum per manus Jacobi prepositi magistri ejusdem ducis et cancellarii.

Tkalčić: Monumenta epp. zagr. I., 8.

XV. *A. 1200.* Andreas Dalmatiae Croatiae Chulmaeque dux, ad preces abbatis et fratrum de monasterio Ss. Cosmae et Damiani, dedit eorum ecclesiae S. Grisogoni terram, quae est in suburbio Sibenig, perpetuo possidendam. Terra autem vocatur Dub ab arbore ibidem exorta. Praedicta vero capella S. Grisogoni erat fundata a civibus praedicti castri Sibenik et praefato monasterio tradita; terram proclamat dux esse liberam: ut nemini liceat ab ea exigere quidquam ex debito nec in decimis, nec in aliis, salvo jure dioecesani episcopi. Datum per manus praepositi et cancellarii ducis magistri Jacobi. Prestaldus erat comes Domaldus. Jobbagionum vero nomina, qui tunc aderant et facto testimonium perhibuerant, haec sunt: Bernardus Spalatensis archiepiscopus, Nicolaus Jadertinus archielectus, Georgius Tiniensis episcopus, Mog comes, Nicolaus banus etc.

Farlati IV. p. 8. Katona Hist. r. H. IV. p. 592. Fejer Codex diplom. Hung. II. p. 375.

XVI. *Circa 1200.* Hemericus rex Hung. et Croatiae capitulo spalatensi et totius urbis conventui intimat, quod litteris per eorum nuntios receptis intellexerit, quod Jadrenses jactent se episcopatus scardonensem et nonensem a modo possessuros. Quia igitur non vult jura eorum minuere aut privare, confirmat totaliter omnia eorum jura, mandatque eorum suffraganeis regia auctoritate, quatenus debitum honorem et reverentiam spalatensi ecclesiae exhibeant.
Lucius: De regno Dalmat. et Croatiae Lib. III. cap. XIII.

XVII. *Circa a. 1200.* Gregorius de sancto apostolo, sanctae Mariae in Porticu diaconus cardinalis, notificat clero et populo spalatensi, quod fratrem Micham farensem episcopum benigne receperit et in iis, quae sibi novit expedire, auxilium ei impendit et favorem, et quia illius promotio honorem illorum videtur respicere, consulit illis, ut defensionem ejus efficaciter adiuvent, credit enim, quod si ea, que in litteris apostolicis continentur, probata fuerint, quod in dicto episcopo per spalatensem ecclesiam constitutum fuerat, optatum finem consequetur.
Farlati Illyr. sacr. T. IV. p. 247.

XVIII. *Circa a. 1200.* Belcenus sacerdos s. Mariae de Salona atestatur, quod propriis auribus audiverit et suis occulis cognoverit, qualiter Adrianus Ungarus et judex regis Ungariae, ac tempore illo banus regis Ungariae, quodam furore afflictus ascendit super equum suum, et dum contra honorem ecclesiae sancti Benedicti equitaret, nutu divino de equo suo cecidit recognoscens se malum fecisse, dedit praedictae ecclesiae s. Benedicti de Spalato terras de Saline et terras de Bellau...to, quae fuerunt ante Saloninae, pro remedio animae suae. Testes, qui terras ostenderunt, fuerunt: Dragus de Constantino, Duimus de Salsamina, Rade de Spinola, Dessa de Istra, Dessa de Hungaro, Jura filius Mathiae, sacerdos et magister Gabriel, sicut ex ore iadrensis presbiteri Tisceni audivit, ita veraciter scripsit.
Orig. in perg. in archivo monialium S. Mariae Jaderae.

XIX. **Bari,** *8. februarii 1201.* Garganus de Cortisio justiciarius barensis, Leo Mancinus judex, Rogerius Madii amniratus, filius et Leo Utcius cives Bari, voluntate omnium civium jurant ad sacra evangelia firmam pacem ad 12 annos tenere cum Ragusinis. Regnante Frederico rege Siciliae duce Apuliae et principe Capuae.
Ljubić: Monumenta spectantia historiam Slavorum meridionalium I p. 20.

XX. *1201.* Hemericus Hung. Dalm. Croaciae Ramaeque rex ad instantiam Dominici episcopi zagrabiensis, terras ac praedia, quae monasterio zagrabiensi devota contulit antiquitas, per clericum Thomam albensem canonicum fecit collustrari, munitque donationes regia auctoritate. Terrae autem sunt: Primum locum ratione dignitatis vendicat Zagrabia. Ejus meta incipit in loco Kerec ad rivum Circueniza. Inde usque fluvium Sava. Per cursum Savae pervenit ad molendinum episcopale, ubi rivulus Ternava influit in Savam, versus septemtrionem dividit metam terra hominis Cena. Deinde per sylvam et campum ad vinitores regis. Illinc per sylvam ad rivum majorem Blisna, et rivulum minorem Blisna. Deinde versus septemtrionem ad villam ecclesiae, quam tenuit Baranus decanus Inde ad Turpignam, inde per magnum montem ad magnam stratam, deinde per vallem ad fluvium Deze, qui in fine montis Ixes influit fluvium

Circuenizam, qui fluit per Zagrabiam. In villa Ziseria prima meta fons fluens, qui dividit terram Bogdan. Inde ad magnum montem versus occasum, inde ad septentrionem ad viam. Hinc ad rivum Tristenec, hinc per vineam Dobre, ad quercum quae est in vertice montis, et dividit terram Lastei. Inde arbor castanee dividit terram servorum regis. Deinde per montem versus meridiem meta cum Meriad, quae protenditur ad montem lapideum, qui dividit metam Bratognae et dicti Bogdani. In Ugra prima meta est fluvius Scepnicha. Illinc ad rivum fluentem de ponte Lutac, deinde meta Bolozad (Bolezad). Inde ad montem Mesco. Per montem meta Murgico ad fluvium Scepnicha (qui dividit metam canonicorum). Inde iuxta portum Lixeu rivi, ubi dividit terram Mical. Idem rivus fluit ad domum Zunislav. Tendit ultro ad locum Lisina, qui dividit metam Petri filii Tance. Hinc per silvam ad magnam stratam, hinc ad fluvium Scepnicha, ubi est praedium canonicorum. De villa Camenic prima meta ad rivum Bogaxaum Transiens rivum Camenic dividit terram Tosimer et Kineginci, ad rivum Bogaxaum dividit terram Desislav porro terram Bartholomaei comitis. Inde per magnam viam supra montem dividit terram Bogdan Occurrunt adhuc terrae Isany, terra ad rivum Clenovnic Soulad. — In Gavrastino (Varasdino). Prima meta iuxta magnam viam terra Stane. Inde ad Plitvizam rivum supra pontem versus meridien per eandem viam ad villam Suetosclav Inde ad viam in modum crucis est terra Sargas, et Vogriza. Transiens silvam ad flumen Bensiza dividens metam Hvalimer. Hinc ad vadum Plitvize, hinc ad villam hospitaliorum. In Camarniza prima est meta terrea versus occidentem. Hinc ad rivum qui dicitur Semerdeia, et terra Tolimeri. Per rivum ad metam magnam Prodani episcopi, versus meridiem ad montem et per viam ad rivum Mocilniza, et ad magnam stratam. In Zdelia dividit rivus terram templariorum. Rivus Hausta dividit metam Cernoglav, vadit ad rivum Zdelia. In Dombro (Dubrava) rivus Glogovniza iuxta pontem Prodani episcopi, versus occidentem terra Belae ducis. Ad meridiem aqua Sernes (Črnec) et rivus Camnciza ad terram Keneginci. Inde locus Prilesia, meta Isani, rivus Preteca, terra cum subulcis regis. Locus Lupoglav, terra filiorum Semerec, hinc per magnam silvam ad rivum Zelina, qui iungit se rivo Cernez, qui dividit terram Macharii comitis et influit flumen Cesma. Ad septentrionem rivus Velika iungit se rivo Cesme et Velika dividit terram Sumugiensem. Inde ad rivum Cognici, ad fontem Studens, inde ad rivum Cirqueni et Sigleni, qui influit in Xabiniza. Hinc ad magnam viam ad metam Prodani episcopi, per montem ad rivum Lubenizam, ad rivum Jalceniza iterum ad magnam viam. Hinc ad rivum Glogovnica, ubi fuit pons Prodani episcopi. — In Gorra apud s. Clementem prima est meta iuxta villam Oropoc rivus Lescovz, qui influit in Petrinam. Tendit ad portum Zebedei et ad montem Gradez, versus meridiem est meta s. Ladislai regis, a qua tendit ad magnam fossam. Inde ad rivum Ponique, hinc ad montem ad salicem iuxta viam. Hinc ad vallem, ubi est fons Mirogna. Inde ad rivum Cremenitez. Inde ad magnam stratam in monte ad dictum rivum Lescovez. Iuxta Odera (Odra) prima meta est rivus Dobon versus meridiem ad flumen Culpa et ad rivum parva Mosceniza. Hinc ad sepulcrum Seledini, ad paludem Pianisemam, ad locum Pridaca (Priulaca?) versus orientem rivus Zepniza. Transiens Savum ad mortuam Odram, quae dividit terram cum Machario comite. In Potgoria prima meta est iuxta fluvium Volavla ad Lada. Inde per vallem ad rivum Locauc, qui ad meridiem

dividit metam cum Stephano comite. Hinc meta Sculis ad montem Istenec hinc meta in Wlc, versus occasum per viam ad pontem Tolomas in fluvio Svibini. Versus septemtrionem ad montem ubi est meta predicti Lada. Ad orientem vinea Helapognae, qui est decimator episcopi. Ad rivum Heuni (Heunc?), qui jungitur rivo Volaule. — In Dusa prima est meta locus Vreuta, versus orientem ad Obres. Hinc terra Tolimer, versus meridiem locus Macra et terra Zuluc. Hinc locus Bogatofeu. Versus orientem meta inter ecclesiam, s. Jacobi et s. Stephani. Hinc terra Radozlau. Terra Petri filii Tatar, terra Hensa. In Gasca prima meta tendit ad rivum Bresniza, hinc ad rivum Jagen qui iungitur Bresnizae, usque ad piscinam quae dicitur Gasca dividens terram Deuneser, porro ad paludem Sered, qua versus occidentem influit rivum Zomou, qui fluit usque ad portum Lovrui. — In Wasca prima meta est Drawa. Hinc ad finem silvae Lovnuc, per silvam ad magnam stratam, versus orientem ad terram civilium Albensium. Deinde ad rivum Zagaviza, qui fluens versus orientem tendit usque sepulturas Sclavorum. Inde per silvam ad rivum Losenica. Porro per diversas metas terreas transiens stratam, quae dicitur Wersemort (Versemost) usque ad Dravam. Iem in Virtus (Vercus) prima est meta ad terram Quirtus, quae est sacerdotis Mozon. Hinc per multas metas ad terram carpentariorum civilium versus orientem ad rivum Sud. Hinc ad nemus comitis, ubi est terra comitis Sumugiensis. Hinc terra servorum regis. Hinc terra Beu, terra Brenc, rivus Toutsit (Toutsic). Item terrae Chesma, donationis videlicet gloriosi regis Ladizlai, prima meta est pons regis Colomani, secus nominatus episcopi Prodani. Hinc via dicti regis dirigitur supra magnum montem ad puteum eiusdem, a quo Rosur. Hinc ad montem Zythva. Hinc ad fluvium Dobohuc, deinde Belablata. Hinc ad fluvium Pritiska qui fluit in Chazmam· Populus vero in terra Chasma ad instar Dumbrogensium, immo omnium zagr. ecclesiae attinentium, in marturinarum collecta, annonae provisione, hospitii debito, immo universaliter et in iudiciis, non bano, vel cuicunque alteri, sed soli episcopo respondeat. Villae Zelinae prima meta inchoatur iuxta puteum, a quo protenditur per mediam vallem usque magnam viam dividentem terram Berislai, et tendit ad ecclesiam s. Johannis. Hinc ad terram Hugerini, hinc versus occasum ad pontem Wartislay de Lomi, sub quo ponte currit fluvius Zelina. Hinc ad magnum montem usque ad metam Ragemani.

Inter alia dedit idem rex ecclesiae zagr. insulam Cahianyc in Sava sitam et dispensavit a marturinarum persolutione, de quibus et de porcis episcopus decimas percipiendas habeat. Datum per manus Desiderii aulae regis cancellarii et Scybiniensis praepositi.

Tkalčić: Monumenta epp. zagrab. p. 11—16.

XXI. *A. 1201.* Andreas Dalmatiae, Chroatiae, Chulmaeque dux ad ammonitionem fratris sui Hemerici regis, et ad petitionem Dominici episcopi zagrab. donavit ecclesiae zagr. insulam Cagnis cum his metis: ab oriente ubi fluvius Sava in duas distinctiones se dividit, prima meta arbor populea, ad meridiem dividitur cum meta Carachuna, ad occidentem iuxta dictum fluvium ad rivum Seregna, ubi intrat Savam, et idem rivus dividit metam a filiis Zesa, versus occidentem exit de Sava et meta est ulmus, verum Sava dividit omnes metas a filiis Zesa. Testes fuerunt Iobagiones: Mog comes, Nicholaus comes, Martinus comes, Ata comes, Cresen comes, Crasun comes et pristaldus rei. Cancellarius Jacobus praepositus et magister.

Tkalčić: Monumenta epp. zagrab. p. 10.

XXII. **Clugii,** *m. Februario a. 1202.* Rainaldus una cum suis haeredibus, donat Johanni Bolso et eius haeredibus in praesentia Bacileri Veneti gastaldi Clugiensis et eius iudicum portionem de terra et vinea in Cissone posita. Testes fuerunt: Vitalis Zambonus decanus, Petrus de Putheo et Matheus Buffi, Dominicus Silvus, diaconus et notarius scriptor.

Orig. in mea antiqua collectione, modo in bibl. accad. scient. Zagrabiae.

XXIII. **Clugii,** *mense Februario a. 1202.* Vitalis Zambonus decanus, testificat: quod die quinto intrante mense Februario praecepto Bacaleri Veneti gastaldionis Clugii et lege iudicum investivit unam proprietatem terrae et vineae in Cissone positam ad nomen Johannis Bolso filii Matthaci Bolzo (sic). Quae proprietas advenit sibi a Jordano filio Johannis de Putheo. Testificantur: Matheus Silvus filius quondam Martini, Leo Bolso filius Mathaei, porro testis Petrus de Ragona et Varimbertus Venetus. Dominicus Silvus sub-diaconus et notarius complevit.

Originale in mea antiqua collectione, nunc in bibl. academiae zagr.

XXIV. **In Absarensi palatio comitisae,** *15. martii 1202.* Daria[1] Dei gratia absarensis comitissa una cum filiis suis Roberto et Petro comitibus, promittit arbensi civitati pro se et suis omnibus filiis, quod si arbenses filium eius Robertum fecerint comitem arbensem, omnia jura veterana, quae habet in Kessa eis vellit concedere, quousque dictus comes Robertus in eodem existeret comitatu, dicto vero Roberto decedente vel defficiente, si filius eius vel frater comes fuerit, praedictum locum Kessae praedicto modo teneat, sin minus, jura comitissae ad ipsam redeant et Arbenses apud Arbenses remaneant.

Lucius: De regno Dalmatiae et Croatiae. Lib. IV., cap. VIII.

XXV. **Romae. Laterani,** *21. Novembris 1202.* Innocentius III. papa significat B(ernardino) spalatensi archiepiscopo et Johanni capellano et legato suo, cum in terra Cullini bani multitudo hominum moretur, qui de Catharorum haeresi sunt vehementer suspecti et graviter infamati, quocirca scripsit papa Henrico regi Hung., qui Culino bano praecepit, ut huiusmodi homines proscriberet. Sed excusans se banus respondit, quod eos non haereticos sed catholicos esse credebat, paratus quosdam ad sedem apostolicam destinare, ut fidem suam exponerent. Nuper ergo Culinus banus archiepiscopum et archidiaconum ragusinum cum praefatis hominibus Romam destinavit petens, ut papa aliquem virum de latere suo in Bosnam mitteret, qui homines de fide examinaret et plantanda plantaret. Mandat igitur praefatis Johanni capellano et B. archiepiscopo, ut Romam procedant et de fide tam bani, quam ejus uxoris et hominum terrae inquirant.

Theiner: Mon. Slav. merid. I., p. 15.

XXVI. *A. 1202.* Hemericus Ung., Dalm., Croat., Ramequae rex, agit gratias consulibus et populo civit. spalatensis, quod ei fidelitatem servaverint et servent, et Bernardum archiepiscopum amore quo decuit honoraverint. Libertates et honores eorum paratum se declarat protegere omni tempore.

Farlati: Illyr. sacr. T. III., p. 234.

---

[1] Filia Leonardi comitis Absari et ejus uxoris N. filiae ducis Dessae. Huius Leonardi frater Nicolaus (filius Vitalis Michaelis ducis Venet.) habuit uxorem Mariam Ladislavi de stirpe regali hungarica.

XXVII. *A. 1202.* Andreas dei gratia Dalm., Croat., Chulmaeque dux terram Kaiani castrensis, quam pater illius rex Bela III. Barano zagr. decano perpetuo contulerat, assignans eam per suum hominem Woychna, eidem confirmando resignavit per suum hominem Stephanum. Metarum autem prima fuit ab oriente terra Abraami cognati Gurkonis comitis. Procedendo contra meridiem ad magnum pirum penes terram servorum regis, contra occidentem super fontem lapideum iungens se castrensibus, ac versus septemtrionem iuxta castrum Nicola annectitur publicae stratae zagoriensi, disiungens se a terris castrensium. Testes: Mogy comes, Nicolaus comes, Martinus banus, Crasun comes, Cresen comes, Ata comes, Cristol comes, Paul comes. Datum per Jacobum praepositum magistrum et cancellarium.
Tkalčić: Mon. epp. zagr. I., p. 16.

XXVIII. *A. 1202.* Innocentius III. arguit crucesignatos, quod civitatem Jaderam occupaverint, et cum crucem tulerint proptem Christum, in eum arma converterint, cum debuissent Saracenorum provinciam expugnare. Accepit enim, quod cum ante Jaderam navigio venissent, signa contra civitatem protinus expandentes, tentoria in obsidione fixerunt, undique civitatem vallaverunt et muros ipsius non sine multa effusione sanguinis suffoderunt. Cumque cives subire cum Venetis judicium pontificis vellent, neque in hoc etiam apud eos potuissent misericordiam invenire, et circa muros suos armis imagines suspenderunt. Sed crucesignati in injuriam crucifixi non minus civitatem impugnarunt et cives, sed eos ad deditionem violenta dextera coegerunt, nec illos a nequissimo proposito abstinuit reverentia crucis assumptae, nec Henrici regis Hungariae et Andreae ducis fratris eius devotio, qui pro Terrae sanctae subsidio crucis signaculum assumpserunt, nec apostolicae sedis auctoritas, quae illis curavit districtius inhibere ne terras christianorum invadere vel laedere tentarent. Veneti in occulis eorum subverterunt muros civitatis, spoliaverunt ecclesias, destruxerunt aedificia, et cruesignati cum eis spolia Jadertinorum diviserunt. Gaudet tamen papa, quod culpam suam cognoverint et eam per poenitentiam expiare intimaverint. Monet ergo illos, ut universa reddant, quae de Jadertinorum spoliis ad illos devenerunt; sententiam tamen excommunicationis sedis apostolicae, de qua absolverunt illos contra auctoritatem sedis ap. episcopi in exercitu constituti, relaxatam non agnoscens; mittit suum legatum G. s. Marcelli praesbiterum cardinalem, ut ab eis juramentum recipiat et absolutionem impendat. Monet illos insuper et mandat illis, ut regi Hungariae humiliter supplicent, ut super offensa, quam commiserunt in eum, pro Deo et propter Deum illis dignetur misericordiam exhibere.
Wenzel: Codex dipl. Arpad. T. VI, p. 236

XXIX. **Jaderae,** *mense Februario 1203.* Capitulum Jadrense, Domaldus comes et universitas civitatis, tradunt et concedunt Dominico abbati ss. Cosmae et Damiani de Monte, quoniam tempore suae desolationis et exilii in monasterio ejus agnoverunt fore asilum et auxilium, ad memoriam beneficii exhibiti ecclesiam s. Demetrii martyris in eorum civitate sitam. Subscripti: Marinus plebanus s. Mariae, Petrus plebanus s. Stephani, Joannes plebanus s. Michaelis, Stephanus plebanus s. Petri, presbyter Michael, presbyter Grisogonus. Scripsit: Camasius diaconus s. Anastasiae et com. notarius.
Farlati: Illyr. sacr. T. V., p. 70.

XXX. *A. 1203.* Missi Jadertinorum petunt a Reinerio filio ducis Venetiarum et a consilio, pro communitate Jadrensium, ut habeant respectum misericordiae erga illos. Approbant omnes conditiones pacis et subjectionis.
Tafel et Thomas Urkunden zur älterer Handels- und Staatsgeschichte Venedigs. I. 421. Wenzel: Codex dipl. Arpad. VI. 261.

XXXI. *Mense Martii a. 1203* Joannes de Casamaris legatus apostolicus scribit pontifici, quod tractato negotio Patarinorum in Bosna fuerit aliquantis diebus in Ungaria, unde sperat cum nunciis bulgaricis ire ad regem Caloiohannem. De Bosna refert, quod ibidem unicus episcopatus sit, episcopus vero mortuus est. Cum hoc regnum sit adminus dietarum decem et plus, possent ibi creari tres vel quatuor episcopi, necessarius autem esset et unus Latinus.
Theiner: Mon. Slav. merid. I, p. 19.

XXXII. **Apud Jaderam,** *mense Aprili. 1203.* B. Flandriae et Hainoviae, L. Blezensis et Claromontensis et H. s. Pauli comites, Oddo de Chanliet et W. frater ejus notificant, quod super eo, quod apud Jaderam incurrerint excommunicationem apostolicam vel incurisse timent, tam ipsi quam successores eorum sedi apostolicae se obligent, quod ad mandatum ejus satisfactionem curabunt exhibere. Sequuntur aliae litterae eorum ad pontificem et huius ad illos in eodem merito.
Wenzel: Codex dipl. Arpad. VI., p. 240, 241, 242, 248.

XXXIII. **Jaderae,** *mense Aprili. a. 1203.* Henricus Dandulo Venetiarum dux quietat Rogerium Maurocenum absarensem comitem cum suis haeredibus de toto, quod sibi dare et solvere debuisset pro castro Kessae annuatim. Testes: Marcus Dandulo, Lellovillo, Andreas Conradus presbyter et notarius atque plebanus roboravit, Joannes ecclessiae s. Silvestri presbyter et not. testis.
Lucius: De regno Dalm. et Croat. Lib. IV., cap. VIII.

XXXIV. **In insula Regia,** *30. Aprilis 1203.* Priores (Bogomilorum), qui hactenus singulariter christiani nominis praerogativa vocati sunt, in territorio Bosnae constituti, omnium vice, qui sunt de eorum societate fraternitatis, in praesentia Joannis de Casamaris capellani pontificis Romani in Bosna delegati, praesente bano Culino promittunt stare ordinationi et mandatis Romanae ecclesiae. Abrenuntiant schismati, agnoscunt Romanam ecclesiam qua caput suum. In omnibus locis, ubi fratrum conventus commoratur, habebunt oratoria, in omnibus ecclesiis altaria et cruces, libros etiam tam novi, quam veteris testamenti legent. Per singula loca habebunt sacerdotes, qui celebrabunt missas, audient confessiones et tribuent poenitentiam. Cemeteria habebunt juxta oratoria. Septies de anno accipient corpus domini de manu sacerdotis. Jejunia observabunt. Foeminae, quae de eorum erunt religione, a viris separatae erunt tam in dormitoriis quam refectoriis, et nullus fratrum solus cum sola confabulabitur, unde possit sinistra suspicio suboriri. Neque recipient aliquem vel aliquam coniugatam, nisi mutuo consensu, continentia promissa, ambo pariter convertantur. Festivitates sanctorum celebrabunt, et nullum Manichaeum vel alium haereticum ad habitandum secum recipient. Et sicut separantur ab aliis saecularibus vita et conversatione, ita etiam secernentur vestimentis, quae vestimenta erunt clausa, non colorata, usque ad talos mensurata. Promittunt etiam de caetero se non christianos, sicut hactenus, sed fratres nominari ne

singularitate nominis aliis christianis iniuria inferatur. Mortuo vero magistro priore cum consilio fratrum eligent praelatum a Romano pontifice confirmandum. Actum apud Bosnam iuxta flumen loco, qui vocatur Bolino poili (polje) 6. idus aprilis. Subscripti: Dagite, Lubin, Brageta, Pribis, Luben, Rados, Bladosius, banus Culinus, Marinus archidiaconus Ragusii. Deinde Lubin et Drageta ex voluntate fratrum et Culini cum eodem Joanne capellano ad Henricum Hungariae regem euntes in praesentia ipsius regis et colocensis archiepiscopi et quinque ecclesiensis episcopi et aliorum multorum jurarunt haec statuta servare.

Theiner: Mon. Slav. merid. I., p. 20.

XXXV. **Ferentini,** *15. Maii 1203.* Innocentius III. papa ad desiderium Joannis regis Angliae et supplicationem Bernardi archiepiscopi Ragusini duxit eundem a. episcopum a cura et solicitudine Rag. archiepiscopatus absolvendum, quod ibi non poterat secure morari, et si regressum habet ad illam, mortis sibi periculum imminebat. Ne igitur idem in vituperium ministerii defectum in temporalibus patiatur, episcopatum Karleolensem et ecclesiam de Meleburn de beneficentia dicti regis et concessione Gulfredi Eborum a. episcopi, benigne collatis de benignitate sedis apostolicae concedit. Quam collationem rex Angliae Johannes confirmat in Merleb 10. Januarii 1204.

Farlatti: Illyr. sacr. VI, 89. Fejer: Cod. dipl. Hung. T. VII., vol. 5, p. 156.

XXXVI. **Termulis**, *29. Maii 1203.* Regnante Frederico rege Siciliae, Mainardus Rogerius et Guillellmus Lombardus judices civitatis Termulae et Trasmundus miles camerarius cum universo populo civitatis, recipiunt omnes Ragusaeos in cives suos, volentes veram amicitiam cum eis manutenere. Praeterea remittunt illis omnem plataticum et arboraticum in sua civitate.

Ljubić: Mon. hist. Slav. merid. I., p. 20.

XXXVII. **Ferentini.** *18. Junii 1203.* Innocentius III. papa mandat capitulo Ragusino, quod cum Ragusinus archiepiscopus in eius praesentia constitutus archiepiscopatum suum ideo, quod morari secure non posset in eo propter inimicitias capituli, quas sibi imminere dicebat, in eius manibus resignavit, quatenus ad electionem novi pontificis canonice procedant, et talem eligant personam, quae non tantum praeesse quam prodesse studebit.

Ex transumpto bullarum archivi Ragusani. MSC. p. 364 in mea collectione.

XXXVIII. **Spalati,** *16. Novembris 1203.* Anno 1203. die 16. novembris existente Bernardo archiepiscopo, Martinuso comite, Cazetta nepote, Pilosi vicario. Cum Santius Dabrane Gumay domum molendinarum Salonae laborasset et archiepiscopus Bernardus in eadem domo proprias molas ponere voluisset, Santius ei proprias molas ibi ponere, nisi de expendio domus refunderet, contendebat Archiepiscopus autem nihil sibi de dispendio refundere debere dicebat. Unde ambae partes arbitrios elegerunt, promittentes coram illis firmiter stare. Archiepiscopus itaque elegit judicem Forminum, Michaelem Sulizae atque Pezzam; Santius elegit Johannem Marci, Dragonem de Pinosa atque Galonem Quibus electis et habito multorum nobilium consilio, et audita eorum ratione, suscepta a Santio manu arbitrati sunt, quod dictus Santius alterum molendinorum, quodcunque sibi placet, suscipiat, et archiepiscopus

in altero proprias molas ponat. Si autem ille et eius successor proprias molas ibi ponere noluerit, nulli extraneo nisi Santio molas ponere tribuat. Si ipsa domus post haec defecerit,, de communi dispendio eam reparent. Si archiepiscopus cavalagiam suam reparare voluerit, ita eam reparet, quod cavalagia Santii non offendatur. Presbyter Sabatius juratus notarius communis hoc breve scripsit. Martinus examinator manum misit, magister Gregorius spalatensis notarius jussu dominorum judicum, Duimi, Formini et Miche Madii Jore et consiliarii et totius curiae spalatensis hanc cartam ex autentica carta Sabatii notarii exemplavit et signo consveto signavit. A. 1247. 23. Sept.

Ex archivo aulico viennensi. Acta Spal. XVI., I., 154 Carrara: Archiv. capit. P. 13.

XXXIX. *A. 1203.* Hemericus rex Hung. et Croatiae notificat, quod ad petitionem Zlaudi wesprimiensis episcopi, ipsos, qui super terram beati Michaelis, quae inter Muram et Dravam consistit, commorantur, de totius debiti incumbentis et juris ad regem seu ad banum pertinentis obligatione absolvit, et eos ordine excipiens, quod de caetero marturinas non persolvant, praeterea neque banus neque curialis comes, neque aliquis alter, illos exactione, sive ad regem sive ad ipsos spectante, audeant ulterius aliquatenus aggravare.

Fejer: Codex dipl. R. H. T. II.. p. 414.

XL. **Anagniae**, *5. Novembris 1203.* Innocentius III. papa compositionem inter Andream ducem Slavoniae et Emericum regem Ungariae in G. tituli s. Vitalis presbyteri cardinalis, tunc apost. sedis legati manibus versatam et ab eo postmodum confirmatam, sicut ab utraque parte sponte recepta est, auctoritate apostolica confirmat.

Katona: Historia Hung. T. IV., p. 690. Fejer l. c P. 412.

XLI. **Anagniae**, *5. Novembris 1203.* Innocentius III. pontifex promittit duci Sclavoniae Andreae, cum voto peregrinationis emisso proposuerit in terrae sanctae subsidium proficisci, eius personam cum omnibus suis bonis sub beati Petri et suam protectionem suscipere. Disponit quoque, ut si dominus interim masculum ei dare dignaretur haeredem, in eius ducatu succedat, et donec ad legitimam aetatem pervenerit, apostolicae sedis praesidio specialius foveatur.

In vaticana bibliotheca descripsit Josephus Garasupi. Katona l. c. 669. Fejer l. c. 415.

XLII. *A. 1203.* Hemericus rex nuntiat pontifici Romano, quod cum Johannes ejus capellanus, qui de terra Culini bani duos principaliores ex haereticis secum in praesentiam regis adduxisset, rex inspectis articulis, quos susceperant, eadem capitula sub suo sigillo contenta memorato Culino, qui tunc apud eum erat, dedit districte praecipiendo, ut ea et alia, si qua Romana sedes transmittere decreverit, ab omnibus in terra faciat observari. Qui se in manu regis et archiepiscopi Colocensis obligavit, quod si de caetero haereticos in terra sua manutenere praesumpserit, mille marcas argenti persolvet, quarum una medietas pontifici, alia vero fisco regio obveniet. Illi praeterea duo priores, qui cum legato venerant, jurarunt, quod constitutiones dictas firmiter observaturi sint.

Theiner: Mon. Slav. merid. I., 22.

LXIII. **Anagniae,** *25. Februarii 1204.* Innocentius III. papa hortatur Venetos ad resipiscendum et poenitentiam agendam de facinore, quod adversus Jaderam commiserant cum exercitu Gallorum crucesignatorum; commemorat insuper qualiter Hemericus rex et Andreas dux, frater ejus, assumpserant signum crucis, in Terrae sanctae subsidium proposuerant transfretare, quorum profectus Venetis impendientibus hactenus est dilatus.
Theiner: Mon. Slav. merid. I., 22.

XLIV. **Romae,** *15. Septembris 1204.* Innocentius III. papa notificat legato suo Leoni inter caetera: significavimus quoque tibi, ut apud Jaderam, quae hactenus cum tota provincia sua subiecta fuit patriarche Gradensi, faceres electionem canonicam de persona idonea celebrari, et electum ad nos consecrandum et palleandum dirigeres, ut sic inciperemus punire superbiam Venetorum.
Theiner: Mon. Slav. merid. I., p. 37.

XLV. **Romae,** *1. Octobris 1204.* Innocentius III. papa scribit regi Emerico, quod ad apostolicam sedem venerint monachi s. Egidii de Ungaria (in Simigio) lacrimabiliter conquerentes, quod eorum abbate defuncto alium sibi secundum antiquum morem elegerint; quod hactenus tam abbates quam monachi consueverint habere Latinos, sed rex electioni huic noluit praebere consensum, affirmans, quod in alium, quam Ungarum, minime consentiret; frater autem B(ernardus) spalatensis archiepiscopus hoc attendens, monasterium ipsum a rege velociter impetravit. De quo pontifex valde miratur, quia licet professione sit monachus et natione Latinus, quum tamen pontificis gerat officium, abbatis non debuit ministerium usurpare, praesertim in aliena dioecesi, et per laicam potestatem idem episcopus, in merito thesauri ecclesiae, opportunitate capta in monachos armata manu irruit violenter, et quosdam ex ipsis manu propria flagellavit, quosdam vero coniecit in vincula monachosque Ungaros, pro sua voluntate, instituit. Quia vero nec novum est, nec absurdum, ut in regno regis diversarum nationum conventus uni domino, sub regulari habitu, famulentur, licet unum sit ibi Latinorum coenobium, quum tamen ibidem sint multa Graecorum, rogat et monet regem, ut non impediat monachos, ut sibi eligant abbatem. Archiepiscopo autem spalatensi minatur cum excommunicatione.
Fejer: Codex dipl. T. II., p. 446.

XLVI. **Jaderae,** *8. Novembris 1204.* Tempore Hemerici regis et Domaldi comitis, Michael filius Dobre Carbonis una cum filio suo Dobre commutat cum Domine filio Martini allodium suum, in platea s. Mariae positum, iuxta domum, quae fuit Andrae filii Gurone, cum omnibus suis terris, terminis et pertinentiis, suscipiens vice versa illius terram, quae est inter vallem Plichuli et vallem Dragsani. Testante: Vitali plebano s. Petri veteris, Cossae Gregorii, Nicolai Lampridii et Bogdani filii Martini. Scripsit Camasius s. Anastasiae diaconus et Jadrensis notarius.
Originale in mea ant. coll.

XLVII. **Venetiis,** *a. 1204.* Henricus Dandulus dux Venetiarum excusat se pontifici Romano: Quod cum crucem assumpserat et transmeandi gratia iter arriperet, necessitate temporis hiemalis ingruente opportuit eum cum stolio

suo et perigrinorum apud Jaderam hiemare, quae cum esset rebellis ei et Venetiis longo tempore, de civitate et civibus, secundum quod moris est invicem se inimicantium, iuste sumpserit ultionem. Propter quod sententiam excommunicatias contra eum et Venetos placuit pontifici promulgare, quam patienter sustulit, usque dum per cardinalem s. Marcelli legatum suum meruit absolutionem.

Theiner: Mon. Slav. merid. I., 38.

XLVIII. **Venetiis,** *a. 1204.* Pactum inter Jadrenses et Dominium Venetiarum. Primo volunt eligere archiepiscopum de Venetia, eiusque electionem patriarchae Gradensi pro confirmatione representare, qui etiam fidelitatem duci jurabit. 2. Archiepiscopus habebit antiquum jus de Dalmatinis episcopis, et omnes introitus, quos et antea, et insuper a communi Jadrae omni anno in kalendis martii unum miliarium et dimidium cunicularum. 3. Clerus bis in anno cantabit laudes domino duci et patriarchae, archiepiscopo et communitati in maiori ecclesia. 4. Comitem eligent Jadratini semper de Venetia, et representabunt electionem duci. Comes jurabit etiam fidelitatem duci. Habebit omnes redditus et honorificentias, quas habere solebant de insula Pagi et insuper Scherdam insulam. 5. Omnes homines comitatus a 14 annis et supra jurabunt fidelitatem duci. 6. Si contigerit ducem aut nuntios suos applicare Jaderam, suscipient eos honorifice. Dux potest hospitari in domo archiepiscopali aut in alia domo honorabili. 7. Quoties fecerint Veneti exercitum usque Ragusium et infra, facient et Jadratini secundum numerum suorum virorum. Si vero fecerit exercitum a XXX galeis et supra, quae dabent transire Ragusium, facient inde Jadratini tricessimam partem. 8. Jadratini debunt domino Michaeli, qui factus erat comes Pagi et aliarum insularum, 1350 libras in quatuor annis in singulis kalendis Martii. 9. Jadratini tollent de omnibus navibus extraneorum, quae illuc applicuerint ad portum, illam dationem, quam Venetia tollit ab extraneis navibus, dividentque illas in tres partes: unam archiepiscopo, aliam comiti, tertiam communitati. 9. Omnes amicos Venetorum habebunt pro suis amicis sicut et inimicos pro inimicis. 10. De muris civitatis ruinandis vel non, nihil concludant sine voluntate ducis. 11. Omni anno dabunt communi Venetiarum perperos centum et quinquaginta, calendis Martii, aut tria miliaria bonarum cunicularum. 12. Jadratini restituent omnes illos, qui exiverunt e civitate propter discordiam cum Venetis. 13. Pro obsidibus dabunt Jadratini triginta et infra, qui stabunt semper in Venetia, ad expendium Jadrae. 14. Comes quisque debet habere suam domum Jadrae pro habitatione. 15. Pro conservatione pacti jurabunt omnes Jadratini.

Ljubić: Monumenta hist. Slav. merid. I., p. 21.

XLIX. *Circa a. 1204.* Benedictus gradensis patriarcha et Dalmatiae primas ad petitionem Dominici abbatis s. Damiani de Monte et ejus conventus, ecclesiam s. Dimitrii martyris in Jadertina civitate positam monasterio ab universo clero et populo collatam, confirmat. V nr. XXIX.

Farlati: Illyr. sacr. T. V, p. 70.

L. **Anagniae**, *4. Februarii 1205.* Innocentius III. papa ad petitionem abbatis et conventus b. Grisogoni Jadertinensis, personas et monasterium ipsorum cum omnibus bonis, quae possidet, aut in futurum adipisci poterit, sub b. Petri et sua protectione suscipit. Specialiter autem: ecclesias s. Petri de

Diculo, s. Jacobi, s. Martini, s. Michelis de Brauzo (Obrovac), s. Georgii de Cameniani, s. Johannis de Tilago, ss. Cosmae et Damiani de Berbin, s. Michaelis de Pusimano (Pasman), s. Laurentii de Locorano, cum pertinentiis earundem, insulam Mauni, terram de Berda, terram de Sihovarra et terram de Ceperlane.

Originale in pergam. in archivo gubernii Jadertini, nro. 11., masso A., caps. 1.

LI. **Jaderae,** *11. Februarii 1205.* Tempore Petri Ziani ducis Venetiarum, Leonardi jadrensis archiepiscopi et Vitalis Danduli civitatis eiusdem comitis, Manfredus clericus ex donatione capituli jadrensis et assensu fundatorum, suscipit ecclesiam s. Damiani, quae est iuxta forum, suo studio regendam. Cum assensu et consilio subscriptorum virorum permutavit postea idem Manfredus cum Stana filia Sekire, vicina dictae ecclesiae quinque passus terrae eiusdem capellae cum decem passibus terrae eiusdem Stanae. Praesentibus et assentientibus Marino s. Mariae, Prodicio s. Stephani, Johanne s. Michaelis plebanis et Luca de Augusto ac Crisogono presbyteris. Scripsit: Vitalis s. Petri veteris plebanus et jadrensis notarius.

Orig. in mea ant. coll.

LII. **Venetiis,** *3. Aprilis 1205.* Petrus Ziani dux Venetiarum significat, quod venientes in praesentiam ejus haeredes quondam nobilis Rogerii Mauroceni conquesti sint super nobilem Joannem Sisindolum comitem Arbi et eiusdem communitatem, ostendentes unum privilegium continens in feudum eis concessum castrum Chissae cum pertinentiis, quod violenter molestatur ab Arbensibus. Unde praedictus comes arbensis pro predicta communitate ostendit rationem, videlicet privilegia antiqua, quae facta fuerunt tempore Cresimiri regis Croatiae. Quibus auditis privilegia arbensia confirmavit, alia vero repudiavit.

Lucius: De regno Dalm. et Croat. Lib. IV., cap. VIII.

LIII. **Arbae,** *mensis Madii 1205.* Prodanus arbensis episcopus, Joannes Sisinulus loci rector cum suis judicibus Duimo et Philippo et nobilibus civitatis Madio Tiane, Sergio Carine et Marino Dimigne Blasii ac universa communitate arbensi, Terrinus Fr. templariorum segniensium dominator, Crivosia segniensis setnicus, Laisnic curiae dvornicus, Brifani Vertiglavi, Moyses judex, Sribren Curnaviz, Crasiz filius Rastinne, Radoslaus Prestiz, et multi alii, qui negotii hujus causam tractandam Arbam venerunt, fecerunt quamdam recordationis et constitutionis cartam, (quam Farlatus, ad historiam ecclesiasticam non pertinentem, non reproduxit).

Farlati: Illyr. sacr. T. V., p. 239.

LIV. *1. augusti 1205.* Andreas II. rex Hungariae Croatiae etc. ad supplicationem civium nonensium designat et confirmat metas eorundem civitatis una cum eorundem antiquis libertatibus et consvetudinibus. Et quidem, quod possint in perpetuum omni tempore eligere comitem sibi undecunque voluerint, qui comes et non alter habet potestatem judicandi eos. Item quod nullus dux, banus vel vicebanus ipsos cives possit ad suum iudicium vocare, neque audet aliquod servitium vel exactiones quascunque a civibus petere, nisi tantum semel pro anno, si eum pervenire contigerit in civitatem Nonae pro regiis aut

regni negotiis, expensam pro triginta personis unius prandii sive coenae; neque audent supradicti dux, banus vel vice banus cum maiori numero personarum introire civitatem contra voluntatem civium. Item si aliquis de regno cives nonenses in aliquo offenderit, subjaceat idem offensor iudicio comitis sicuti alii cives. Item quod nullus dux, banus, vicebanus possit in civitate Nona, regio vel suo nomine, munitionem quamcumque construere, vel constructam in suam vel regiam custodiam postulare sed ipsi cives civitatem ad suam custodiant voluntatem. Item a dandis obsidibus perpetuo sint exempti, suisque iuribus et consvetudinibus antiquis uti libere valeant, et eas sicut eis visum fuerit in melius commutare. Tenentur autem laudes regio nomini, sicut est consvetudo fidelium de maritimis, pro honorificentia regia consvetis diebus observare, et per suum clerum et populum deprecare; neque audent ullo infideli vel rebelli regis dare quodcunque auxilium. Regem si ad partes maritimas veniret et civitatem intrare vellet, cives pro posse suo in portis civitatis excipere et decentius quod fuerit hospitium eidem exigere debent. Caeteri vero qui in regis fuerint comitiva, nullum possunt occupare vel recipere hospitium intra muros civitatis, nisi suis propriis expensis et eum civium voluntate. — Metas civitatis fecit rex designari per comite (Li) Oberinum in hunc modum: incipit a capite insulae vocatae Vir, deinde per litus maris ad s. Andream, deinde in quendam locum protensum in mare, qui dicitur Drugozay, deinde in Dicla, deinde in locum Crux parva, deinde in palludem Cugnacovoblato, deinde in parte australi ad Brischiane, deinde ad rivum Potoch, in quodam nemus Iblan et per vallem Budisgna usque ad Chernicza, versus Boream in Cazinagoriza ad quandam Quitivirnizam ad austrum ad vocatas Quinque vias, versus boream ad vallem Romogiaza ad locum Radogn; deinde ad vallem Veprina usque ad lapidem apud mare, super quem est crux descripta. Excepta tamen possessione castri Lubae, quae est hospitalis sancti Johannis. Item pascua in loco Tribras versus occidentem usque ad locum equus (konj) et usque ad cacumen magni montis. Datum per manus Gotfredi otochiensis ecclesiae praepositi aulae regiae cancellarii; existente inter caeteros Calano Quinque ecclesiensi episcopo electo, Gotardo zagrab. epo., Mitrario bano et comite simigiensii.

Idem privilegium confirmavit Bela IV. rex 7 kal. sept. a 1244 deputans ad pristaldum nonensibus Dionisium ducem totius Sclavoniae.

Copia mea ex archivo archiepisc. jadrensis. Habet quoque Fejer cod. dipl. Hung. T. VII, vol 5., p. 166.

LV. *A. 1205.* Zellovellus dei et ducis Venetiarum gratia comes ragusensis scribit Velcinno spalatensi potestati et traguriensi comiti et nobilibus eiusdem civitatis: quoniam Judas olim ragusensis comes nec illis, nec suis civibus justitiam facere voluit, et ideo dissensio inter eos in dies crescebat, nunc autem, quia civitas ragusensis de confinibus Venetiarum habet (comitem), volunt ut mala omnia quae usque nunc acta sunt, extirpentur et plena justitia invicem administretur, ut inter fratres et amicos convenit.

Carrara: Archivio capitulare di Spalato. P. 73.

LVI. *A. 1205.* Andreas rex contulit pro anima sua et dei intuitu terram Gora cum omnibus suis pertinentiis, eo jure et ea libertate, qua eam tempore

ducatus sui tenebatur, cum omnibus hominibus, servis et liberis, beatae Mariae, ad abbatiam construendam de domo Clarevallensi ordinis cysterciensis.
Tkalčić: Mon. eppisc. zagr., I., p. 17.

LVII. **Ferentini,** *16. Junii 1206.* Innocentius III. pontifex confirmat conventionem amicabilem inter archiepiscopum et clericos et canonicos ecclesiae spalatensis de assensu et voluntate utriusque partis factam.

In archivo aulico viennensi. Spalatensia. — Carrara: Archiv. capit. di Spalato p. 71.

LVIII. **Ferentini,** *5. Augusti 1206.* Innocentius III. papa corripiens nuntios Venetorum, reprehendit de novo ducem et populum Venetorum propter invasionem Jadertinam, et super multis et magnis offensis, quas non solum in deum et Romanam ecclesia verum etiam in populum christianum ac proximos suos nequiter commiserunt, praesertim in Jadertinae civitatis excidio et de multis iniquis operibus apud Constantinopolim perpetratis. Preces illorum, quas pro pallio destinando abbati s. Felicis, quem Jadertinum electum appellarunt, per praefatos nuntios porrexerunt, admittendas non duxit, quia ex iis, quae per eos acta sunt contra Jaderam nimis contra eos scandalizatus est populus christianus.
Theiner: Mon. Slav. merid. I., 42.

LIX. **Venetiis,** *mense Septembri. 1206.* Rogerius Premarius de confinio s. Pauli et Petrus Michael de confinio s. Sophiae faciunt plenam securitatem duci Venetiarum Petro Ziani, et communi Venetorum de eo, quod continetur in una concessionis et dationis charta facta a. 1203. mense Julio, Rivoalti, quam Rainerius Dandulo, filius quondam Henrici ducis, qua eius vices gerens cum suis iudicibus dedit pro eo, quod a Jadertinis capti et rebus spoliati cum irent qua legati ad imperatorem Constantinopolim, per quam potestatem dedit illis de proprietatibus terrarum et casarum positis infra civitatem Arbensem vel de vineis et terris insulae Jadertinorum in valore nongentarum librarum Veneticarum ad arbitrium curiae Arbisanae.
Ljubić: Monumenta hist. Slav. merid. I., 20.

LX. *A. 1206.* Bertoldus dei gratia dux Dalmatiae et marchio Istriae confirmat beneficia per parentem suum Cartusiae Seitzensi collata.
Fejer: Codex dipl. Hung. T. VIII, v. I., p. 189.

LXI. *A. 1206.* Treguanus episcopus Traguriensis jurat fidelitatem beato Domnio et Bernardo archiepiscopo spalatensi et omnibus eius successoribus secundum omnia quae continentur in canone de forma fidelitatis.
Farlati: Illyr. sacr. T. IV., p. 335.

LXII. **Jaderae,** *21. Martii 1207.* Bartholomaeus episcopus Scardonensis exaudiens postulationem Dominici abbatis s. Damiani de Monte ecclesiam s. Petri de Bubniano, quae voluntate et assensu fundatorum eius, eidem abbati et eius monasterio cum omnibus pertinentiis tradita est, confirmat donationem. Statuit autem et complevit haec traditione Sloviniae filii Boricii et Grubessae fratris ejus, Radoslavi et Dragoslav filiorum Stephani, Yrace Binboli filii Tollicii, Jungii fili Radosci, Nikole et Prodanizi filiorum Dominici Gussikiorum,

praedictae ecclesiae fundatorum. Praesentibus Mirgo et Dessidrago, Stojano, Negosso, Dragovano, presbyteris; Duymo Mogoroviko, Tataro Chlevnanino, Chodimiro Caciclo, Jutrosso etc. Scripta sunt haec a Vitale s. Petri veteris plebano et Jadertino notario.

Farlati: Illyr. sacr. IV., p. 14.

LXIII. *A. 1207*. Andreas II. rex manifestum facit, quod tempore sui ducatus in Slavonia pro salute animae suae et progenitorum suorum contulerit septem villas domui s. Sepulchri et in manus praepositi Nicolai, qui tunc temporis eidem domui tam in Polonia quam in regno Ungariae praeerat, per pristaldum suum Oser de villa Pagh fecit assignari. Postmodum in regni solium sublimatus collationem suam confirmavit. Harum septem villarum erant tres super Glogonicam, videlicet: villa Cosmae, Poren et Vysumer. In Strazila duae, scilicet villa Proklancza et Sidovina et ibi prope est villa Durbe. Super Raszinam fluvium est septima villa Druse. Metae sunt hae: de territorio Cosmae prima in monte cumulus de terra, qui incipit dividere a territorio templariorum, procedit usque ad fluvim Glogonicza. Ex alia parte dividit territorium Pridanczy a dicto monte. Ascendendo per montem descendit ad rivulum Bridin ac venit ad lacum ranarum et descendit iterum ad Bridin; inde ad montem occurit a parte villae ducissae, descendit in vallem Kusinte et a cumulo descendit in Glogovniczam et ad rivulum Szumech usque ad montem Lippa gora et descendit ad Glogoniczam, deinde ad montem Grades usque terminos Zadrec et ad minorem Glogoniczam, in quem cadit rivulus Strassila, procedit ad montem vinearum et inter vineas per montem ad alium rivulum Strassila, transeundo iuxta Alamnii cumulos usque in Razinam; deinde usque ad terram Vranis, et incipit terra de Dolsa eundo per viam usque ad terram Priodanko, descendit a l fluvium Quopurnice, ad montem ubi est cumulus, a quo incipit terra templariorum usque ad terminos Cosmae. Rex concedit etiam populo villarum eadem gaudere libertate, qua faventur villae templariorum et hospitalariorum, praeterea domui donat praerogativam, ut nullus tributariorum eam aliquo exactionis genere audeat aggravare, neque de rebus et vineis exigere tributum aut aliam pensionem. Domum quoque eiusdem dominici sepulchri in Marchia simili privilegio duxit muniri, quod ei etiam condam frater eius (rex Emericus) contulerat. Datum per manus Roberti albensis praepositi et aulae cancellarii. Inter subscriptos: Calanus quinqueeclesiensis episcopus, Gotardus zagr., Petrus sirmiensis episcopus, Chepanus filius Michal banus et simegiensis comes.

E transumpto capituli chasmensis de anno 1375 et comitis Sigismundi Erdödy bani de anno 1629. Orig. perg. in mea collectione; nunc in acad. Slav. merid.

LXIV. *A. 1207.* Andreas II. rex confert Almissanis simile privilegium sicuti aliae civitates Dalmatiae possidebant.

Lucius. Schwandtner: scriptor. rer. Hung. III., p. 257.

LXV. *A. 1207.* Andreas II. rex ad preces patris Bernardi archiepiscopi spalatensis confirmat jura spalatensis ecclesiae, et omnes ecclesiasticas seu rerum saecularium possesiones, jurisdictiones quoque episcopatuum et quarumlibet ecclesiarum. Subjicit illi ad instar privilegii romanae ecclesiae nominatim

segniensem, nonensem, scardonensem, traguriensem, corbaviensem, tinniensem, farensem et bosenensem episcopatus; item ecclesias s. Moysi et s. Stephani de Salona, cum omnibus pertinentiis. Villas etiam Srenine et Gethe et montem Crassum, villam s. Georgii et Ostrohe. Item ecclesiam s. Stephani ante Spalatum, s. Bartholomaei de Tini, villam Coriza et Lavena et totum regale praedium Byacce et totum territorium s. Vitalis, quod ad idem praedium spectat, non obstante privilegio, per falsi sugestionem impetrato, quod dedit Traguriniis, quando gerebat ducalia. Item omnia molendina in Salona fluvio sint libera ab omni exactione tributi; et omnes sextarios farinae, qui septem analiter pertinebant ad banum, confert ad usum ecclesiae spalat. Item Ziminam et Cethinam, Clevnam et totum Masarum. — Inter magnates subscripti: Calanus episcopus quinqueccl., Gothardus zagr., Stephanus filius Mic banus et comes Simegiensis, Chuz comes Posonien.

Farlati: Illyr. sacr. III., 237.

LXVI. *A. 1207.* Andreas II. rex jurat spalatensibus super sanctam crucem firmam pacem et libertatem; regi, filio ejus aut successoribus ejus tributarii non sint. Episcopum et comitem, quem clerus et populus elegerit, confirmabit. Lege antiquitus constituta cum eorum judice eos uti permittit, praeter quam introitus portus civitatis de extraneis duae partes rex habeat, tertiam vero comes civitatis. In civitate eorum neminem Ungarorum vel alienigenarum habitare permissurus, nisi quem voluntas civium expetierit. Cum autem ad eos coronandus aut regni negotia pertracturus cum eis venerit, nemini civium vis inferetur domorum suarum, judicem extra civitatem proficisci non concedet. Omnibus civibus terra marique et per totum regnum negotia exercere liberum sit, neque ex commercio debitum aliquod nec regi nec homini regio persolvant. Obsides ab eis nullo modo recipiet, sed in curia servire volentibus morandi et discedendi facultatem obtineant. Cuivis e civitate et regno cum uxore et regno emigrare licitum sit. Datum per manus cancellarii Roberti praepositi albensis. Existentibus inter caeteros Calano quinqeeccles., Gottardo zagr. episcopis, Cheffano filio Michae bano et saguriensi comite.

Kukuljević: Jura regni I, 40. Fejer: Codex dipl. Hung. T. II., p. 118. Signatum bulla aurea. Liber pactorum reip. venet.

LXVII. *A. 1207.* Andreas II. rex jurat super s. crucem Almisanis firmam pacem et libertatem. Ei aut filio suo et successoribus eorum tributarii non sint. Episcopum et comitem, quem clerus et populus elegerit, confirmabit et lege antiquitus constituta cum eorum judice eos uti permittet. In civitate eorum neminem Hungarorum aut alienigenarum habitare permittet, nisi quem voluntas eorum expetierit. Cum ad eos coronandus aut cum eis negotia regni pertracturus venerit, nemini civium vis inferetur domorum suarum nis; quem soli susceperint. Judicem inter eos et extraneos a se constitutum in civitate sedulo morari permittet. Si quis eorum per ejus regnum terra marique negotia exercuerit, regi aut alicui ejus hominum ex proprio commercio nullum persolvet debitum. Obsides ab illis nullo modo recipiet, sed in curia eius servire volentibus rogam impendet, et morandi sive discedendi ad suum velle facultatem optinebit nullaque eis super hoc molestia inferatur. Si dominium regis aliquem aggravare videbitur, et ex ejus urbe exire voluerit, secure cum

uxore et filiis et familia et omnibus bonis suis quocunque sibi placuerit eat. Haec omnia sine fraude et ingenio observabit.

Wenczel: Mon. Hung. historica. Codex Arpadianus. I., p. 93. Signatum aurea bulla. Ex libro privilegiorum communitatis almissanae. MSC.

LXVIII. *A. 1208., 21. Martii.* Tempore perturbationis et diebus malorum, in quibus civitas Jadertina solotenus prostrata est, necessitate cogente ad capellam S. Petri apostoli fundatam in loco Bubiani, quae quondam fuit monasterii S. Dimitrii, in quo parvus grex (monialium) Deo famulabatur, confugerunt Dragasa, Girda, Premilla et Dabrosa moniales et quaedam aliae, quae jam carnis viam ingressae sunt, volentes in eodem loco Christo servitium exhibere, sed propter instans schisma, quod ortum est inter potentes Slavoniae, multa et gravia incommoda ab omnibus quotidie perpessae fuerunt. Erant tunc sine rectore, et usque ad unum non erat, qui eis faceret bonum. Accesserunt tunc ad patrem Dominicum abbatem S. Damiani de Monte et fratres eiusdem monasterii, rogantes ut eis subveniret, qui habito fratrum consilio suscepit illas in consortium fraternitatis suae, pollicens eis, tam in victualibus quam et indumentis et omnibus necessariis, prout sororibus suis, providere; ideoque de communi voluntate fundatorum ejusdem ecclesiae s. Petri, scilicet Sloviniae et Grubessae filiorum Boricii, Radoslavi et Dragoslavi filiorum Stephani, Grace Binboli filii Polissi, Jurgii filii Radosti, Nicolae et Prodanizi filiorum Dominici tradiderunt ipsam ecclesiam s. Petri monasterio s. Damiani in perpetuum. Praesentibus: Bartholomaeo episcopo scardonensi, Mirco, Desidrugo, Stoyano, Negoso, Dragovano praesbyteris, Duymo Mogorovikio, Tartaro Chlevniano, Chodimiro Cacicli, Sutroso, et Slavomiro Lisnicikig, Privoso et Trebeso Virevikig, Stroyco, Dalmozaymo, et Uste Cuddomirikio; scriptum a Vitale s. Petri veteris plebano et jadrensi notario.

Farlati: Illyr. Sacr. T. V. p. 70. Cf. supra nr. LXII.

LXIX. **Rivoalti,** *mense martio 1208.* Roberto, Petro, Johanni atque Andreae filiorum Rogerii Mauroceno, quondam comitis absarensis, conceditur a dominio Venetiarum carta concessionis de comitatu Absari cum insula Leporaria et Auriola et Seracana, cum omnibus redditibus et honorificentiis ad dictum comitatum pertinentibus. E converso obligant se Robertus et Petrus, comitatum et insulas regere, conservare et defensare ad utilitatem dominii Venetici sine eius auxilio, contra omnes, exceptis coronatis personis et eorum exercitu manifesto. Insuper solvent omni anno communi Venetiarum libras denariorum veneticorum 400 Ad haec observanda praestitit pro tunc sacramentum Petrus, donec frater eius Robertus venerit in Sclavoniam vel in Venetiam infra tres menses de custodia, qua tenetur. Cum duo juniores fratres Johannes et Andreas non habuerant adhuc legitimam aetatem, receperunt comitatum solummodo dicti duo seniores. Petrus Mauroceno cum scribere nesciret, pro se scribi et signum facere rogavit. Testes: Joannes Juliani et Stebhanus Enzo.

Ljubić: Mon. hist. Slav. I. p. 24.

LXX. **Molficti,** *mense maio 1208.* Cives Molficti civitatis concordarunt mutuam dilectionem et consanguineitatem cum civibus Ragusii; et statuerunt, quod nec Ragusini in Molficta plazam tribuerent vel scalaticam, nec Molfictenses Ragusii plazam vel scalaticum, et familiam vel ancoraticum. Privilegium

hoc, ante 60 annos reciproce factum, renovarunt Aecarnus episcopus molfictensis cum omnibus civibus.

Ljubić: Mon. hist. Slav. mer. I. p. 26.

LXXI. **Anagniae,** *11. Junii 1208.* Innocentius III papa mandat archiepiscopo ragusiensi et archidiacono traguriensi, ut sententiam excomunicationis in episcopum Nonensem latam, irritam denuntient, cum fratres militiae templi de Vrana (Urania) ei significaverint, quod cum ad episcopum tinniensem contra nonensem papales litteras impetrassent, idem nonensis amicabiliter super iis, de quibus inter ipsos quaestio vertebatur, composuit cum eisdem; tinniensis autem episcopus praefatum nonensem, contra quem rancorem conceperat, eisdem fratribus nescientibus propriae voluntatis arbitrio excommunicavit.

Theiner: Mon. Slav. merid. I., p. 44.

LXXII. **Almissae,** *20 junii 1208.* Sebenna comes Almissae una cum fratribus et propinquis suis, cupiens reformare . . . (pacem?), transmisit Sincam fratrem suum nobili viro L. Querino ragusino comiti, qui S. coram eo pro eis pacem habere juravit, et quae Venetis citra festum s. Lucae ablata forent, reddere constituit. Misit etiam farensem episcopum qua legatum ad ducem Venetiarum Petrum Zianum, ut ea, quae acta fuerant cum dicto comite, ei notificaret et ipse confirmaret, quod ille etiam fecit. Placuit ad haec duci supradicto mittere ad eum Suauum plebanum s. Joannis ev. qua nuntium, ut pacem cum eo statueret et confirmaret, quem laete suscepit, volens eius voluntati parere cum voluntate omnium suorum propinquorum et totius populi sui dominii. Et hoc firmant ipse comes Sebenna et Desislaus, Rados, Dragan, Bogdanus et Sinca comites. Savinus, Maurus, Sifante, Damianus, Gervasius, Mathaeus Ragusaeus, Chodina, Gardogna, Braynech, Tulcus, Poelad, Drasizoto, Mathaeus Catarinus, et jurant firmam pacem et amicitiam semper observare, promittentes quod nunquam velint Venetos per mare molestare a Samsico usque Venetias et a Fano etiam usque Venetias. Huic testes praesentes: dictus episcopus farensis, presbyter Otto venetus, Nichola jadertinus presbyter, Stancius, diaconus Dragogna, Mathaeus Marinus, omnes tres de Kerso, et multi alii.

Hormayr: Geschichte Tyrols I. Th. p. 212. Fejer Cod. Dipl. Hung. T. VII. vol. 5. p. 172.

LXXIII. *1208. 3 julii.* Georgius rex Diocleae etc. et Bladinus frater eius et Stranco et Petruslav consobrini ejus, jurant Petro Ziani duci Venetiarum, quod terram, quam nunc habent, et illam, quam acquirent in antea, tenebunt per eundem ducem et suos successores; et quod in omni districtu eorum homines dominii Venetiarum erunt securi in personis et rebus. Et si Demetrius se non converterit ad fidelitatem ducis, si a duce solicitati erunt, praestabunt ei contra illum auxilium Amicos autem et inimicos Venetiarum pro suis amicis et inimicis habebunt.

Ljubić: Monumenta hist. Slav. merid. I., p. 27.

LXXIV. **Jaderae,** *mense Septembri 1208.* Viola monialis s. Mariae, quondam abatissa s. Dimitrii, post desolationem civitatis Jadertinae, cum non esset aliquis, qui de voluntate ducis Venetiarnm in ea quiesceret habitare, relicto parvo

ovili suo divertit ad civitatem arbensem, ubi in monasterio s. Andreae permansit; sorores autem illius confugerunt, bonis omnibus expoliatae, ad ecclesiam s. Petri in Bubiano, capellam sui monasterii, et ibi miseram vitam ducentes per aliquod tempus manserunt. Cumque Deus Jadertinis facultatem reddeundi ad loca propria tribuerit, et sorores propter fervens schisma, quod inter nobiles Slavoniae ortum fuerat, diurnis et nocturnis efficerentur incommodis, et nullam reddeundi facultatem ad ecclesiam s. Dimitrii haberent, quae a quibusdam Jadertinis habitabatur, illustrissimus vir Domaldus comes, capituli et populi consilio habito, optulerunt eam monasterio s. Damiani de monte habendam in perpetuum, cui etiam sorores illius cum praedicta capella sua sponte se subdiderunt. Caeterum cum civitas praedicta de die in diem in melius cresceret et dicta Viola multis indigeret, rediit et illa; et cum quaereret ecclesiam suam pro voluntate capituli et Vitalis Danduli comitis et totius communitatis nequivit illam habere, cum Benedictus patriarcha gradensis eam monasterio s. Damiani tradidisset, Viola autem benigne et misericorditer a Talia s. Mariae abbatissa, cum sororibus suscepta, cum ibidem maneret ad exhortationem capituli et communitatis, Dominicus abbas s. Damiani ad sustentationem illius tribuit ei XX perperos et pro illis, quas illa secum eduxerat e monasterio s. Dimitrii. Ideoque ipsum monasterium in perpetuum reddit securum, nullamque loquellam vel rixam contra eum et fratres ipsius excitaturam. Actum in praesentia Mathaei presbyteri s. Mariae majoris, praedicti S. Stephani, Manfredi s. Michaelis plebani, Crisogoni presbyteri s. Anastasiae, Camosii diaconi, Cossae Grisogoni, Michae Pecenegi, Dessae de Pezze, Vitaza Petrizii, Nicolai de Lampredio, Leonardi de Ossinico, et aliorum multorum. Scripsit Vitalis s. Petri veteris plebanus et jadrensis notarius.

***Farlati**: Illyr. sacr. T. V., p. 71.*

LXXV. **Jaderae,** *21 Marti 1209.* Temporibus Petri Ziani ducis Venetiarum, Leonardi jadrensis archiepiscopi ac Petri Michaelis comitis Coscia Gregorii, commissarius Bonae filiae Madii, consanguineae suae et eius haeredum, una cum Gabriele Quirino viro Inglese genero ejus, post multas contentiones, quas habuerunt cum Drasce Balbo et cum ejus sororibus, Agape et Dabrizza, de terris de Jimano, venerunt ad convenientiam pacis in hunc modum: quod medietatem Dragae Bona et alias (partes) Drasce et sorores suae habeant et possideant. Actum in praesentia Cosce, Crisogoni Dimine, Martini Lampridii de Valentino et Dimine Scidani. Scribit Vitalis s. Petri veteris plebanus, jaderensis notarius.

In collectione mea antiqua. Privil. Bibl. acad. Slav. mer. Zagrabiae.

LXXVI. *A. 1209.* Andreas II rex considerans fidele servitium hospitum in villa Varasd commorantium, quod ei fideliter, dum in Kene detineretur in carcere, exhibuerant, eis ad petitionem Poch palatini et comitis musuniensis perpetuo jure contulit statum libertatis, ac terram circumdatam undique metis praecepit eis assignare. Libertas autem haec est: quod comes vel suus comes curialis non habeat potestatem eos judicandi, sed inter se quemcumque volunt judicem constituant, quem ricthardum solent appellare. Nullus burgensis tributum aut tricesimam soluere teneatur, nisi qui vadit in Teutoniam cum suis mercimoniis de quolibet curru ponderato solvet tres denarios; de singulis

equis venalibus duos denarios, a duobus bobus 1 denarium; de tribus porcis 1 denarium. In portu Dravae de quolibet curru 1 denarium. Si quis haerede carens decesserit, libere disponat possessionem suam, sive ecclesiae sive cuilibet suorum cognatorum. Si quis voluerit de villa discedere, venditis omnibus aedificiis libere possit abire. Quicumque per aliquem extraneum in rebus suis damnum pateretur, et idem malefactor ab eodem burgensi in villa sua recognosceretur, rictharus eiusdem loci inter eos faciat iustitiam. Metarum autem prima terrae Iwancz incipit ab oriente et tendit versus meridiem et arborem nyarfa, et procedit usque ad aquam Plinz infra capellam s. Petri; in occidente venit ad rivulum Blizna, vertitur ad meridiem ad quamdam vallem et ascendit ad magnam viam, per quam itur ad Thoplich, ubi tenet metas cum Zelko et cum terra Thoplich; inde tendit ad montem, qui dicitur Pechyze, ubi sunt cavernae in eodem monte; progreditur versus occidentem usque viam levatam, ubi tenet metas cum Wekozlau et cum Burdon in quodam loco aqueo; ad aquilonem pertransit pontem muratum et duos lacus, conterminatur villae episcopi, et tenet metas in ea in quodam lacu, versus meridiem cadit ad fluvium Plinz, exit ad viam levatam, et per eandem cadit in aquam Breznicze, ad occidentem conterminatur villae Berac; inde ad caput aquae, ubi cum Radomer tenet metas; in aquilone cadit ad aquam Plincz, conterminatur villae Domse; deinde tendit ad magnam viam, per quam itur ad terram cruciferorum; in aquilone itur ad dumum Coruli; inde ad magnam viam, per quam itur ad Teutoniam; inde ad metam arboream, ubi est commetaneus Iner jobagio castri; deinde ad portum Dravae, per quem fluvium magnum circuit insulam, quae dicitur Zrepiczar, quam nunquam aqua separare possit ab hospitibus; per maiorem cursum fluvii magni venit ad praedictam villam Iwancz, in qua gradiens conterminatur primae metae. Prestaldi regis: Gurdon de castro Grebin et Zelko terrigena de villa Pliticze. Datum per manus magistri Thomae aulae cancellarii. Existente Stephano episcopo zagrabiensi, Zacharia comite varasdiensi.

Kerchelich: Not. Prael. p. 188. Mea: Jura regni I. p. 41. Monum. Hung. hist. VI, 125.

LXXVII. *A. 1209.* Andreas I. rex. recordans, quod comes Wratislaus tempore, quo ducatus fruebatur dignitate, quando inter eum et fratrem Hemericum regem discordia vertebatur, ob fidele servitium, quod ei exhibuit, non modicam jacturam tam domus suae combustae, quam rerum caeterarum, praecepto dicti fratris et regis, passus fuisset; denique susceptis regni gubernaculis ad praesentiam regiam accessit, rogitans ut patrimonium suum et fratrum suorum cum omnibus praediis et possessionibus suis sub tenore privilegii corroboraret, praebens auditum petitionibus dedit in mandatis Bank bano, ut terram et possessiones Wratislai diligenter inspiceret. Qui banus per regium pristaldum et suum capellanum Cyprianum de meta ad metam possessiones inspicere curavit, praesentibus pluribus castrensibus et canonicis zagrabiensibus, nullo prohibente aut contradicente. Rexque possessum confirmat, concedens ei libertatem, quod nullus banus, nullus comes, sive quilibet alius, super illam terram, nisi ex bona voluntate possessoris, descendere praesumat. Metae autem hac sunt: Prima meta praedii Dobra incipit a Sava et tendit ad lapideum portum, inde per varias metas arboreas ad cacumen montis,

ubi metatur cum terra ecclesiae zagrabiensis et vertitur ad locum Calz, inde ad rivum; inde ad ecclesiam omnium sanctorum, inde ad rivum Stndenz, inde ad Savam; ab ecclesia oo. ss. dividit Wratislav terram suam, quam absque consangvineis possidet. Ibi etiam habet praedium pro se, ubi est ecclesia S. Martini, cujus praedii meta incipit a Sava, et tendit usque ad Crapina, deinde ad Gypka; inde ad verticem montis Zelemen. Praedii Poloniza, ubi Vratislaus comes aedificavit ecclesiam s. Nicolai, prima meta est versus occidentem aqua Crapina, inde ad rivum Ded potoka, qui descendit de monte Ursi (Medved), ubi dividitur a terra fratrum suorum. Frater Petus habet praedium nomine Lubenic infra metas s. Nicolai; Dobucha vero et Berislav fratres comitis habent praedium Bistra, cujus meta incipit penes Crapina et tendit usque ad rivum Jerana, inde ascendit ad montem Ursi. Vratislaus habet etiam praedium iuxta Crapina nomine Cherniz, cuius meta est iuxta aquam et tendit ad rivum Kamna, inde ad magnam viam, quae venit de calida aqua, et vadit ad Pritiskam. Aliud praedium Vratislai Ztubiza, ubi aedificavit ecclesiam s. Georgii, cuius meta, quam ostendit metarius Nesdist pristaldo, incipit ad arborem abietis, et vadit ad rivum Cladnik; deinde ad Topliza; inde ad montem; inde meta arborea, quam ostendit metarius Nisk, et alia quam monstravit Nomoy; inde ad metam Martini; inde ad locum Holm; inde ad magnam viam, quae dicitur Torda (tvrda) via, inde ad caput rivi Cassina; inde ad locum Planina, inde ad locum Dubiza: abhinc ad caput Vidak, et revertitur ad primam metam. Aliud praedium Bistricza habet Vratislaus, cujus metas monstravit Petku, incipit ubi Sitomeria cadit in Crapinam; inde iuxta aquam ad rivum Zdeed; inde ad locum Claz; abhinc ad Globouecz; et per montem, vineas et metas arboreas ascendit ad magnam viam, deinde vadit Bystrizam, ubi est magna meta, et transiens aquam ad vineam et caput rivi ad cacumen montis, deinde revertitur ad domum Martini; vadit ad caput rivi Lubenik, et ubi idem cadit in alium rivum, vadit ad locum Calze, et ad locum ubi rivus cadit in Crapinam. Cosina autem frater Vratislai habet terram et praedium Pihina in loco, ubi dictus rivus cadit in Crapina, quam metam monstravit Nemog et vadit ad locum Zavej, et per varias metas ad aquam Pichina; inde ad montem, ubi coniungitur metis Vratislai, quarum fuit metarius Cuplen. Vratislaus habet quoque praedium Horsovcz, cujus meta incipit ad rivum Zelnik, quam monstravit Boyla metarius, et vadit ad caput Zelnik, ubi fuit metarius Gerizlav; et porro arboreae metae, quarum metarius fuit Bolarin, vadit ad rivum Lucilnica ad metam domus Crisan et cadit in Crapinam. Aliud praedium Vratislai Plesiviza incipit ad caput Javoroz, et tendit ad Lipovz, deinde ad Drenez et ad caput Brigana, et revertitur ad primam. Habet Vratislav et praedium Horonguza inter Zavam et Cherniz, quod est commune fratribus, cujus meta incipit apud Drenec, metarius fuit Baran, inde ad Zavam. Vransa etiam cognatus W(ratislai) est particeps praedii, Toma vero et Petrus fratres Wratislai habent praedium Otok, metarius Zobola, meta vadit ad rivum Biztua, inde ad rivum Pioisa, inde ad Mlacam et Savam. metarius Crisan. Troceil frater Wratislai habet praedium Orehovez iuxta Savum. Stephanus habet praedium Poiatna, metarii sunt Uresc, Berislav et Posdis. Strizmer habet praedium Lipouz; metarius Martinus, Berislav et Drascy. Datum per manus Thomae v. cancellarii. Bertholdo colocensi electo. Calano

Quinqueeccl. Gothardo zagrabiensi, Bank bano, Moche posoniensi, Ochuz suproniensi.

Tkalčić: Mon. episcopatus zagrab. I. p. 17.

LXXVIII. *A. 1209.* Andreas II rex agnoscens, quod Bela rex pater ejus Bartholomeo comiti (de Veglia) terram in Banatu tali libertate contulerit possidendam, ut eam, si filio caruerit, cuicunque de consangvineis suis relinquere possit, modo eadem liberalitate admittit ad petitionem ejusdem Bartholomei, ut eandem terram nepoti suo comiti Guidoni de Vegla iure perpetuo possidendam tradere possit. Datum per manus Roberti aulae cancellarii; subscripti inter caeteros: Calanus episcopus Quinqueeccles, Guthardus zagrabiensis, Banco banus, Ochuz supruniensis comes.

Wenczel: Cod. diplom. arpadianus XI, 95. Originale pridem in archivo regnic. zagrab. nunc Pestini.

LXXIX. *A. 1209.* Andreas II rex agnoscens, quod regia celsitudo hiis potissimum opera misericordiae propensiori cura debet impendere, qui et crucem salutiferam et sepulcrum dominicum contra paganos effusione sanguinis confovent, considerans igitur miliciae templi religiosam devotionem et assiduos labores contra Christi hostes, duxit omnes templarios, qui infra regni terminos, et tam in Dalmatia quam in Chroatia, et omnia eorum bona mobilia et immobilia contra quemlibet hominem protegere. Constituitque, ut nullus banus vel banilus vel aliquis alius descensum vel aliquod tributum, vel collectam, vel liberos denarios, sive marturinas, vel denarios ponderis, vel exaccionem aliquam, sive aliquod onus, a fratribus templi et eorum jobagionibus ac hominibus pro quibuslibet rebus exigere praesumat. Confirmat quoque omnia illis a praedecessoribus suis collata privilegia, sicut illa et rex Hemericus frater eius confirmaverat; scilicet villam Pisana in comitatu Gorc; cujus meta prima vadit usque Belox et deinde in Cuthinam usque ad pontem Chaoval, postea ad Jamitha, sicut via regis est, ad Banc et de Banc usque ad Noac, et sicut est via, quae ducit ad fontem iuxta Gustunt. Terrae vero de Cuthina meta est: per rivulum de Wolchenis ad montem usque ad magnam viam. Iobagiones etiam et omnes homines, quos habebant tempore magistri Gaufridi, Marcel et Kalani bani, tam in Dalmatia quam in Croatia, sicut Bela rex eis concesserat, confirmat. Villam quoque Cupam, quam ex concessione Belae regis comes Wolchis erogavit; pro qua villa ex parte regis fuit pristaldus Petrus frater Georgii Moici eo tempore vice regis iudicis, et Jurk de Brichina pristaldus dicti comitis. Hi sunt testes super hoc donum: Michen pater Wolchete de Belina et Bramtho de Boniche et Brisano centenarius. Insuper confirmat quoddam praedium Haco, quod illis dedit comes Gutimerus, qui erat comes Gorre, et ex concessione regis Stephani, qui eodem tempore regnavit. Pristaldus fuit Johannes de Drawa et comes Burili de Gorice. Forum etiam, quod eis pater Bela rex pro luminari ecclesiae b. Mariae dedit, confirmat. Insuper quamdam terram civilium in comitatu de Gora cum suis hominibus confert, cujus metae: prima publica strata, quae via exercitus dicitur, tendit ad Treztenic; deinde ad viam antiquam cementario opere supereffusam; deinde usque ad Cepeni et ad fluvium Glina cum utraque eiusdem ripa. Adjungitur deinde terrae Bris, tendit ad Lipechena et revertitur ad dictam muratam viam. Hominum nomina sunt:

Oche, Budil, frater ejus Slanem, Drasila, Wasete, Wolche; qui nulli servire tenentur nisi fratribus, et immunes sint omnium exactionum et collectionum, quae per Slavoniam habentur, sive pro necessitate ducatus imponentur. Dat quoque villam Cresseno, quam pater eis contulerat, et villam de Tresina, cuius metae: flumen Cremekysa, vadit usque ad Cupam, ex alia parte magna via regis, quae vadit Zagrabiam; ex parte Boniche usque ad Cupam, superius mons, inde ad locum Selath. Civitatem vero Scen, quam illis rex Bela contulit, cum pertinentiis et ecclesia s. Georgii in eiusdem civitatis territorio, quam Petrus archiepiscopus Saloniae dedit, confirmat. Villam quoque Glogonice, quam Prodanus zagrabiensis episcopus sua pecunia emit, et rex Bella concessit, etiam rex concedit, cujus meta incipit de rivulo Zelina, qui fluit in aquam Glogoniza, et ducit ad metam Cuthe et per silvam ad metam cuiusdam proceris Vinislav et ad viam, quae ducit ad locum Crisiensem; inde vadit ad Zopoc per silvas et fluit aqua, quae vadit in aliam aquam Vertilena et transiens montes ad viam Rostinaz, inde ad minorem Vertilena usque ad viam, quae ducit ad Kemyheth, et per montes et valles itur ad terram Veysa, ad aquam Zelna, et terras Batha, Bocko et Cramca quas rex Hemericus dederat fratribus. Quarum metae prima prope Dumbovach (Dubovac) inde in Glonice aquam ad terram Logdon, per montem descendit in Grazenam aquam; a latere montis ad pothoc Liscoviche et descendit ad Copronice et per montes et varias metas ad terram, quae dividit terras templi et sepulchri, per viam ad foveam, quae slavonice Kalicha nuncupatur. Villam quoque Esdel (Zdelja), quam banus Boricich de Bosna pro remedio animae suae domui miliciae templi e concessione Stephani regis et munimine Belae regis contulit. Terram etiam quam ejusdem Boricii nepotes domui dederant. Terram etiam s. Martini a castro zagrabiense exemptam in puram dedit elemosynam. Templariis, licet eandem terram Crakoni Valpo, cum adhuc fidelis existeret, donasset, versa autem fide et caput et omnia propria infami fraude perdidit. Hujus terrae prima meta est: Prelistia per rivum Oriconox descendendo ad Licoos, deinde ad Cuchia, hinc ad Schernet magnam, usque dum cadit in Polica, de Polica in magnam Schernet et inde in Zelina, ubi est terra episcopalis, inde ad parvam Chernet, ad Terbensapole, inde ad Choren; dein ad Lupoglave, ad siccam Loignam iuxta terram Petconis, de sicca in magnam Loignam, et iuxta terram Philippi usque ad magnam viam, quae ducit Zagrabiam; deinde iuxta terram Hertconis ad Babina gora; inde ubi Bogorod cadit in Zelinam; inde per medium Clenoyze vadit ad Dumbro, deinde ad Chernichina et cadit in Glovice et in Chernecz; per silvam protenditur in Cassina. His metis circumscriptis iubet illos rex in possessionem induci per comitem Vanleginum conturbenarium Banconis bani. Praeterea ad petitionem fratris Cononis dictae domui templi dat servitium duorum hominum liberorum de Gora, quos a communi servitio sex generationum excipit, videlicet Velizlaum et Chudislavum, ut servitium pro rege vel bano teneantur. Caeterum sicut rex Bela templariis per totum regnum dedit singularem libertatem, ut a nullis invadantur hospitibus, nec banus, nec aliquis alius in illis praesumat hospitari, ita et ille confirmat. Hoc privilegium communit rex aurea bulla. Datum per Thomam praepositum albensem et aulae cancellarium; subscriptis inter caeteros Calano episcopo quinqueecclesiensi, Gothardo zagrabiensi, Bank bano, Ochiuz suproniensi.

Tkalčić: Monumenta epp. zagrab. I, 20.

LXXX. *A. 1209.* Andreas II rex nobilibus Croatiae: Albus (Bela) Slavogost comiti de Corbavia et Dragoslavo concedit privilegium sub bulla aurea sui patris regis Belae, qui pro eximiis servitiis dedit illis terras Possedaria, Suerdlac, Sevellata, Brisniza, Jamma, Loqua, Budalia, Mircha, Zachlum, Nova, Bletchyane, Jutra. Testes: Thomas banus, Nicolaus filius, Borch palatinus.

Ex originali dominorum de Possedaria. Bulletino di archeologia e storia Dalmata (Notae Joannis Lucii) anno V. N. 2. Febrajo 1882.

LXXXI. *A. 1210.* Andreas II rex commendat memoriae laudabilem fidelitatem Domaldi comitis de Subenig, filii Saraceni comitis, quia cum quidam principes Hungariae adversus eum machinantes consilium in Graeciam ad Geychae cartas et nuntios transmisissent, ut et illos in Hungariam venientes, eorum consilio et auxilio adiuti, regnum usurparent, Domaldus cognitae perfidae legationis tenore, ipsos nuntios cum iam Spalatum pervenissent, coepit et ad regem una cum cartis suis compeditos adduxit. Ideoque terram Zetinam et Tril cum omnibus pertinentiis eidem Domaldo et haeredibus in perpetuum donat. Cuius terrae metae: ab oriente Chrisova, Cameniza et Ymot, Sutozel, inde versus mare ad Wrulas; inde ad Zernounizam; inde ad Stilpez (Stlpec), inde ad Zer usque ad Stiber puz (put?); inde currit ad Prel, ad Jaxim, ad Laeten, a Crabonala Cameniza, ad Zavalam usque ad Beloy.

N. R. A. archiv. regnic. zagr. fasc. 483, Nr. 31. Nunc Pestini.

LXXXII. *A. 1210.* Andreas II rex agnoscens multiplicia et diversa servitia Domaldi comitis de Scibenik, filii Saracheni, donat eidem Domaldo et suis haeredibus terram Chetyne et Tryl cum omnibus suis pertinentiis, eundemque per pristaldos suos Ulricum Teutonicum et Sclovignam introduci facit.

Kukuljević: Jura regni CDS. I, 44.

LXXXIII. *A. 1210.* Andreas II rex considerans sacrae militiae templi religiosam devotionem et assiduos labores, quos ab hostibus crucis Christi incessanter perferunt, terram Lesnissa de comitatu de Posega exceptam, quam Chepano Bachiensi et palatino comiti primitus contulerat, et ipse regio consensu militiae templi in testamento erogaverat, eidem militiae concedit et confirmat. Prima meta terrae incipit a loco Starsa et tendit ad fluvium Dobrareka usque dum cadit in fluvium Lesnissa et usque quo ea cadit in Zovam; Zova vero inferius descendit usque ad Tortina; in aquilone vadit usque ad torrentem Wieperyell, protenditur usque ad viam Ban; deinde ad collem magnum Pizun, inde ad collem Scelemen, unde revertitur ad Starsa. Sicuti comiti palatino Chepano concesserat, quod omnes homines super eandem terram habitantes, regi sive bano in marturinis vel aliis fiscalibus accionibus solvere tenentur, sibi soli et post eum suis haeredibus solvere annuatim, ita pro remissione suorum peccatorum concedit rex nunc militiae templi. Super hanc donationem dedit rex duo privilegia cera et auro bullata; sed cum fratres templi mittere voluissent ei privilegia pro confirmatione, privilegium auro bullatum non invenerunt, ideo proclamat rex idem privilegium in futuro pro omnibus vanum et superfluum. Contulit etiam rex templariis sicut et Chepano adiunctam terram Racessam Petri filii Thatar, cujus meta incipit penes aquam Lesnica (sic), ubi est via Ducanta, quae descendit de Potus et ducit Rudmam, et in cacumine montis Zoym ad tres fontes, per locum Eruk ad album fagum, et vadit ad tres dumos et ad locum, ubi dum ducatum regeret (rex Andreas), aprum

interfecit ac propriis manibus crucem in arbore incidit, iuxta quem locum sunt tres metae filii Marii, et ducunt ad fontem, cuius rivulus Raconicha vocatur. Concessit etiam illis rex terram, quam Odolla nepos Borichii bani cum ecclesia s. Mariae ibi fundata fratribus domus templi donavit. Terram quoque Wodicha quam templariis Stephanus condam comes de Goriza donavit. Terram quoque, quam eis Damaldus comes in comitatu de Goriza pro remedio animae donaverat. Concedit etiam rex ad pretium fratris Cononis magistri servitium hominum Velislai et Chudislai, qui regi et soli bano a progenitoribus suis servire tenebantur.

Wenzel: Codex dipl. Arpad. T. XI., p. 105.

LXXXIV. **Romae. Laterani,** *22. Januarii 1211.* Innocentius III papa ad petitionem Pontii magistri et fratrum militiae templi in Ungaria praebet assensum, ut commutationem inter eos et (Gothardum) episcopum zagrabiensem super quibusdam decimis et aliis rebus inire possint.

Katona: Hist. crit. V, 123. Fejer: Cod. Dipl. II, p. 104.

LXXXV. **Vigiliis,** *6. Junii 1211.* Vita nauclerus civis ragusinus, coram B. episcopo vigiliensi et imperiali secretario comparens, deponit quaerelam contra aliquos cives vigilienses, qui astrinxerunt eum solvere de anchoratico, arboraticho ac plateaticho, dicens, iam ex antiquo cives Ragusii applicantes litora civitatis vigiliensis nihil solvisse de dictis tributis aut mercibus emptis aut venditis, sicut nec vigilienses solvisse Ragusii. Pro conservatione bonorum morum introductorum tempore Friderici regis et suorum praedecessorum, cum revera extet pactum cum Ragusio, declararunt judices supradicti liberum esse Vitam et quoscumque cives ragusinos venientes Vigilias ab omni exactione. Propterea ordinatum est Bartolomaeo notario communis, ut istam resolutionem ponat in scriptis.

Ljubić: Mon. hist. Slav. merid. I., p. 27.

LXXXVI. *1211.* Andreas II rex manifestando probata in eum creatoris benignitatem, cujus misericordia a tot et tantis fuit periculis liberatus et de exilio ad regnum, de carcere ad solium, mirabillter sublimatus, devotionis voto inductus, monasterium ad honorem beatae dei genitricis Mariae in Toplica duxit construendum, fratribusque clarevallensis domus, ordinis cysterciensis, idem monasterium cum omnibus possessionibus et libertatibus, quibus illud dotavit, contulit. Dedit vero ei in dotem totum comitatum gorensem (de Gora) cum omnibus pertinentiis, praeter pertinentias templariorum et praeter sex generationes cum tenutis, quas ad iurisdictionem castri voluit pertinere. Statuit porro ut ecclesia B. V. M. de Toplica omnia iura comitatus de Gora possideat, quae duces Slavoniae seu comites de Gora antea possederunt. Nomina piscaturarum haec sunt: Ilovenie, Bratchovycha, Lubin, Vustiloygne, Cherneth, Terdeche, Bukovia. Principales autem metae: Toplica, Golina, Bonicha et Podegas ultra fluvium Cuppam, ab eo loco ubi fluvius Crauazcha cadit in Cuppam usque ad terminos Pescenyce, quae est villa fratrum hospitalis, dein Hothina, Strysov, Dossice, Maladece, Brestet, Crastevyze super Savam, Moschenyze et terra Strepiz, Bachus quoque, Peche, Stanko, terra Bodilo, quae est super Glinam, Obet cum suis metis, terra Mogon, Berkis et Chultych, Melinoga, Stresyche, Visoka, terra Rados et Graduner (Gradimir), Jalsevniza, Murta, Brebroviza, Ozelsko, Gradissa, terra Provinja, Chavche, omnes cum

suis metis; in Vernycia et Cherniha et terra Slavoygna et Copachia, insula Bogdan et terra Holdice et Zelobeth et Delym, Gozna et Chava, Ruiske et Cudina et terra Crete, Slaven, Raten, super fluvium Gliniza, terra Godimeri et Stebencha, terra quoque Goztove et fratrum suorum et Riwkova et Leskova et Verkouyla; terra Veychenich et Gaigna, terra Myzeloygna et Vulkan super Vustymaie et Gracheniza scilicet Boylenie, terra de Brochina, ubi sita est prima Grangia de Toplica; insuper Slatygnich, Tersa, Stresigna, terra Cranko filii Hlapoygna, Lochoviza, terra scilicet Musconis, Chernech, quae fuit Lesconis cum portu super Savam. Principaliores redditus, quos rex tempore ducatus sui percipiebat: pro marturinis unaquaeque mansio 24 frisaticos solvere tenetur annuatim. De his exempti sunt saltem quinque: Breminer (Branimir) in Bouicha, Vulkan, Verkis, Bogdan et Goztove. Hi quinque Jobagiones cum nepotibus suis teneantur ecclesiae de Toplica annuatim tres pensas et descensum dare. Porcos regios debet ecclesia de tota terra colligere. Caeteras nominatim adductas praestationes solvant sicut prius duci solvebant. Monasterium hoc regale declaratum est immune et liberum ab omni alia iurisdictione praeter regis iudicis. Abbas vero habet plenariam et irrefragabilem potestatem universum populum suum vel per se vel per suum comitem curialem judicandi, sicut comites de Gora antea judicabant. Existentibus Calano Quinqueecclesiensi, Gothardo zagrabiensi episcopis, Bertoldo colocensi archiepiscopo et bano Bancone bichoriensi qui et curialis est comes reginae. Ochuz supruniensi etc.

Tkalčić: Monumenta epp. zagr. I., 25.

LXXXVII. *A. 1211.* Andreas II rex declarat, quod cum Simon banus, frater Michaelis bani, novo et inaudito genere iniquitatis et nequitiae, adinventionibus detestabilibus crudeliter ac enormiter armatus, una cum suis complicibus, mortis bonae memoriae Gertrudis reginae, consortis regis particeps extitisset, habito communi filiorum et episcoporum ac omnium banorum consilio, universas eiusdem possessiones decrevit confiscandas.

Fejer: Codex dipl. Hung. III. p. 152.

LXXXVIII. **Arbae**, *3. Januarii 1212.* Temporibus Petri Ziani ducis Venetiarum, Prodani episcopi arbensis, nec non Marci Mauroceni comitis arbensis. In palatio episcopi arbensis congregato cum episcopo et capitulo ejus, vir nobilis Albertus quondam Mathaei Gauzigna (Gozinić) tamquam senior stirpis cum omnibus propinquis domus suae exposuit suam magnam erga s. Stephanum devotionem, et orat capitulum facultatem supra Turrim ad eos spectantem et existentem supra Catribum aedificandi unam ecclesiam ad honorem praedicti sancti. Item ut ipse et progenies sexus masculini habeant in eamdem ecclesiam iuspatronatus cum facultate eligendi capellanum per episcopum confirmandum. Episcopus et capitulum consentit petitioni sub conditionibus 1. ut ecclesia sit congrue dotata; 2. si capellanus non eligatur intra sex menses, electio ad episcopum intelligatur devoluta.

Farlati: Illyr. Sacr. T. V., p. 239.

LXXXIX. *A. 1212.* Tempore Bernardi archiepiscopi, Domaldi comitis, Drago nepotis Danne vicarii, Madius filius Jorre, cum Stoje longo et uxore sua, facit cambium? (ganbitum) et more paterno assignat in Hilco eis de terra

sua tres barcos per longum et latum, et insuper addit XX romanatos auri pro finito precio. Illi autem dant ei quandam vineam de XX vretenis ibidem in Hilco possidendam. Testes: Rade Pisaule, Bracco peliparis. Scripsit Sabatius communis juratus notarius.

Orig. in archivo monasterii S. Mariae Jaderae.

XC. **Romae. Laterani,** *19. Martii 1213.* Innocentius III papa significat veglensi episcopo, quod causa, quae inter eum et clericos castri Musculi vertebatur, per exmissos abbatem de Melta, plebanum s. Mariae majoris Jadertinae et archidiaconum veglensem composita sit, qui dictos clericos ad omnia petita exolvenda ei sentialiter condemnarunt.

Theiner: Mon. Slav. merid. I., 46.

XCI. **Rivoalti,** *mense Maio 1213.* Petrus Ziani dux Venetiarum facit plenam et irrevocabilem securitatem Johanni veglensi comiti et suis haeredibus de omnibus, quae ei dare tenebat anno transacto ad festum s. Michaelis, tam pro regaliis quam pro comitatu Veglae et insulae totius atque pro insula de Perviki, secundum cartam promissionis, quam fecerat Rivoalti Henricus Dandulo anno 1199. mense aprilis. Si autem unquam contra hanc cartam tentaret componere aliquid, dux promitit comiti Johanni et suis haeredibus solvere quinque libras auri. Testes: Joannes Vituri, et Henricus Polani, Michael Bonifacius plebanus s. Mariae Jubianici notarius complevit et roboravit.

Ljubić: Monumenta spectantia historiam Slavorum meridionalium I p. 28.

XCII. *A. 1213.* Andreas II rex affirmat, quod licet omnia monasteria cisterciensis ordinis specialiter diligat, monasterio tamen de Toplica, quod de proprio suo fundavit regni sui anno primo, ampliori dilectionis praerogativa teneatur, eo quod clarevallenses fratres inibi convocaverat. Illis itaque contulit totum comitatum de Gora, sicut illum ipse possedit, dum dux fuisset ultra Dravam. Repetit ex suo privilegio illius monasterii libertates et immunitates ac solutiones et praestationes populi. Inter Jobagiones, qui annuatim tres pensas frisaticorum solvebant, nominat Gostve cum parentela sua, Breminer cum parentela, Berkis cum parentela, Vratislav cum parentela, Petrus filius Murta cum parentela et Bogdan cum parentela. Insula solvet etiam tres pensas, Holdi cum parentela, Vlchota cum parentela, Zrepic cum parentela, Berglez cum fratribus ultra Culpam, Zlobez cum parentela, Dilin cum parentela, Nestursa cum parentela, Vicho cum parentela, Hemelcho cum parentela. — Gostve et Petro de Murta, quia abbati Theobaldo legitime servierunt, concessit rex libertatem, ut de suis praediis saltem terciam partem marturinarum solvant. Praedia Gostue: Maya et Stebenche. Praedia Petri: Ielsevnenica, Serno et Celna. Hospites de Toplica singulo anno decem pensas frisaticorum solvere habebant, praeter marturinas, quas solvunt sicut alii. In foro Templariorum de Gora habebant fratres de Toplica medietatem tributi, praeter pisces et peccora et primum denarium. — Existentibus: Bertoldo archiepiscopo colocensi et vojvoda Transil. Kalano quinqueeclesiensi, Gothardo zagrabiensi episcopis, Banc palatino, Martino bano, Alexandro sumuniensi.

Tkalčić: Mon. epp. zagr. I., p. 28.

XCIII. **Albonae,** *24. Februarii 1214.* Temporibus Petri inpani, Pervogna filius Joannis, et Joannes filius Negom et Sabnic Slavogost cum aliis nobilibus

iuraverunt tenere pacem et concordiam hominibus de Arba ita, quod sint salvi et securi in partibus eorum, tam in personis quam in rebus, dehinc ad annos 20 sub poena Bizantiorum 20. Et si aliquis eorum habuerit aliquam inquisitionem contra Albonenses vel hi contra Arbenses, deponant quaerimoniam ante sapientes suos. Et si aliqua pars contra iusiurandum ire temptaverit, aut sacramentum corruperit, vel per vim, sive furto aut per pignorationem, componat aliam partem cum supradicta poena, et pax firma remaneat. Jurant: Petrus vicecomes, iupanus Petrus supradictus, cum ambobus iudicibus Mathaeo filio Slavogost, Bogesila filio Biticha, Ivanaz filius Sedeslai plebanus. Insuper rogant Albonenses, ut si piratae Cazichi eos praedaverint et bona eorum abducerent vel personas, arbenses si possunt redimant eas, per bonam concordiam. Si autem noluerint, ut eos emant, dimitant eos abire. Et si aliquis ex partibus Albonae eos pignoraverit aut ceciderit in manus eorum, debeant eos tenere et bona, quae ablata fuerunt et mittere eis nuntium infra quindecim dies. Consimile facient eis et Albonenses.

Lucius: Memorie di Trau. p. 61 in additamento.

XCIV. *Circa a. 1214.* Andreas II rex mandat omnibus comitibus in Slavonia, quatenus monasterium suum de Toplica custodiant, et a malefactoribus et raptoribus deffendant, quia qui male fecerit monasterio, erit quasi qui tetigerit pupillam eius oculi.

Tkalčić: Monumenta epp. zagrab. I. p. 33.

XCV. *Circa a. 1214.* Andreas II rex abbati de Toplica (Theobaldo) licentiam concessit forum faciendi in Bachusa.

Tkalčić: Monumenta epp. zagrab. p. I, 34.

XCVI. *A. 1214.* Tempore Bernardi archiepiscopi, Domaldi comitis, Thomae nepotis Messagalinae vicarii. Stephanus Ustinna et Drasil, olim filii Ruziune de Hilco, vendiderunt cuidam Duimo terram, quae fuit sub ecclesia s. Johannis de Hilco iuxta vineam eius, pro duobus romanatis et medium pro fine. Testes: Michacius, Lucarus Stresi et Barbatus. Scripsit Sabatius communis juratus notarius.

Orig. in archivo mon. s. Mariae Jaderae.

XCVII. *A. 1214.* Andreas II rex donat Barano decano zagrabiensis ecclesiae in recompensationem fidelis sui servitii terram Cehna (Čhehlinec vel Čulinec) et Wereck castrensium castri zagrabiensis perpetuo iure possidendam sibi et suis successoribus. In possessionem idem introducitur per Martinum banum, qui tunc temporis in illis partibus banatus fungebatur dignitate. Prima meta fuit villa Scepnicha praedii eiusdem Barani decani; deinde versus aquilonem venit ad quandam publicam stratam, quae in illis partibus via regis vocatur, usque dum eadem via intrat in quandam aquam nomine Tornua (Trnava), et per eandem viam derivatur, donec Tornua defluit in Zawam; versus australem partem eadem Zawa circuit omnes alias terras eiusdem Barani. Indulget etiam rex Barano et suis haeredibus perpetuo marturinas centum mansionum de parte, quae regem contigerat, ita ut nullus homo bani ad colligendas marturinas transmissus, super praedictas. C. mansiones de populo dicti decani descendere, aut collectam marturinarum exigere praesumat. Datum per manus Thomae aulae regiae cancellarii et albensis praepositi. Inter pro-

ceres: Kalanus episcopus quinqueecclesiensis, Gothardus zagrabiensis. — Ochuz banus et comes symigiensis.

Tkalčić: Monum. episc. zagr. I, 35.

XCVIII. *1214—1217.* Stephanus magnus iupanus (Rasciae) cum filiis suis iurat comiti Ragusii Johanni Dandulo et toti communi ragusinae civitatis, quod futurus sit eorum amicus et eius filii, donec ei recti fuerint; et si aliquis eorum inimicus fugerit ad eius terram, tradet eum iis; si coeperit eos molestare de terra eius. Tribuit eis libertatem veniendi cum mercimoniis et vendendi et comparendi libere. Slavus non audeat comprehendere ragusaeum sine judicio et si fuerit aliqua causa inter civitatem Ragusii et terram eius, ponentur iudices, uti est consvetudo, et iudicent.

Ljubić: mon. hist. Slav. mer. I, 31.

XCIX. *A. 1215.* Andreas II rex confirmat perennalem fassionem Villermi quoad terram olim reginalem Dravae et Murae interjacentem, sibi per regem collatam et comiti Buzad venditam.

Acta mixta in archivo regni Croatiae, fasc. 516, nr. 45.

C. **Cathari,** *mense Augusto 1215.* Cum pro quodam debito fuissent datae aptagiae (pignora) super presbyterum Michaelem comiti Tupzae, et postquam hoc factum nuntiatum fuisset archidiacono Sergio, qui tunc primatum ecclesiae catarensis tenebat, venit in curiam coram judicibus Drago Potis Basilii cum Petro Potis Triphonis atque Simeonis Junii, coram quorum judicio convincerunt comitem Tupzam. Et iudicatum, quod comes non audeat recipere aptagias super ullum clericum, nisi episcopus vel archidiaconus. Scripsit Junius communis notarius.

Farlati Illyr. sacr. T. VI. p. 436.

CI. *A. 1215.* Bertholdus archiepiscopus colocensis ad petitionem N. electi episcopi zagrabiensis et canonicorum eiusdem ecclesia, confirmat privilegium Stephani episcopi zagrabiensis, in quo ecclesiae et capitulo zagrabiensi confert praedia Sciteh (Sisek) et Odra, Pribisev et Drencina, sicut in magno privilegio Hemerici regis habebatur, non obstante eo, quod eadem praedia in dicto prilegio inter bona episcopalia computentur. Existente Joanne bano Sclavoniae.

Tkalčić: Mon. epis. zagr. I, p. 36.

CII. **Sibenici,** *12 Octobris 1216.* Temporibus Petri Ziani ducis Venetiarum, Venantii arbensis episcopi et Marci Mastropetri comitis Domaldus spalatensis et sibenicensis comes pro se suisque hominibus de Sebenico et Marcus comes arbensis cum tota communitate instrumentum pacis et concordiae perpetualiter habendum fieri jubent, tali modo, quod quidquid offensionis ex utraque parte huiusque extitit, ex toto penitus remittatur, praeter quod homines de Sebenico Marco comiti et communitati arbensi hinc ad festum bb. apostolorum Petri et Pauli primitus venturum centum perperos aureos bonos justi ponderis pro damno ab ipsis facto dare teneantur.

Farlati: Illyr. sacr. T. V., p. 239.

CIII. *Circa 1216.* Comes Bachater in lecto aegritudinis constitutus, tale statuit testamentum coram fratribus minoribus de Gorbonuk, videlicet fratre Nicolao, fratre Cosma et fratre Blasio, nec non Georgio sacerdote ecclesiae

ecclesiae s. Adriani, Tiba comite, magistro Endrey, magistro Herrico filio Mikov, ac consorte sua. Imprimis ob remedium animae suae, fratribus de Gorbonok, apud quos requiem suam elegit, legavit unum equum palefridum zug (?) coloris, 16 cabulos tritici et 32 cabulos vini. Item possessionis suae Alazta legavit filiae suae dilectae medietatem, aliam vero partem consorti suae karissimae pro dote sua. Item possessionem suam s. Dominicum in Zegeria iuxta Scelniche sitam reliquit filiae et consorti suae. Item possessionem magnam Zaragad, quam pro fidelibus servitiis rex Bela ei contulerat, »Ladislao ac Andrea regibus, privilegiorum suorum munimine firmantibus«. Porro terram Crokay et partem de Ruicha, Conzka vocatam, porro terram Poloncha. Omnes terras reliquit filiae et consorti suae. Item terram Luky Zarakad, quae a Stephano filio Ochuz, obligata erat in pignore, legavit Andreae filio Petrus filio sororis suae. Item equum zug coloris legavit filiae una cum sua sella et abena pro vestitu, et alium equum zug coloris legavit pro die subaracionis suae; soceri sponsi sui in die nuptiarum filiae suae reliquit galeam suam et gladium suum. Item diversos equos pey, rufi et zeu coloris reliquit filiae, consorti et zombot servienti. Item cyphum argenteum et cingulum argenteum legavit filiae suae. Item quandam ancillam suam Elenam ob remedium animae suae permittit libertati. Totam vero familiam suam in servili famulatu obligatam reliquit filiae et uxori suae; et quidem relictam Bodolo nomine, Zorcam cum suis filiabus, Dragelka et Kuna cum 5 filiis, scilicet: Cyce, Buden, Budivoy, Georgio et Wlohoyk, filiam quoque Dragelkae nomine Parva; item Denisam cum filio Stephano; item duas ancillas Cywtna (Cvitna) et Cruppa, nec non Mikov fratrem eorundem pariter cum matre Dragna; Malsam, Johannem et Ivan filios Damasa; item Elisabeth filiam Almand; item Zvanimer cum conjuge sua Zuwaycha, et cum tribus filiis Paulo, Zordilo et Danimer; item Zombot et Wolk cum fratre, item Jurk cum filia et Mersa.

Pridem in archivo regni Croatiae Zagrabiae (n. r. a. f. 1675 nr. 1.) nunc in archivo Pestini.

CIV. **Anagniae,** *25 Maii 1217.* Honorius III papa veglensi et traguriensi episcopis significando, quod N. subdiaconus et canonicus spalatensis, apud sedem apostolicam constitutus magistro G. capellano suo proposuerit, cum in episcopum nonensem fuisset electus, quod archiepiscopus spalatensis G. archipresbiterum spalatensem non electum a clero vel a populo expetitum, pro sua voluntate praesumpserit in episcopum nonensem consecrare, et licet tam consecranti quam consecrato a praedecessore suo (Innocentio III) mandatum fuerit, ut se apostolico conspectui praesentarent, quia tamen illi constituti Romae tempore generalis concilii, de praefata re mentione non habita, recedere praesumpserunt, mandat, ut eundem episcopum nonensem se conspectui apostolico praesentandum compellant.

Theiner: Mon. Slav. merid. I, p. 70.

CV. **Cathári,** ***mense Octobris 1217.*** Blasius catharensis episcopus una cum suo clero et communitate tempore regis Radoslavi facit breve Matthaeo de Bovali propter bonum servitium, quod adduxerint caput beati Tryphonis, patroni civitatis, donat ei agrum de s. Theodoro, et concedit, ut ex omni collectione, quae fuerit in civitate, de magna sive minima, una cum filiis suis et haeredibus sint absoluti ab omni datione communis in perpetuum. Ad hoc jurant: **Tryphon archidiaconus cum archipresbytero, presbytero Jacobo et pres-**

bytero Junio communis notario et multis aliis presbyteris, cum Triphone Bolizae et Milesa Dino juratis judicibus civ. Testes: Serga Ludinus, Andreas cath. Marinus Moschae, Joannes Eurici, Joannes, Jacobus et Petrus filius Joannis Dubionis, Junius presb. not. scripsit.

Farlati: Illyr. sacr. T. VI., p. 439.

CVI. *mense Septembris 1217.* Tempore Slavici archiepiscopi spalatensis electi. Domaldi comitis, Mengazae nepotis, Maravennae vicarii, Micatius notum facit, quod de controversia, quae illi erat cum coenobio s. Stephani et abbate Deodato arbitris, episcopo Tragurii et abbate Crana, ita convenerit, ut ille omne jus dimitteret, quod habere posset in vinea supra Calametum, quam Stana uxor Joannis donavit s. Stephano; item in praediis insulae Soltae, quae sunt apud Cernovam; abbas autem quod ei dederit duodecim perperos. Testes: Dragov filius Nicolai, Gregorius Michudus, Debiana Desaze, et Murga. Scripsit presbyter Sabatius, notarius communis.

Farlati: Illyr. Sacr. T. III., p. 243.

CVII. *A. 1217.* Andreas II rex, cum esset in susceptae peregrinationis ad terram sanctam praecinctus, ad petitionem Ciriaci praepositi ecclesiae zagrab. cum canonicis suis, confirmat omnia privilegia, signanter autem metas terrarum et possessionum ecclesiae zagrabiensis. Metae autem fuerunt haec: Prima meta terrae, quam illis rex Bela, pater Andreae donavit, incipit ab oriente juxta quam est aqua Corusca, et ibidem est meta crisiensis. Inde protenditur ad occidentem supra montem, ad metam, sub qua est via, per quam tendit ad aquilonem versus terram Nicolai, deinde ad occidentem ad aquam Camesnice, per illam superius ad metam clavigerorum ad finem montis in aquam Siprach; deinde ad Camesnica, ubi iungitur cum aqua Celnik (Celnic) usque ad fenum Bogdani; inde ultra siccum Celnic ad rivulum Ozchorch; inde superius versus Malinam, inde ad montem et piros iuxta terram Isani; inde per viam usque Bresnicam, et ad sinistram ad locum Vinodoli; inde ad magnam stratam et versus occidentem in vallem et supra ad villam sacerdotis (Popovec?) et ad inde supra viam iuxta vineas Vitalis, ad occidentem et ultra magnum montem ad castrum Gregorii (Gregurovec), et iterum ad montem, ubi est forma sellae; inde ad vallem Peregasce (Pegker), et per quandam viam ad finem montis, qui vocatur dorsum Caprae (kozji hrbet); deinde ad orientem per viam Vorosd supra pontem, et ad vallem ultra rivulum Camescam ad cacumen; inde ultra magnam vallem ad Las et ad viam Petku et ultra sylvam ad vallem, ubi minor Corusca exit; inde ad maiorem Coruscam et per montem versus orientem ad vallem Brestoua et inferius ad Glogonicam, deinde ad piscinam cruciferorum, deinde ad Calissam (Tkalec) et ultra viam per vallem et supra montem ad Sabia loca (Žabja lokva) usque ad metam templariorum et per montem ad rivulum Copronich usque ad metam crisiensem, ubi terminatur cum priori meta. Item terrae, quam nobilis Catar (Tatar) contulit ecclesiae est meta: a porta lapidea versus occidentem ad rivulum Bogaceua, inde per viam ad montem Pescenic, inde ultra sylvam ad rivulum Lubesiza, et per viam sub monte Lubel, super eundem montem tendit ad montem dorsum Caprae, et per viam redeundo ad locum Pethce, ubi terminatur. Meta terrae Topliza, quam Alexius quondam banus contulit, incipit a rivo Globociza et participat metas cum terra Mutimeri comitis; inde ad montem Wlcomerii, ubi protenditur per

viam et per dorsum montis descendit ad vallem, ad »nasum eiusdem montis«; deinde ascendit montem, ubi est via, et ascendendo et descedendo venit ad viam, ubi junguntur metae cum varasdiniensibus et per illam (metam) itur ad magnam viam, et descendit ad acquam Bigne, super ripam Prognibrod, et iungitur metis zagrabiensibus. Terrae Babuch, quam rex Bela, pater Andreae, contulit ecclesiae zagrab., prima meta incipit a cacumine montis, ubi est fons, ibi solent viatores quiescere, hinc in dorso montis per viam ad Bela Bokonia, inde ad Calissam, inde ad montem Ingelowcz, inde per montem descendit ad rivum Prodani, inde ad montem Gremla, et montem Adumoli, et descendit in campum ad rubum in medio viae per mediam sylvam ad Lomka, inde per medium flumen in insulam ad sambucum, et juxta sylvam ad Zavam; deinde ad metam Waratizlai juxta viam ad ecclesiam, protenditur per viam usque Goli verh et per cacumen montis ad priorem metam. Terrae Gremla, quam contulit nobilis Petrus, meta incipit versus orientem et dividit terram cum populo regis transiens magnam stratam et dividit terras cum populo regis et centurione Petro mons Pantelouth versus orientem. Terrae Zawarsia, quam Joannes praepositi C(iriaci) avunculus contulit, meta inscipit a terra filiorum Nicolai iuxta viam per montem ad terram castrensium. Terrae Opor, quam contulit Blasius quondam abbas s. Martini, meta incipit versus orientem in via regia, deinde ad terram civis Cihene, et versus occidentem ad ecclesiam s. Mariae; versus septentrionem ad magnam viam, quae venit de Suseria et vadit Zagrabiam, inde ad fluvium Johan potoka, superius ad terram episcopi, per montem ad viam, a qua descendit ad metam terrae comitis Egidii; per vallem et montem ad fluvium Jelseuch et descendit ad viam. Terrae Casina, quam quidam Wtha cum suis fratribus contulit, prima meta incipit a magna strata per fluvium Casina, ad viam quae ducit in Guinam, quae est meta inter terram Casina et terram templariorum; deinde per magnam sylvam versus montem, qui est iuxta ripam Zavae; inde ad fluvium Johan, ad terram canonicorum, et in regressu ad viam exercitualem, quae fuit prima meta casina; per eandem tendit versus occidentem ad quadrivium, inde per eandem viam septentrionem versus per vallem ad viam et versus orientem usque ad quadrivium; in septentrione transit rivum Zepnica ascedendo usque ad viam, quae ducit ad aliam viam, qua itur ad Wgram et inde ad magnam stratam Podgoriensis praedii, quod Martinus banus contulit, incipit meta a rivo Trstenik potok, qui currit in aquam Gradna, tendit ad locum Gradez; deinde iuxta ecclesiam ad magnam stratam, et per illam ad rivum Gosseva, et per medium campum versus meridiem ad magnam viam ad priorem metam. Terra, quam quidam Zomar filius Dozlai contulit, incipit a fluvio Wlica, ascendit sursum in viam Pomnen usque ad metam Egidii comitis. Terra, quam Vladislaus contulit, incipit a rivo Cosniza, de quo exit Mlaca, inde iuxta portum filiorum Chuale ad magnam viam, quae ducit ad Monoslov, ad metam Scopiza et Selin, ubi sunt sex metae Terra Blata, incipit de fluvio Ocrogluc, qui tendit ad paludem Blato versus orientem, et inde ad terram Cupal, deinde juxta sylvam ad paludem Gluboca Mlaca, et sylva dividit terram Zechi a Blata, quae sylva Wlci log dicitur; inde ad aquam Wlachun; inde ad pontem, in quo pedites transeunt; Brestua Mlaca dividit Blatam a terra Narad, et tendit ad viam Konhod, inde ad aquam Petoisa. Sunt porro terrae, quas Baranus decanus contulit: Resnik, Scepnica, Brest, Sihenek, Werecht et Tarnowa cum

*

terra Cocani et quam Nues bachiensis praepositus ecclesiae contulit, cum insula Preulaca et tribus clausuris piscaturae a Barano decano collatis. In his omnibus praecepto regio procuratorem egit Buzad comes. Insuper episcopus zagrabiensis Stephanus contulit ecclesiae terras Pribisceu, Drencina, Odra, Scisech. Refert praeterea rex Andreas: »Cum ecclesiam zagrabiensem, quod iam dudum desideravimus, dedicari fecimus, et eam in majori dotare non possemus, compacientes suis necessitatibus, et maxime, quod sita sit in regni nostri confinio, has illi libertates concessimus: quatenus universi populi ad eam pertinentes nec bano, nec vice-bano, nec alicui in victualibus vel descensibus, in marturinis, vel in iudiciis vel ulla unquam occasione rei respondere teneantur.« Insuper memoratus Ciriacus praepositus terras suas et suorum fratrorum Quinciani et Bocani Casina cum Blagusa et insula iuxta fluvium Zawa cum terra Tupal (seu Cupal), quam rex eis dedit, et cum praedio Dolsiza cum territorio Bcelich capitulo zagrabiensi contulit. Metae autem terrae Casina sunt: ab occidente a fluvio Liseu, deinde a vertice montis ad quercum, quae est supra ecclesiam s. Petri, deinde terra Budiz, inde descendit in Casinam, et per transitum ascendit ad vineas praepositi; inde descendit in Blagusa et per viam ad montem, ubi iungitur cum meta Bozir; inde per verticem montis ad fagum, et descendit ad fluvium Jasenouiz, qui cadit in fluvium Glavniza, per illam descendit ad magnam viam, ubi est pons, et per eandem revertitur ad primam metam. Meta insulae et terrae Cupal incipit a Zawa et per certas metas de villa Sechi (Čehi) usque ad Narad ad metas Blata; abhinc ad metas Jaroslai et per viam vadit ad Vedridol et terram Wechezlai et cadit in Zawa. Meta in Dolsiza cum sylva incipit versus orientem ab Odra, vadit per Lihciniche (Lekenik?), deinde per sylvam directe ad paludem Obed. Confirmat etiam donationem Egidii (comitis) et annihilat privilegium, si quod in his terris haberet Banco (banus) vel Ochuz (Okić) comes. Datum per cancellarium Ugrinum. Inter praelatos et magnates Stephanus zagrabiensis episcopus; Ochuz curialis comes, Banco banus.

Idem privilegium confirmatum per Henricum III papam 1227 et per regem Stephanum IV. a 1272. Transumptum per capitulum chasmensem a. 1657. per capitulum zagrabiense a. 1767. in archivo capituli zagr. acta antiqua. fasc I. nr. 38. fasc. 55, nr. 1.

Theiner: Mon. vet. hist. Slav. I, p. 73. — Tkalčić: Mon. zagr. II, p. 44.

CVIII. *A 1217.* Andreas II rex, ad petitionem Desiderii episcopi chanadiensis et Ciriaci praepositi zagrabiensis, donat cuidam Egidio, qui a primogenitoribus suis ad banatus dignitatem servitio pertinebat, perpetuam libertatem, ita, ut tam ipse quam eius successores nec bano nec cuiquam hominum ratione pristinae conditionis respondere teneatur, sed cum omnibus haeredibus inter servientes regis computabilis habeatur. Praedia etiam illius confirmat, et quidem: Insula, Crasteniza, Prevlaca, Selin, Chernelec, Rucha, Quiquinik. Metae autem Insulae sunt: a rivo Ztrugna, et desinit in viam, quae ducit in campum Surina, et transit in magnam silvam, et venit ad rivum Mlaca et desinit in pontem Zavnca (Savica), et finitur in magna Sava. Meta terrae Cresteniza incipit in rivo Mertunice et vadit iuxta rivum Zovichka glava, et transit alium rivum Dulga mlaca, et tendit in Savam, ubi finitur. Terrae Prevlaca meta incipit in oriente in ipsa Sava in loco, qui vocatur transitus leprosorum,

ducit in rivum Mertuvica, deinde ad rivum Obonin, et per varias metas arboreas ad rivum Costniza et siccam Costnizam, et ad rivum Mlaca, et ad ripam Ztrugua usque ad Savam. Terrae Selin prima meta a fonte Zlatousti iuxta ecclesiam s. Joannis Babtistae, vadit ad rivum Odra, venit ad rivum secundum dicti fontis Zlatousti et finitur in capite ipsius. Terrae Chernelec prima meta in magna arbore fagi iuxta rivum Jelseuc per montem ad vallem et in viam in cacumine montis, ad magnum hornum et per varias metas arboreas iterum ad rivum Jelschevec. Terrae Rucha meta contermina est terrae Munuzlov, scilicet filiorum Macharci comitis, inde ad Zavam, inde in Lachinam, inde per silvam ad primam metam. Terrae Quiquinik meta descendit a loco in Lomnizam, ascendit ad fluvium Ses, ascendit ad bivium Pomnev, inde in Revicam fluvium, inde per vallem redit in Calnucz. Datum per manus Hugrini cancellarii, Bertoldo colocensi, Calano quinqueecclesiensi, Stephano zagrabiensi episcopis, Bancone bano, Ochuz curiali comite.

Tkalčić: Mon. epis. zagr. I, p. 36.

CIX. *A. 1217.* Andreas II rex, cum esset in exequendo itinere assumptae crucis ad sanctam terram proficiscens, venit Zagrabiam et ad monasterium zagrabiense a s. Ladislao rege constructum, qui terram Sclavoniae sive Banatum ab errore idololatriae ad christianitatem convertit et coronae Hungariae subiugavit, qui etiam in eodem Banatu episcopatum instituit et monasterium s. Stephani regis construxit, supplicationibus episcopi et capituli zagrabiensis, ut omnia privilegia super praediis, possessionibus et libertatibus, tam a s. Ladislao rege, primo fundatore, quam etiam a praedecessoribus suis, praesertim a fratre et rege Hemerico ecclesiae zagrabiensi collata, secretioris et solemnioris sui sigilli, videlicet aureae bulae munimine, confirmaret, grato volens accurrere assensu, habito consilio omnium magnatum suorum, omnia privilegia ecclesiae per cancellarium Ugolinum coram multitudine perlegi fecit, et aureo sigillo suo confirmavit, adjungens porro, ut nullus banus, sive sit de regali progenie sive de magnatibus, praesumat populos ecclesiae coram se in iudicium trahere, aut descensum petere, aut marturinas seu quamcumquae collectam exigere, iniungens bano seu duci pro tempore constituto, quod decimas marturinarum omnium collectarum episcopo plenarie persolvat; decimam etiam omnium tributorum forensium, seu decimas proventus portuum, solvere compellat. Statuit porro, ut populus ecclesiae in nullius foro tributum solvere cogatur. Disponit etiam, »quod licet nunquam moneta regalis in regno Banatus seu ducatus facta fuerit ab aliquo rege«, tamen si a successoribus suis fieri contigerit, quod rex non credit, populus ecclesiae mercimonia sua emendo vel vendendo dare non compellatur pro eadem, nec etiam monetarum aliquod forum episcopi causa exercendae monetae accedere aliquo modo praesumant; si inventi fuerint, in carcere detineantur et omnes res suas ammittant. Datum per manus magistri Ugolini aulae r. cancellarii.

Inter subscriptos Calanus 5-eccles. et Stephanus episcopus zagrabiensis, Banko banus, Ochus curialis comes.

Idem privilegium confirmarunt: Rex Bela IV a 1269 aurea bulla; rex Stephanus IV a, 1272; Carolus Robertus a. 1318, Stephanus dux 1353; rex Ladislaus IV a. 1492.

Tkalčić: Mon. episcopatus zagrab. I. p. 44.

CX. *A. 1217.* Andreas II rex, zagrabiensis dioecesis monasterium per s. Ladislaum regem fundatum, huius largitionis stipendio dotavit: quatenus salinarii super Marisium fluvium constituti de salibus aquaticis eiusdem ecclesiae canonicis nec non episcopo, valens 50 marcas de salibus in loco, qui votur Zegedin annuatim ante festum s. Stephani persolvere teneantur, ac iam dictis canonicis usque Zagrabiam absque omni tributo deportandis, et si eis expedierit venditioni exponendis.

Tkalčić: Monum. episc. zagr. I, 46.

CXI. *A. 1217.* Cum tempore praecepti itineris ad libertationem terrae sanstae et ad componendam discordiam et controversiam pro Jadertina terra rex Ungariae Andreas II legatos suos P. priorem domus hospitalis totius Hungariae et Alexandrum praepositum transilvanae ecclesiae Venetias ad ducem Petrum Ziani misisset, factum est sequens inter eos pactum: Dominus rex debet dare privilegium securitatis et finis, bulla aurea insignitum, domino duci et communitati Venetiarum, quod contentiones habitae de civitute Jadra et ejus pertinentiis perpetuum finem habeant. Insuper debet renunciare canonieo vel legali et utroque juri reali et personali super Jadram civ. Idem privilegium debet insuper auctoritate apostolica muniri. Haec omnia confirmat praepositus et legatus regius sacramento. P. autem prior in habitu suae religionis. Praeterea stabilivit dux cum legatis, quod homines ambarum partium in veniendo et redeundo liberi sint ab omnibus solutionibus, salvo illo quod de rebus suis octuagesimum tam in Venetia, quam in Ungaria, solvere teneantur. Petierunt insuper legati, ut regi concederentur naves ad transportandum, quod dux annuit ea racione, quod navis, quae erit miliarorum 500, debet habere marinarios 50, caeterae autem naves habebunt competentes marinarios plures vel pauciores, secundum rationem magnitudinis vel parvitatis earum; et rex debeat solvere pro navibus 500 miliarium 550 marchas argenti monetae Venetiarum; si navis maior fuerit, plus solvetur, si minor minus; sed nulla tamen erit minor, quam trecentorum miliarium. Naves debent esse paratae usque ad festum beati Jacobi et ibunt Spalatum recepturae dictum regem et suos cum rebus suis et equites, ad portandum eum ultra mare.

Ljubić: Mon. hist. Slav. merid. I., p. 29.

CXII. *A. 1217.* Andreas II rex concedit libertatem Tragurinis, ut in nulla causa debeant respondere, nec Domaldo (comiti spalat.) nec suo filio, nec alicui alteri personae. Praecipit insimul dicto Domaldo et suo filio et eorum hominibus, ne in futurum molestent praedictos cives, nisi velint incurrere regis indignationem. Comendat etiam magistro domus templi, ut cives defendat contra praedictos comites. Datum per manus Ugrini aulae cancellarii.

Lucius: Memorie di Traù. p. 29.

CXIII, *A. 1217.* Frater Pontius de cruce, humilis magister militiae templi per Ungariam et Slavoniam, et locumtenens regius in Croatia et Dalmatia, notificat, quod cum in causa, quae vertebatur inter comitem Domaldum et civitatem traguriensem, evocasset una cum aliis nobilibus Croatis ambas partes in praesentiam suam ad domum suam (militiae templi) in s. Petro de Boischie, positam in terreno inter Jaderam et Vranam, miserit Domaldus hominem suum et Tragurienses Dessam de Luca, qui produxerunt litteras regias, in quibus illos rex liberavit a judicio tam Domaldi quam ejus filii et eorum

hominum, praecipiendo dictis comitibus, ne audeant molestare praedictos cives. Praefatus igitur Pontius de cruce, agnoscens cum consilio multorum nobilium Croatorum ibi praesentium dictum privilegium regium, confirmat Tragurinis possessionem omnium terrarum et privilegia illorum. Praesentes: Joannes episcopus nonensis, comes Bodemir, comes Gregorius cum suis fratribus, comes Georgius Desivoy de Lika, Bratko et multi alii. Fuerunt quoque ibi frater G. capellanus, frater Jacobus de Pecoraria, frater Paulus de Oriol et Madius judex de Spalato.

Lucius: Memorie di Trau. p. 30.

CXIV. **Spalati,** *24. Nov. 1217.* Tempore Slavici (Slavizo) electi archiepiscopi spalatensis, Domaldi comitis et Mengazza nepote Maravennae, Talia uxor Dragovani dat praedium Deodato abbati s. Stephani sub conditione, ut sibi e coenobio alimenta suppeditarentur, filium autem suum monachi educandum atque erudiendum susciperent.

Farlati: Illyr. sacr. T. III., p. 244.

CXV. *A. 1217.* Andreas II rex notificat, quod cum esset in spalatensis civitatis portu ad implendum votum assumptae crucis, supplicarint eum canonici spalatenses, ut eis terram, non amplius quam murus destructae et antiquae civitatis Salonarum circuit, libenti animo conferret, quam illis rex pro remissione peccatorum suorum gratuite contulit et per Martinum comitem tradidit possidendam. Datum per manus magistri Ugrini aulae cancellarii, existente inter caeteros Calano quinqueecclesiensi, Stephano zagrabiensi episcopis, Bancone bano, Ochuz curiali comite etc.

Farlati: Illyr. Sacr. T. III., p. 243.

CXVI. *Circa 1217—1219.* Andreas II rex notificat civitati traguriensi et populo siccensi, quod super quaestionibus s. Petri de Clobiczo, territorio Biachio et s. Vitalis, pro quibus electus archiepiscopus spalatensis et episcopus parati erant litigare, omnis quaestio sopita sit, et ut territorium sicut hactenus ita a modo pacifice possideant.

Farlati: Illyr. sacr. T. III. p. 246.

CXVII. *13. Januarii 1218.* Cum ecclesia spalatensis archiepiscopo careret, Treguanus episcopus traguriensis a Grupcio archidiacono et canonicis ecclesiae spalatensis nec non a Deodato abbate et monachis s. Stephani accersitus fuit, ut initiaret primum lapidem subjiciendum fundamentis ecclesiae s. Nicolai de Saranda, quam aere suo aedificandam statuerat Racca, civis Spalati cum Elisabetha ejus conjuge, et ab illis percontatis, quid et quantum in dotem et administrationem ejusdem ecclesiae contribuere vellent, uterque respondit corum clericis et laicis utriusque sexus, qui sane frequentissimi convenerant, sibi in animo esse locum illum et quidquid agri circa erat offerre et tradere pro expiatione animae suae et suorum parentum; Deodato abbati et monachis s. Stephani praeterea terras, quas possidebant in Marnano, cum quatuor bovibus ad excollendas terras omnes frugiferas, cum grege ducentorum ovium ac decem apiariis. Decreverunt etiam cisternam ibi fodere, et haec omnia se facturos polliciti sunt sub ea conditione, ut monachi tres clericos aut minimum duos constituerent, qui perpetuo eidem ecclesiae custodiendae praeessent et divinis mysteriis operam darent. Quibus auditis episcopus lapidem consecravit. Testes: Andreas et Petrus diaconus.

Farlati: Illyr. sacr. T. IV., p. 336.

CXVIII. **Romae, Laterani,** *29. Januarii 1218.* Honorius III papa confirmat s. Basilii coenobiarchae multa monasteria et possessiones tam in Asia quam in Europa, inter caetera: apud Ungariam monasterium s. Demetrii juxta flumen Savi, cum omnibus rationibus et libertatibus suis a Bela rege eis indultis — cum conducta aquae fluminis Savae cum piscaria, nemoribus, iure passagii et omnibus aliis pertinentiis suis. — Item ecclesiam s. Mariae de Corosca, cum casali santofola, cimbris, terris et pertinentiis suis.

Theiner: Monum. Hungar. I, 9.

CXIX. *A. 1218.* Andreas II rex considerans constantem fidelitatem et strenua multifaria servitia Baboneg et Stephani comitum de Vodicha, filiorum quondam comitis Stephani de Goricha, quos veriloquax praeconii fama de originali domo et stirpe generosa Ursinorum romanae urbis senatorum propagatos testatur, enumerat illorum merita, inter caetera, quod, cum in terram sanctam profectus fuisset comes Stephanus frater Baboneg cum suis et fratris sui proximis familiaribusque, satis honesto coetu et congruo armis condecenter fulcito, equitibus ducentis et quinquaginta, suis propriis expensis per iter continuum in aditu et reditu cum rege procedere, diuturna et nocturna custodia persistere, gravesque labores suferre non dubitavit. Ob quorum fidelitatem praedictos fratres et eorum haeredes in praefato eorum dominio Vodicha, quod frater ejus Henricus rex de commissione regis Belae patris sui pro fidelibus servitiis eis contulerat, novae donationis nomine sicuti et in caeteris eorum possessionibus confirmat, comitesque liberos eos nominat, eximiam quoque gratiam eis largiendo, ut a judicio et jurisdictione ducis Slavoniae, atque bani aliorumque iudicum regni et iustitiariorum, praeter solummodo regiae majestatis, prorsus sint exempti. Praeterea liberat eos a collectione mardurinalium per ducem, banum aut alios officiales exigi solita, prohibetque in eorum dominio et comitatu ducem, banum, praelatos, barones et iustitiarios descendere, aut generales congregationes celebrare. Datum per manus magistri Ugrini aulae cancellarii, existentibus inter alios magnates Calano quinqueecclesiensi, Stephano zagrabiensi episcopis, Bankone bano, Ochus curiae reginalis comite.

Walvazor: Ehre d. Herz. Krain L. XII, p. 37.

CXX. *A. 1218.* Tempore Slavici electi archiepiscopi spalatensis, Domaldo comite, Mengaza nepote, Maravini vicario etc legitima possessio cuiusdam molitrinae, quam olim Lapsicus coenobio s. Stephani donaverat, testificatione juridica firmatur.

Farlati: Illyr. sacr. T. III., p. 244.

CXXI. **Spalati,** *mense Martio 1219.* Tempore Slavici electi archiepiscopi spalatensis, Domaldi comitis, Marini nepotis, Palubellae vicarii, quaedam praedia donata coenobio s. Stephani.

Farlati: Illyr. sacr. III., 244.

CXXII. **Romae,** *25. Mai 1219.* Honorius III papa mandat archidiacono et capitulo jadertino, nisi velint consentire, ut patriarcha gradensis confirmet et consecret electum jadertinum, ad curiam procuratores suos mittant.

Theiner: Mon. Slav. merid. p. 71.

CXXIII. **Viterbii,** *12. Novembris 1219.* Honorius III papa concedit patriarchae gradensi, ut iure suo in confirmando et consecrando electo jadertino utatur.

Theiner: Mon. Slav. merid. I., 71.

CXXIV. **Apud urbem veterem,** *28. Julii 1220.* Papa Honorius III capitulo spalatensi terras, quas Andreas rex Hungariae infra muros civitatis Salonae ei donavit, auctoritate apostolica confirmat.

Farlati: Illyr. sacr. T. III, p. 248.

CXXV. **Apud urbem veterem,** *29. Julii 1220.* Honorius III papa scribit capitulo spalatensi: Licet in dilectum fratrem (Guncellum), hospitalis s. regis Stephani de ordine cruciferorum, ecclesia spalatensis viduata pastore, contulerint vota sua et electiones fratrum huiusmodi sedes apostolica non admittat electioque de eodem fratre contra formam fuerit concilii generalis attemptata, quia tamen iam e sex electis nullus illorum, propter nimiam paupertatem eiusdem, suscipere voluit eius ecclesiae curam, duxit septimam electionem tolerandam, si electio ecclesiae videatur expedire. Dedit tamen F. Rudolpho, episcopo wesprimiensi in mandatis, ut inquirat, an sit electus idoneus pro dicta dignitate.

Farlati: Illyr. sacr. III, p. 247.

CXXVI. *A. 1220.* Honorius III papa, precibus cleri et capituli spalaiensis praebet suum assensum quod, rege Andrea, dum proficisceretur in terrae sanctae subsidium, per civitatem spalatensem transitum faciente, comes et populus civitatis collectam facientes pro exhibenda digna honorificentia regi, petierunt, ut tam haereditatum capituli quam ecclesiasticorum proventuum contingentem tribuerent in collecta portiones, cui petitioni idem capitulum assenserat.

Farlati: T. III, p. 248.

CXXVII. *A. 1220.* Andreas II rex ad petitionem uxoris suae reginae Yoles contulit terram Vidhor ad sexaginta aratra, in comitatu de Wolkov sitam, cuidam puellae Ahalyz ex ingenui sanguinis parentibus oriundae, quam ipsa regina de Franciee partibus pro suis servitiis in Hungariam adduxit, et postea nobili viro Borez in uxorem tradidit. Ipsa enim reginae, antequam ex Graecia ad regem adduceretur, innumerabilia tam in mari quam in terra exhibuerat fidelia servitia, et etiam indefessam circa filium regis Andream sedulitatem demonstravit. In terram ipsam fecit rex eam per Ochiucz tunc temporis Sclavoniae banum introduci. Metae ipsius terrae: Prima de aqua Boza, scilicet de orto Wrachulla; item in exitu sylvae, communem habet metam cum comite Michaele; inde ad arborem piri, ubi fuit congregatio puerorum in octavis pasce, et ibi incipit meta cruciferorum, et meta Ludex, postmodum jungitur terrae Holmos usque ad terram Georgii ad magnam viam, ubi jungitur terrae Jardan, et per mediam sylvam vadit ad Mlaka et praedium Georgii, usque ad Boza apud ortum Milova. Datum per manus Cleti aulae r. cancellarii et agriensis praepositi. Existentibus inter caeteros Stephano episcopo zagrabiensi. Ochiuz curiali comite reginae, bano et comite Worostienzi, Borez comite musuniensi.

*N. R. A. Fasc. 1501. N. 4. Ex actis per banum c. Khuen-Hedervár**y** e regni archivo Pestinum missis.*

CXXVIII. *A. 1220.* Martinus episcopus corbaviensis notificat, quod cum ordini consecraret ecclesiam s. Stephani in Vernice recognitum sit de hominibus abbatis de Toplica, qui eandem ecclesiam per concessionem suam construxerant, quod praedictus abbas et monachi Toplicae habeant eandem iurisdictionem in dicta ecclesia, quam debet habere dominus vel patronus in ecclesia fundata in terra sua.

Tkalčić: Monumenta epp. zagrab. I, 48.

CXXIX. *Circa 1220.* Andreas II rex jubet Malducco duci Kachetorum totiquae suae cognationi, quod a latrociniis in insulis duabus maritimis et Zernovniza se abstineant, piratas et patarenos ejiciant, aliter cum robore regni et filiis duobus, B(ela) et C(olomano), in persona eum castigabit.

Lucius: De regno Dalm. et Croat. Lib. IV., cap. IV.

CXXX. *A. 1220—1224.* Stephanus I Serbiae rex monasterio s. Mariae donat in insula Melita locum Babinopolje, in insula Corcyra (Corzula) ecclesias s. Viti, Stephani et Georgii, in Stagno ecclesiam s. Nicolai.

Miklosich: Monum. serb. p. 8.

CXXXI. *A 1220—1224.* Stephanus I rex Serbiae confert Ragusinis libertatem mercandi in regno suo, et constituit župam, in qua si mercatori damnum inferatur, debet aut damnificatores tradere aut damnum compensare.

Miklosich: Mon. serbica, p. 16.

CXXXII. *A. 1220—1224.* Stephanus I rex Serbiae confert Ragusinis libertatem mercandi, et quod possint sine ulla molestia visitare eius regnum et loca eiusdem, controversias autem inter Ragusinos et Serbos se ipsum diremptarum esse constituit.

Miklosich: Monum. serbica. p. 16.

CXXXIII. *A 1220—1224.* Stephanus I rex Serbiae constituit posse Ragusinos vinum merum et mel cum datio (**ꙋ вцѣнь**) in Brskovo vendere, vinum vero mixtum et mel sine datio (**прѣзь вцѣнь**) deprehendendum esse.

Miklosich: Monum. serb. p. 17.

CXXXIV. **Romae, Laterani,** *2. Januarii 1221.* Honorius III papa scribit abbati de Curc (Zircz) in Bokan vesprimiensis dioecesis et strigoniensi praeposito, quomodo olim inter abbatem s. Martini de Pannonia et episcopum et canonicos zagrabienses quaestio suborta fuisset super decimis quarundam possessionum in comitatu simigiensi existentium. Praedecessor suus Innocentius papa dedit super hoc in mandatis, ut contestata causa illam ad concilium remitterent generalem. Pars zagrabiensis malitiose declinans examen, recessit contumaciter ab eisdem. Demum abbate s. Martini et procuratore adversae partis in praesentia G. s. Theodori diaconi cardinalis constitutis, idem abbas omnes decimas comitatus simigiensis, quae est ultra fluvium Dravum, sicut ipsius partis cingitur limitibus comitatus, nec non decimas capellarum s. Barnabae, s. crucis et s. Trinitatis ex parte castri simigiensis in dioecesi wesprimensi existentium, cum fructibus perceptis ex eis, quibus fuerant, ut dicebatur, per eundem episcopum spoliati, sibi restitui postulavit, producens privilegium s. Stephani regis et confirmationes Alexandri, Urbani et Clementis pontificum. Procurator autem ex adverso proposuit, episcopum dictas decimas inconcusse diutius possedisse, asserens nihilominus, quod dicta pars, quae

ultra Dravam existit, tempore dati priveligii de comitatu non fuisset eodem; et quod praedictae capellae, quae circa Dravam erant, cum parochianis suis essent in zagrabiensi dioecesi constitutae. Innocentius papa causam episcopo vaciensi et collegis suis commisit fine debito terminandam. Verum cum propter obitum mandatoris et alias circumstantias negotium procedere non potuisset, mandavit papa ad instantiam abbatis praepositis vesprimiensi et albensi, ut super hoc negotio procedant. Sed illi in hac re minime procedentes ipsam causam ad sedem apostolicam remiserunt. Mandat itaque papa, supradictis suis mandatariis in his litteris, ut dictam causam quo otius ad finem perducant.

Wenzel: Codex dipl. Arpad. T. I., p. 116.

CXXXV. **Spalati,** *25. martii 1221.* Temporibus Guncelli archiepiscopi spalatensis, Buisseni comitis, Michae filii Cosmae, Zulae (Zadali) vicarii, Spalatenses, Tragurienses et Clissenses jurant firmam pacem Sibenicensibus et promittunt fraternam amicitiam, si sibenicenses pyraticam non exercuerint. Scripsit presbyter Sabatius juratus notarius communis de praecepto judicum et omnium nobilium.

Lucius: Memorie di Traù. p. 31.

CXXXVI. **Romae, Laterani,** *29. Martii 1229.* Honorius III papa confirmat nobilibus viris H. et S. comitibus de Vegla donationom regis Andreae quatuor insularum inter Spalatum et Ulmes sitarum, videlicet: Faram, Braczam, Corzuram et Laugustam.

Theiner: Mon. Hung. I. p. 27. Krčelić: Not. praelim. p. 208. Katona: Hist. crit. V, 349. Fejer: Cod. Dipl. III, p. 306.

CXXXVII. **Romae, Laterani,** *13. Aprilis 1221.* Honorius III papa scribit comiti et populo spalatensi, se audivisse quomodo novi contra Christum hostes, proditorie insurgentes, legem ejus dissipare nitantur, quia quidam Sclavi et Dalmatiani, quamvis censeantur nomine christiano, crucesignatos transfretantes in terrae sanctae subsidium et alios Christianos piratica rabie spoliant, capiunt et occidunt et veluti vulpes, habentes proprias foveas, latitant capta praeda. Rogat igitur universitatem eorum, ut manu valida studeant hos insurgentes a suis finibus profligare. Misit etiam magistrum Acontium subdiaconum et capellanum suum ad partes eorum, cui vult ut pareant, sententiam autem quam idem tuleritre in belles seu etiam contemptores ratam habebunt et facient inviolabiliter observare.

Farlati: Illyr. Sacr. T. III. p. 249. Katona: Hist. crit. V. 357. Fejér: cod. dipl. III. 1. p. 307.

CXXXVIII. **Cathari,** *15. Septembris 1221.* Tempore regis Radoslavi et comitis de Soli, episcopi vero Blasii Leo(nis) stabilit civitas catarensis, ut in antea nulla carta de lege scribatur, nisi in curia coram iudicibus; et quicunque voluerit facere aliquam cartam (credatizam) alicui homini de aliquo negotio, non possit facere nisi praesentibus ambabus partibus, et testes et iudices debeant adesse. Mos de venditione haereditatum conseruetur sicut in antiquo tempore.

Ex collectione D. Papafavae vendita exc. d. episcopo Strossmayer. Habet quoque. Rad jugosl. akademije I p. 129.

CXXXIX. **Romae, Laterani,** *3. Decembris 1221.* Honorius III papa communicat magistro Acontio subdiacono, capellano et legato suo, quod, cum audiverit quod in partibus Bosniae tamquam in cubilibus structionum haretici receptati, velut lamiae nudatis mammis catulos suos lactent, dogmatizando palam suae pravitatis errores, volens pestilentes huiusmodi effugare, regi Ungariae et universis archiepiscopis et episcopis illius regni direxerit scripta, ut cum ab illo (legato) fuerint requisiti, ad profligandos illos procedant viriliter et potenter.
Theiner: Mon. Vet. Hung. I. p. 31. Fejér: cod dipl. III., 1. p. 350.

CXXXX. **Romae, Laterani,** *4. Decembris 1221* Honorius III papa notificat Guncello electo archiepiscopo spalatensi, quod, cum Vulcasius canonicus spalatensis nuncius ejus ad sedem apostolicam accedens supplicasset, ut pallium pontificale ei concedere dignaretur, in eiusdem instantium assenserit, et pallium miserit, episcopo autem vesprimiensi commiserit, ut ab eo suscipiat juramentum et cum pallio consecrationem.
Farlati: Illyr. Sacr. T. III 251. Theiner, Mon. Slav. I 72. Fejér: cod. dipl. III., 1 p. 348.

CXXXXI. **Romae, Laterani,** *4. Decembris 1221.* Honorius III papa scribit vesprimiensi episcopo, quod illi dederit olim in mandatis, ut electionem de G(uncello), fratre hospitalis s. Stephani regis a spalatensi capitulo celebratam examinet, et si personam invenerit idoneam, eum confirmet, quod eum fecisse nuper intimavit. Cum nunc ipse electus pallium a sede petierit, misit illum per canonicum spalatensem Wlcasinum, mandatque episcopo ut nunc ab eo juramentem recipiat.
Theiner: Mon. Vet. Hung. I. 31. Farlati: Illyr. sacr. III. 251.

CXXXXII. *A. 1221.* Andrnas II rex testificat, quod Ochuz banus, consentiente rege, Thomae comiti filio Macharei terram Horestuncha (Hrastovica), quam haereditario jure possidebat, dederit in concambium terrarum Duruichs, Lasna Pola et Russa, quas ipsi comiti Thomae rex per bullam auream contulerat. Rex confirmans cambium dedit dictam rerram Horostuncha metis circumscribi per Boko N. fratrem Ciriaci praepositum zagrabiensis Ecclesiae. Huius terrae prima meta incipit a fluvio Sava et vadit ad locum Maho; inde per mediam villam ante domum Joannis pastoris; inde per viam ad caput aquae Chladniche; inde ad Lanham usque ad locum, ubi fluvius Prepo . . cadit in dictum Lanha; inde ad fluvium Sepchina, qui cadit in fluvium Sava. Datum per manus cancellarii Cleti praepositi Agriensis. Subscripti: Stephanus episcopus zagrabiensis. Ochuz banus, Laurentius filius Ochuz de Kewe (comes). Thomas de Wolkov, Ladislaus marescalcus et comes de Posegua.
Codex Dipl. patrius t. VII. p. 8.

CXXXXIII *A. 1221.* Acontius apostolicae sedis legatus declarat, spalatensibus in nullum praejudicium imputandum, quod illi benevole eidem pro secura navigatione Jaderam ligna sua paraverint propter instantem necessitatem gverrae nefandorum Cazethorum (Kačić), qui pro ipsorum posse legato insidias ad nocendum parabant.
Farlati: Illyr. sacr. III. 250.

CXXXXIV. *A. 1221.* Andreas II rex considerans, quod frater Pontius de g(r)uce (cruce) per Hungariam et Slavonium domorum militiae templi magister ob regis securitatem tam eundo ultra mare, quam redeundo per Gretiam de

bonis domus magna ei servitia fecerit, per cujus consilium et auxilium, post Deum, sicut credidit, ad propria remeavit. Labores quoque assiduos, quos cum eo et propter conjugem quoque reginam Y(olantam) sustinuit, prae oculis habens, ad petitionem reginae et pro salute tam corporum, quam et animarum suarum, terram quandam in Croatia terrae castri de Scen et terrae de Modrus et de Bozane contiguam, Gazke nomine, cum omnibus pertinentiis in recompensationem expensarum et laborum, quos dictus magister sustinuit sacrae militiae templi, ita libere sicut caeteras elemosynam, quas in regno possident, nullo obstante privilegio supra predicta terra prius aut posterius forsitan impetrato, in perpetuum contulit, inhibendo, quod nullus banus, nullus comes, nullus baiulus, sive quilibet alius, super populum in dicta terra commorantem, absque litentia fratrum templi audeat descendere, vel exactione alicuius collectae molestare. Introduci fecit fratres domus templi per jobagionem regium Dodomerium comitem. Prima meta terrae iuxta rivulum Gernovize, inde ad locum Cedelov usque ad Wrata; hinc tendit versus Busan usque Bame (Banove?) Camenice, quae est divisio inter Busan et Gvesche, ubi lapis est fixus; ibique est area triturandi. Protenditur usque ad Crastino, ubi est ecclesia s. Georgii et s. Marci, inde ad aquam iuxta Vatenic ad montem Malecenic in Chesche (Gesche) et Vinador (Vinodol) versus occidentem; inde vadit ad Jeceniçe (Jesenice) et protenditur ad Cherniche versus orientem; inde versus divisiones de Gvechke et Modrus ad lapidem, qui vocatur Pes Ursi; inde ad montem Plaz; inde dividitur in montem Plaz et Gvechke, tenditque ad Gernevize (Černevice). Datum per manus Ugrini aulae Cancellarii et collocensis archielecti, existente inter caeteros Stephano episcopo zagrabiensi, Neccka vojvoda etc. Confirmatum est hoc privilegium per Honorium III papam 4-o Maii 1226.

Theiner: Mon. hist. Hung. resp. T. I. p. 68.

CXXXXV. *A. 1221.* Andreas II. rex ad instantiam Ochuz bani terram Kemesnice sub Keymuk (Kalnik, Kamnik), quam pater ejus rex Bela a maiore Ochuz, patre videlicet Ochuz bani, abstulerat et zagrabiensi ecclesiae contulerat possidendam, maxime quia in ducentis marcis persolvendis, quas ei (regi) de ultramarinis partibus remeanti accomodaverat, sibi tenebatur, eodem iure, quo ecclesia eam possidebat, restituit, scilicet, ut nec marturinas sive alias exacciones, quae sunt, vel quae forte in Banatu emerserint, nec victualia banatui nec vicebano, incolae earundem terrarum solvere teneantur. In possessionem fecit illum rex introduci per Reinolt, filium Pertolt. Ecclesiae autem zagr. dedit rex in concambium de suis propriis terris: Rodos, Vidusa, Cupuc et Braten a castro zagr. exceptas. Metas quoque idem Reinolt circumscripsit, et sunt hae: Terra Rodos egreditur de Sava et venit ad fossatam Mlaca usque viam, et tendit in longam Mlacam et per varias metas arboreas ad terminos Girymla, quae est terra ecclesiae ab antiquo, a dextra terra populorum regis a sinistris ecclesiae et iterum per varias metas intrat Savum. Terrae Cupuc et Viduse incipit iuxta metas episcopi, inde ad puteum Lubavod, inde per viam ad caeumen magni montis. et in vertice vadit ad Jazanove, descendit ad puteum, inde intrat aquam Blizna, ascendit montem Sterma pec, descendit ad Blizna potok, exit ad viam Struscogoy, vadit ad aquam Zucher et finitur. Terrae Bratonis meta vadit per varias metas, ubi conterminatur terrae Banconis,

ad aquam Jelsove et per montem, inde ad viam ad Hodud, inde ad Crava-velg et in Hodud, ubi terminatur. Per manus Cleti cancellarii et praepositi agriensis. Existentibus Stephano zagr. Bartholomaeo quinqueecclesiensi episcopis Ochuz bano, Bancone curiali comite regis et comite albensi, Laurencio filio Ochuz magistro pincernarum. (Confirmatum est hoc priv. per Honorium III, papam. A. 1227.)

Tkalčić: Mon. episc. zagr. I, p. 49. Theiner: Mon. Hung. I, p. 77. Transumptum in Bulla Honorii papae de A. 1227 in archivo Capituli zagr.

CXXXXVI. **Catari.** *A. 1221* Memoriae commendatur, quod ecclesia s. Mariae de Flumine et ecclesia s. Johannis de Portello semper fuerint sub regimine horum haereditariorum, videlicet de comite Johanne, et de Dersa cum his, qui sunt de Bisacca, quas ecclesias rexerunt ipsi per plurimos annos; denique veniente in vetustate ipsa ecclesia erat opus reedificandi eam, tum successores de dictis propagationibus cupientes renovare ecclesiam s. Mariae, diruerunt veterem, et in loco eius fabricaverunt aliam, quae post multa annorum curricula, hoc ess anno 1221 mense octobris in vigilia s. Lucae, sub tempore d. regis Radoslavi et d. Blasii catharensis episcopi, completa fuit. Homines, qui de illorum progenie egressi fuerunt, studuerunt dedicare ecclesiam s. Mariae virgini, adiungentes etiam ecclesiam s. Joannis de Perzano. Homines autem, qui ecclesiam dedicaverunt, de superiorum veterum origine, fuerunt: Inprimis praesbyter Jacobus, abbas eiusdem ecclesiae s. Mariae, qui originem ducebat de iis de Bisacca, et presbyter Angelus cum fratre suo Calenda filio Tryphonis, Nichiforus et Draghihna cum Leonardo, qui processerunt de comite Johanne, cum Martholo filio Dobrazae, et ejus fratribus et Tryphon Ratislavae cum Prodano Selepi, genero Marini Ratislavae, et filii Marta cum filiis Marcellae et filiis Sabadazi, qui exorti sunt de iis de Dersa, et presbyter Marinus Taponi cum fratribus suis, et Simon Odalae et Margarithus natus ex filia Grubinae cum Georgio filio Vitae. Bello et Johanne. Et Donatus de Rys et Petrus natus de filia de Palmicae de Rys, cum filiis Mengazae de Rys et Matovona Draghi, et Georgius cum Bogdano diacono nepote archipresbyteri et filii Veturi cum filiis Marci de Stephano. Et filia Andreae Zaponi, et filii Romani cum filia Ursacii de Stephano. Suprascripti igitur haereditarii s. Mariae considerantes bonum adiutorium Georgii Simeonis, qui in ipsa ecclesia misit Strabinum cumque coniuge sua Raislava, concesserunt ipsis dedicare ecclesiam cum ipsis abbatibus s. Georgii et s. Petri Budvensi. Presbyter Michael Paschae, testis archipresbyter chatarensis copiavit, fuitque testis M. archidiac. cathedralis, presbyter M. Stoici testis.

Ex collectione d. Papafavae. Exemplar litterae repertae per d. Antonium episcopum catharensem in altari s. Mariae Fluminis a. 1420 mense octobri.

CXXXXVII. **Anagniae,** *12. Martii 1222.* Honorius III papa capitulo ecclesiae ragusinae. Considerans, quod inhabitatores castri almisiensis eam in christianos immunitatem exerceant, ut non ecclesiis aut personis earum, viduis, pupillis et senibus, nec cuilibent parcant sexui et aetati, sed paganorum more universa vastantes in perditione rerum et hominum gloriantur, ex compassione his malis occurrere desiderat; audiens porro, quod vicini castro praedicto, ex partibus de Bossina, ubi haeretici quidam dogmatizando pallam suae pravitatis errores sacrosanctam orthodoxam ecclesiam exterminant, ecclesia autem

ragusina pastore vacet, monet, quatenus ad electionem archiepiscopi procedat et contra haereticos et almissenses magistro A(concio) subdiacono et capellano suo apost. sedis legato assistat.

Farlati: Illyr. Sacr. T. VI, p. 92.

CXXXXVIII. **Jaderae,** *22. Mai 1222.* Temporibus Petri Ziani, ducis Venetiarum et Joannis Venerii jadrensis archiepiscopi ac Petri Michaelis comitis, Joannes Gardiaza promotus ad sollicitudinem ecclesiae jadertinae, cum ex officio suo multum in eadem ecclesia ob diutissimam pastoris absentiam invenisset evellenda et plantanda, comperit ecclesiam s. Dimitrii a clero et populo jadertino monasterio s. Damiani de monte collatam esse, quam collationem ad preces Roberti abbatis et ejus conventus, confirmat. Testes: Aconcius papae subdiaconus et capellanus atque sedis ap. legatus, Treguanus tragur. episcopus Chranus s. Joannis ejusdem dioecesis abbas, Damianus abbas s. Grisogoni jadrensis, Manfredus archidiaconus, Camasius archipresbyter s. Petri veteris plebanus, Dobre s. Stephani, Marinus s. Petri novi, Zancius s. Michaelis, plebani jadertini; ac nobiles viri Laurentius de Joseph, Coscia Gregorii et Desa Pisiza advocatus praedicti monasterii, Vitalis s. Mariae majoris plebanus et iuratus notarius jadrensis scripsit.

Farlati: Illyricum sacrum T. V. p. 73.

CXXXXIX. **Cathari,** *mense Junio 1222.* Coram juratis judicibus Joanne Jacobi et Desa, Blasius catharensis episcopus mittit quaerimoniam super naucleros navium, praetendens reditum tam de maioribus quam de minoribus navibus, ad quam quaestionem respondit Andreas Catenae, se non scire quod episcoqo unquam aliquid datum fuisset de minoribus barcellis; ad quod Simeon nauclerus testificatus est, quod ille dederit episcopo reditum. Idem teatificarunt et alii homines: Lampridius Zizae cum Vitalio Faronis et Martino Moscae, ad quod judices cum consensu aliquorum nobilium judicarunt, ut deinceps tam maiores naves quam barcellae darent reditum episcopo; et quidem de uno arbore medium modium et de duobus unum modium.

Farlatti: Illyr. sacr. T. VI., 436.

CL. **Romae, Laterani,** *7 Julii 1222.* Honorius III papa ad petitionem Yolae reginae Hung. personam eius cum omnibus bonis suis suscepit sub b. Petri protectione, specialiter banatum cum omnibus pertinentiis suis, (utpote) comitatum de Warasdin cum pertinentiis, comitatum sumugiensem; comitatum de Zala, comitatum de Serem, et alia que vir eius (rex Andraeas) in dotalitium ei concessit.

Fejer: Cod. dipl. T. III., p. 388., Theiner: Mon. Hung. I., 35.

CLI. **Ragusii,** *mense Octobris 1222.* Acontius d. papae subdiaconus et capellanus et sedis apostolicae legatus, residens in aula ragusina, fert sententiam pro Jordano abbate et pro monasterio lacromensi, ut vineas Juppanae et earum pertinentias, quae olim Savini Pincioli fuerunt, in perpetuum habeant et nunquam a se alineare queant. Testes: Dandulus comes, Matthaeus Ballislavae, Lucarius Naimeri, Matthaeus Budatiae judex juratus et presbyter Gataldus communis notarius, qui scripsit.

Farlati: Illyr. Sacr. T. VI, p. 95.

CLII. *A. 1222.* Jocelinus archiepiscopus spalatensis notificat, quod Gnepa quondam uxor Armos, confessa sit, quod filius ejus Timpor, qui etiam Be-

rengerius, filius eiusdem Armos, dedit b. v. Mariae et domui de Toplica in morte sua totam suam terram, quae fuit patris sui Armos, sicut est in privilegio, quod contulit eidem Armos rex Andreas, et hoc pro remedio animae suae et patris sui. Testes: Gostve et Azarias, Toycelaus et Zyth, Henricus teutonicus et plures alii.

Tkalčić: Monumenta epp. zagrab. I, 52.

CLIII. *A. 1222.* Bela rex junior et dux totius Slavoniae donat terram Pzer (Psarjevo) de castro zagrabiensi exemptam Stephano episcopo zagrabiensi, cuius discretione procurrente prae caeteris regni primatibus discordia inter patrem ejus Andream et illum olim exorta et ad inextimabile regni detrimentum succrescens, est ad concordiam revocata, et universa gens variis perturbationum procellis fluctuans in pace collocata. Metae terrae sunt: Prima dividit terram Petri, filii Gurch super montem, et terra, quae dividit terram populorum castri; inde vadit ad magnam viam et a capite ejusdem viae vadit super verticem montis et per alium montem ad vallem, quae licet sit pastus ferarum tamen est meta; et per metas arboreas ad fluvium Biztricha. et inferius ad fluvium Breszovica, ubi uterque in unum conveniunt, superius ad magnam viam, inde versus meridiem per magnam viam usque ad locum Predolia; inde descendit ad fines terrae Zelinae prope s. Johannem, ubi conterminatur terrae propriae episcopi (Biškupec?). Praesentibus iobagionibus; Jula palatino et budrugiensi comite, Petro de Crapuna, Screcmerio de Zala, Cosma de Wolcov comitibus, Vaievoda camerario. Pristaldus metam assignans et metas erigens Bissenus de Hotvon nomine Kochobur, magister Hemo cancellarius.

Tkalčić: Mon. eppisc. zagr., I., p. 50.

CLIV. **Ragusae,** *1221—1223.* Zellovellus ducis Venetiarum gratia comes ragusiensis scribit nobili viro Velcinno, eadem gratia potestati spalatensi et comiti traguriensi, et communitatibus earundem civitatum, quomodo non sit occultum, quod Judas, olim ragusiensis comes, nec illis, nec suis civibus iustitiam facere voluit, et ideo dissensio et pignora inter eos et Ragusinos de die in die crescebant; nunc autem sub dominio Venetiarum positi vellent Ragusaei, ut mala omnia extirpentur, et parati sunt omnibus iustitiam plenam facere ut fratribus et amicis.

Carrara: Archivio capitolare di Spalato, p. 73. — Ljubić. Mon. Slav. merid. I., 31.

CLV. **In Planio,** *2. Julii 1223.* Conradus portuensis episcopus et in partibus Galliae apostolicae sedis legatus, scribens Rothomagensi archiepiscopo et ejus suffraganeis episcopis implorat illorum auxilium contra quemdam haeresiarcham, quem haeretici albigenses papam suum appellant, habitantem in finibus Bulgariae, Croatiae et Dalmatiae iuxta Hungarorum nationem; ad eum namque confluunt haeretici albigenses, ut ad eorum consulta respondeat. Etenim de Carosano oriundus, vices illius antipapae gerens, Bartholomaeus haereticorum episcopus, exhibendo ei reverentiam, sedem et locum concessit in villa Porlos et se ipsum transtulit in partes Tolosanas; ipse etiam Bartholomaeus creat episcopos et ecclesias perfide ordinare contendit; rogat itaque, ut veniant Senonam octavis Petri et Pauli proxime futuri, ubi et alii praelati Franciae congregabuntur, et consilium praestabunt super negotio albigensi.

Fejer: Codex dipl. Hung. T. VII. 5, p. 231. Wenczel: Cod. dipl Arpad. XI, 173.

CLVI. **Spalati,** *mense Martio 1223.* Existente Guncelo archiepiscopo spalatensi, Buyseno comite, Gregorio nepote, Vangigo (Vanlegino?) vicario, Stephanus Cazzetta vicecomes, iudices Drago de Pinosa, Lucarus Stresi, consules Banclius Jornae, Lucarus Michaelis, Duimus Peccetae cum toto populo sacramentum perpetuo conservari firmarunt, quod a modo nullus civis vel extraneus vinum Spaletum, nec per mare neque per terram, apportet; e contrafacientibus solvet extraneus communi de uno centenario decem yperperos, civis autem bannum duodecim romanatorum; in vindemiis nullus partem sui socii emat, suam partem afferat et partem socii derelinquat; similiter qui frumentum attulerit, hic vendat et extra non portet, qui aliter fecerit solvat banum 12 romanatos. Presbiter Sobanus notarius scripsit.

Lucius: Memorie di Trau. p 191.

CLVII. **Signiae,** *10. Julii 1223.* Honorius III papa Primogenito subdiacono et praeposito zagrabiensi, exusta ecclesia cathedrali et propter exiles eius proventus oblatum a georiensi (jauriensi?) episcopo canonicatum acceptandi facultatem largitur.

Katona: Histor. crit. V, 410. Fejer: Cod. diplom. III, p. 416,

CLVIII. **Signiae,** *11. Julii 1223.* Honorius III papa accepto nuntio a magistro Primogenito subdiacono suo et praeposito zagrabiensi ac capitulo de Chesma, quod zagrabiensis episcopus (Stephanus) ecclesiam ipsam incendio devastasset, homicidium perpetrasset, et pro iniectione manuum in quosdam ipsius ecclesiae canonicos violenta, vinculo excommunicationis astrictus, divina temere celebraverit, absolutionis beneficio non obtento, multisque aliis criminibus irretitus, committit abbatibus s. Egidii, s. Jacobi et s. Petri (de Posega) vesprimiensis et quinqueecclesiensis dioecesis super praemissis inquisitionem. Sed sicut dictus praepositus nuper exposuit, licet praefati abbates in negotio diligenter processerint, referentes fideliter sedi apostolicae, quae invenerunt, praefigentes partibus terminum, quo se conspectui pontificis praesentare debuissent; accedente praeposito cum quibusdam suis concanonicis ad sedem apostolicam, memoratus tamen episcopus, utpote sibi conscius nec venit nec misit aliquem responsalem; mandat igitur dictis abbatibus, ut ipsum episcopum cogant, ut in festo nativitatis dominicae proxime futuro per se vel per idoneum responsalem suo se conspectui praesentet.

Katona l. c. p. 408. Fejer: Codex dipl. III, p. 416. Farlati: Illyr. sacr. V, 361.

CLIX. **Signiae,** *27. Julii 1223.* Honorius III papa Guncello archiepiscopo mandat, ut abbatem monasterii s. Stephani de Spalato ex eo, quod illo apud sedem apostolicam constituto, per capitulum ejus confirmationem electionis obtinuerat et per suffraganeos ecclesiae spalatensis munus benedictionis acceperit non molestet, quia id in contemptum eius factum non extitit.

Farlatti: Illyr. sacr. T. III, p. 254.

CLX. **Signiae,** *27. Julii 1223.* Honorius III papa notificat magistro Acontio capellano et legato suo, quod per Guncellum electum olim spalatensem per scripta sua mandaverit, ut ei, quem restituta sibi gratia sua, remisit ad ecclesiam spalatensem, pallium dudum transmissum sine mora tradat, una cum bulla pontificali, et juramentum fidelitatis ab eo recipiat.

Farlati: Illyr. sacr. T. III, 254.

CLXI. *A. 1223.* Andreas II rex, cognita infidelitate jobagionis sui Domaldi de Chroacia, quam contra regiam coronam perpetraverat, consilio omnium jobagionum suorum, quandam possesionem suam, quae incipit ab aqua Cerca, descendens ad mare et venit usque Zadur, fidelibus comitibus Gregorio et Stephano (de Bribir) et fratribus eorundem propter indeciduae fidelitatis obsequia, maxime autem, quia dictus Domaldus praenominatorum fidelium terram, viribus exterorum regnorum requisitis, adducto exercitu devastavit, in recompensationem tantorum meritorum ipsis perpetuo contulit possidendam; quam terram nominatus Domaldus et cognati eiusdem ab avo suo caeco Zoloyna obtinuerunt. Introducti sunt iidem fratres per Georgium filium Jaduch in praedictam possessionem. Datum per manus Cleti cancellarii et agriensis praepositi, existente Stephano zagrabiensi episcopo, Salamone bano.

Wenzel: Cod. dipl. Arpadianus. T. VI, p. 419.

CLXII. *1223.* Andreas II rex donat Gvidoni, comiti de Vegla, et ejus haeredibus totam terram pertinentem infra ducatum Slavoniae, Vinodol et Modrus vocatam, cum omnibus pertinentiis et redditibus; una confirmat donationem praedictae terrae Modrus per regem Belam III factam.

Ex transumpto Mathiae regis de a. 1458. in actis pridem archivi regnic. croatici. N. R. A. Fasc. 371. nr. 34. Nunc Pestini. Fejér: cod. dipl. Hung. III, p. 403.

CLXIII. *A. 1223.* Andreas II rex confert fratribus s. sepulchri de Polonia terram Laga (Tkalec) in Slavonia in pertinentiis castri Kriss cum designatione metarum, quas Jonas filius Pauli de villa Gyog in parochia sumugiensi consignavit. Et quidem incipit prima meta iuxta fluvium Kamasnicha; et procedens per magnam viam, quae ducit versus Zagrabiam, venit ad arborem Gertayn, exinde ad fluvium Velyka, qui separat terram Gozthouch; deinde ad locum, ubi fluvius Wogircza incidit in fluvium Velika, et separatur a terra comitis Petko; deinde per fluvium Wogirzka superius ad terram subulcorum regis et ad Zopoth potoka; exinde super montem et viam, versus orientem ad vallem transit nemus Kamasniccha et cadit in fluvium Kamasnicha et per eundem ad primam metam redeundo. Datum per manus Cleti aulae cancellarii ecclesiae vaciensis praepositi. Existentibus: Stephano episcopo zagrabiensi, Salamone bano, Bothez curiali comite.

Ex transumpto capitali chasmensis de a. 1641. In archivo regni Croatiae: acta Jesuitarum zagrabiensium. Fasc. VIII, nr. 1.

CLXIV. *Circa 1223.* Philippus Palatinus comes de Scepus exactionem dimidiorum fertonum Johanni filio Uz et Lucachio filio Petri servientibus magistri Thomae proximi et castellani sui de Scepus relaxare petit universos exactores, quia ipsi servientes cum eo in Croatia in praesenti exercitu ei in suis seruitiis exstiterunt laborantes.

Fejer: Codex dipl. T. III. vol. II, p. 480.

CLXV. *9. kal. Januarii 1224.* Bela junior rex Hungariae ad preces Radus et fratrum suorum de Klokoch, videlicet Zonyan, Damiani, Cristani, Simeonis, Zlabech, Vrancho, Vleaz, Friedrich, Dobrogost et Wlchan una cum omnibus fratribus suis, qui de filiis jobagionum s. regis de Goricza oriundi fuerant, ob fidelitatem ei et patri ejus praestitam donat praerogativam libertatis et terram de Klokoch; ita quod abhinc ad castrum (Goricha) nullum habeant respectum.

Meta prima inter Gorizam et Gay est Glave, inde ad campum Brezopolje, inde super caput fontis Illavecz, ad caput rivi Knezepotok, ad rivum Koranna, inde ad pedem montis Ozlycze, inde per cacumen montis descendit ad rivum Ivanpotok, et per viam ad campum Chistepole et ad dumum Velike greche, inde per viam ad Glinam ad caput rivi Pestenoga, inde per viam ad locum Poluchyscha, ubi antiquitus fuit ecclesia; inde ad montem Vtokanerch, ad locum, ubi rivus Tolstipotok cadit in Coraniza; inde ascendit montem Sucho, venit ad rivulum Gerstina et ad salicem super Glinam, et inde supra caput rivi Skopechna ad viam, quae venit de Seyne; et per viam supra silvam Krote Buchovia ad primam metam Glave. Porro constituit rex, quod ad exercitum quindecim loricatos et centum pedites vernaculos expedire debeant. Terram autem per pristaldum Petrum filium Jorcho de Zagrabia assignari facit. Testes: Chak comes bodrogiensis, Alladar magister, Martinus banus, Bachia comes zagrabiensis, Andreas magister terrae indigenae Guncellus archiepiscopus spalatensis, Martinus episcopus corbaviensis, Michus episcopus tiniensis, Herebertus abbas Toplicae, Boncelaus comes goricensis. Datum per Mathiam praepositum zagrabiensem aulae regiae cancellarium.

Hoc privilegium confirmatum est a rege Ludovico I a. 1381, Sigism. 1412, Ferd. I a. 1550.

Orig. in archivo comitum Wojkfi.

CLXVI. **Venetiis,** *15. Martii 1224.* Marcus Contarenus de confinio s. Silvestri stat plegius et pagator domino duci ad partem communis Venetiarum pro Stepacia et Zunio de Ragusia et de eorum duobus platis, qui fuerunt ad ripam ipsius Marci, sub pena 1000 librarum veneciarum.

Ljubić: Mon. hist Slav. mer. I. p. 32.

CLXVII. **Veneciis,** *mense aprili 1224.* Dux Venetiarum facit recordationem cum suo consilio de eo, quod, sicut dicit Leonardus Semitecolo de s. Vito, cum jam dudum transiisset in quadam barca Ancona versus Piscairam, homines de Spalato, et homines, qui dicuntur esse Cacicii, existentes in uno barcoso in mari supra montem Anconae, agressi et persecuti sint eum, sagittando et proeliando usque in terram, et tunc dimissa barca fugit in terram et ipsi Spalatini et Cacicii coeperunt barcam et negociationem dicti Leonardi et Dominici Valerii de s. Raphaele. Inter drapum et ferrum et ramum fuerunt res in valore 1600 librarum veneticarum. Dux mandaverat per litteras Mafeo Feriolo capitaneo gallearum inquirere in Spalato de praedictis rebus ablatis; sed quid postea super praemissis factum ignorat; Leonardus autem dicit, quod Mafeus nullam inde potuerit consequi vel habere racionem.

Ljubić: Monumenta hist. Slav. merid. I., p. 33.

CLVIII. **Toplichae (Topusko)**, *26 Mai 1224.* Domaldus comes notificat, quod in praesentia regis Belae et B(elus) bani (aut potius Banco bani) et Julae comitis et multorum nobilium Hungarorum, fratres Toplicae conquaesti sint, quod ille quandam terram dederit templariis, nomine Mogos in comitatu Gorae, quae in privilegio dictorum fratrum continetur. Interrogatus coram rege et nobilibus testatus est, illum nunquam aliquam terram in Gora possedisse vel templariis dedisse; et si templarii aliquo modo litteras impetraverunt, litteras falsas esse, et per fraudem impetratas declarat.

Tkalčić: Mon. epis. zagr. I, p. 52.

CLXIX. **Venetiis**, *28. Maii 1224.* Dux Venetiarum cum suo consilio ordinat, quod infrascripti homines de Arbe per sacramentum teneantur venire ante praesentiam suam, eius mandatis parituri die 20 intrante mense Junio et quidem Doimo filius de Zofolino, Gualcina Zamoga, Gambe Grosse, Filippus judex, Filiol, Marinus Papamilio, Bertaldus filius de Grade, Petrixa de Mace Bobe Cristoforus de Malo Dener, Madius de Alberto, Galzegna, Petrus Pelenga, Nicola de Rufaldo, Flascon, Vizeni de Gotopalgna, Zorzi filius Mathaei de Candi, Madius Bertaldo, P. de Perina, Calenda, P. Bozola.

Ljubić: Mon. hist. Slav. merid. I., p. 33.

CLXX. **Venetiis**, *16. Julii 1224.* Johannes Verero de Ragusia promittit duci Venetiarum et communitati sub paena totius heris eius et suae personae, quod in viatico, quod facturus est cum suo panzono, in terram Alexandriae vel Egipti iturus non sit, et ita jurat per s. evangelia. Idem sacramentum fecerunt et Petrus Novelo nauclerus dicti patizoni, qui Petrus Venetus est, ac Paulus et Dominicus de Ragusio.

Ljubić: Mon. Slav. mer. I, p. 33.

CLXXI. **In monasterio s. Stephani**, *26. Mai 1224.* M. sancti Stephani, D. sancti Petri abbates et J. canonicus traguriensis suscepta delegationis auctoritate a pontifice in cuiusdam terrae causa, quae inter canonicos s. Domnii (Spalatenses) et conventum monasterii s. Benedicti vertebatur, curarunt audire allegationes utriusque partis. Canonici proponebant, quod quaedam domina Strija, olim Gaudii Kalendae relicta legavit terram canonicis et hoc testamentum publico instrumento firmavit, quod canonici ostendebant. Moniales respondebant hanc terram monasterio prius a viro ipsius Strijae esse legatam et hoc testimonio quarumdam feminarum probare conabantur. Demum cum Strija iterum ad exitum propinquasset, ab abbatissa monachalem habitum postulabat. Abbatissa vero minime concedebat, nisi monasterio conferret ipsam terram, quam a suo viro collatam asserebant. Super hoc introducebant testes presbyterum Sabe Calixti, et Petrum Ruffum. Legati pronuntiarunt hanc sententiam: Cum mulieres secundum antiquam civitatis consuetudinem in conficiendis testamentis ad testimonium admitti non possint, maxime in civitate, ubi clerici vel fideles laici possent vocari, alii autem testes ad irritandum instrumentum canonicorum non sufficiunt, praesertim cum Petrus Ruffus nota furti infamatus sit, adjudicatur ipsa terra canonicis perpetue possidenda. Pars adversa appellavit ad sedem apostolicam. Testes: Apollinaris Cacanfolli, Mathaeus Maurutae, et quam plures clerici et monachi ejusdem monasterii s. Stephani.

Ex archivo aulico vindobonensi. Acta spalatensia. Carrara: Archivio capit. p. 11. habet quoque Wenczel: Cod dipl. arpadianus. I, p. 206.

CLXXII. **Venetiis**, *11. Aprilis 1225.* Joannes Contareni filius Marci Contareni stat plegius et pagator domino duci pro Desa de Prodanello, de Jadra, sub poena librarum C. videlicet quod ipse Desa monstraturus sit in Jadra coram M Dandulo aut ejus Joanne suo vicario homines, qui sibi vendiderunt ceram, de qua erat quaestio inter eum et Stephanum Babilonium, quae erat de navi et quae, ut dicitur, rapta fuit in partibus Sibenici.

Ljubić: Mon Slav. mer. I, p. 34.

CLXXIII. **Tiburae,** *15. Maii 1225.* Honorius III papa scribit Ugrino archiepiscopo colocensi, gratum se accepisse, quod catholicae fidei ductus amore, ad profligandos haereticos de Bozna, Soy (Sol) et Vssora, ubi tamquam lamiae nudatis mammis publicae catulos suos lactant, ad exhortationem bonae memoriae Acontii legati et aliorum virorum viriliter se accinxerit.

Farlati: Illyr. sacr. T. IV., p. 48. Theiner: Monum. Hungar. hist. I, p. 55.

CLXXIV. **Crapinae,** *2 Junii 1225.* Guncellus archiepiscopus spalatensis et Martinus episcopus corbaviensis attestantur, quod terra Mogos, quam comes Domaldus ignorans et incaute contulerat templariis, quod idem etiam ipse comes Domaldus affirmavit et confessus est, esset castrensium comitatus de Gora et in nullo sibi aut cognatis pertineret. Actum in praesentia d. regis in loco Crapinae in festo beatorum Marcellini et Petri in capella domini regis. Pristaldo Medilo existente.

Tkalčić: Mon. episcopatus zagrab. I. p. 54.

CLXXV. **Venetiis,** *3. Julii 1225.* Bartholomaeus Barocius de confinio s. Mariae Formosae stat plegius d. duci ad partem communis Veneciarum pro Miroslavo de Jadra sub poena librarum mille ven., quod ipse Mirus intra xxx dies aut in propria persona rediturus sit Venetias pro obside aut vero mittet filium Bogdani de Xigla de Jadra. — Item Bartholomaeus de Canale stat plegius pro Simone Desa Zotto de Jadra sub poena librarum 500 ven. et Joannes Badoaro stat pro Marino de Bertholdo de Jadra sub poena 1500 librarum ven. scilicet 1000 pro Marino et 500 librarum pro Simone — qui potest mandare pro obside nepotem suum Petrignam, Marinus vero filium Michae de Picenigo de Jadra. Item Andreas Georgio stat plegius et pagator pro Johanne Zavata de Jadra sub poena mille libr. ven. — Joannes de Jadra de confinio s. Mariae novae recipit a duce obsidem filium Dese de Picega de Jadra. — Idem Desa dimittit filium suum pro plegio pro eo in manu Joannis de Jadra de confinio s. Mariae Formosae.

Ljubić: Mon. Slav. mer. I, p. 35.

CLXXVI. **Venetiis,** *3. Julii 1225.* Marinus Michael de s. Sophia stat plegius et pagator d. duci ad partem communis Veneciarum pro Martino de Melgaca de Jadra sub poena mille librarum veneticarum, videlicet quod intra xxx dies ipse Martinus rediturus sit in virtute domini ducis pro obside in Venetias vel unum filiorum ejus mittet. — Eodem die stat plegius d. duci L. Gradenigo de confinio s. Silurii pro Stefano de Picega de Jadra sub poena librarum 1000 veneticarum, quod intra xxx dies in propria persona rediturus sit pro obside Venetias, aut mandabit suo loco Prestem filium Michae de Jadra.

Ljubić: Mon. Slav. mer. I, p. 34.

CLXXVII. **Venetiis,** *mense Augusto 1225.* Per ducem Venetiarum et minus consilium ordinatum, quod Arbenses pro questione Golli et Arte solvant pro duobus annis, qui elapsi erant, libras ccc. et a mense 1. Augusti usque vi annos dictae insulae inter comitem M. arbensem et arbenses communes remaneant secundum datum eis factum a d. duce.

Ljubić: Mon. Slav. merid. I, p. 36.

CLXXVIII. *A. 1225.* Bela rex junior primogenitus regis Andreae considerans multitudinem servitiorum Budunae et fratrum suorum Iwan et Leucha, nec non cognatorum suorum Georgii, Iwan filii Ladizlai, Birbizlai, Nicolai, Dobche, Miluani, Rodus, Tole, Roscoe et aliorum iuxta eiusdem generationis lineam descedentium, eximit eos ab obligatoria servitute castri zagrabiensis, volens ut in futurum honesta societate servientium regis gaudeant, et libertatis nobilitas in totam successionis posteritatem transfundatur. Datum per manus Mathiae praepositi zagrabiensis aulae cancellarii; existentibus Stephano episcopo zagrabiensi, Alader totius Slavoniae, Vonic de maritimis banis.

Fejér: Cod. dipl. T. III, v II., p. 481.

CLXXIX. *A. 1225.* Bela rex junior, ecclesiae b. M. V. de Topulcha cisterciensis ordinis, a patre rege Andrea fundatae, pro salute matris suae Gertrudis confert in usus fratrum et pauperum sustentationem, marturinas sex generationum comitatus de Gora, et quidem Pribislai de Bojna et fratrum, Alpreth, Martini filii Brochonis, Ratae, Bislai et Trucha et fratrum et cognatorum suorum; donat etiam xx marcas, quas annuatim iidem jobagiones solvere debebant. Testes: Guchulinus (sic) archiepiscopus spalatensis, Micha tiniensis, Martinus corbaviensis episcopi, N. marchio Istriae avunculus ac rector regis, nec non comes mosoniensis, Chak bodrugiensis, Pousa castri ferrei, Michael symigiensis, Wakiam zagrabiensis, Aladanus tavernicorum mag. Andreas dapiferorum, Bagamerius pincerna, Mathias zagrabiensis ecclesiae praepositus et aulae cancellarius, Stephanus electus episcopus zagrabiensis.

Tkalčić: Monumenta epp. zagrab. I. p. 54.

CLXXX. *A 1225.* Bela rex junior concedit hospitibus de Pernia (Perina) hanc libertatem: ut per septem annos in nullo ei teneantur, nec forum quod ibi celebratur per septennium tributum persolvat; transactis vero his annis, annuatim centum pensas regi persolvant, vel dexterarium tot pensis valentem; tributi autem tertia pars maiori eiusdem villae spectet jurisdictioni, residuas autem partes regi debeant administrari, nec aliquis eos praeter defensorem ipsorum, a rege statutum, audeat iudicare, appellatio autem causae fiat ad regem. Si Banus eis ad valorem unius marcae dampnum fecerit, in centuplo restituere debet, bano non aliud quam domos suas occasione descensus dare teneantur, pro aliis necessitatibus praecium recipiunt; bona sua quilibet cuilibet testandi habeat facultatem; si prolibus caruerit, domum suam vendere et emigrare cuiquam licitum. Sacerdotem, quemcumque voluerint, recipere possunt. Praeterea assignat illis montem Grachic nec non terram Zalac pro plantandis vineis. Terrarum autem termini hi sunt: ab oriente, ubi minor Chemenica cadit in magnam Pernia; exinde minor Pernica, dirigitur versus occidentem per viam, quae ad cruciferos vadit; ubi ipsa via et Prichlisnica et Perna simul veniunt, ibi est meta: Prichlisnica autem ascendit ad caput ipsius fontis, ibi est meta; iuxta semitam dextrorsum vadit ad caput aquae Jelesnicha; aqua autem ista confluit iuxta villam Drasen, cadit in viam, quae venit de foro regis; et villa ascendit iuxta minorem Chemernicha et coniungitur cum prima meta. Pristaldi: Petrus comes pilisiensis, et Mirizlaus de Goricha terrigena. Datum per manus Mathiae praepositi zagrabiensis aulae cancellarii. Existentibus Ugrino colocensi, Gunzulino spalatensi archiepiscopis, Stephano zagrabiensi, Martino corbaviensi, Micus pisceciensi (tinniniensi) episcopis, Chak

budrugiensi, Pol bachiensi, Buzad ferrei castri, Gecha zaladiensi, Mikka simigiensi, Paulo tavernico, Andrea dapiferorum, Bogomilo Pincernarum, Johanne agazonum magistris.

Ex transumpto capituli zagrabiensis de a. 1362 N. R. A. fasc. 1531. N. 2. Per banum Khuen-Hedervàry ex archivo regni Pestinum transmissum.

CLXXXI. *A. 1225.* Bela rex primogenitus regis Hungariae notificat, quod cum Motmirus quandam terram suam circa Toplica canonicorum zagrabiensium via iudicii contra Christianum perdidisset, tunc mater ejusdem Motmiri de iniuria et verecundia sibi illata graviter impetebat. Est quoque ad duellum adiudicatum et compositio in praesentia regis tali modo facta: ut duas partes terrae dictus Christianus matri M. restituat; mater autem M. eandem terram capitulo zagrabiensi pro remedio animae suae assignet retentis proventibus vita durante. Rex habito consilio jobagionum tam Ungarorum quam Sclavorum annuit hanc dispositionem. Metae terrae: A Bedna usque rivulum Cocosinec cadentem in illam, inde sursum per rivulum ad caput ejusdem, et ibidem est meta, quae dividit terram crisiensis castri, inde ad latůs montis Lubel, usque semitam pastoralem; inde versus orientem ad viam magnam Coziherbet, qui de Cris ducit in Worosd; inde descendit in vallem et ascendit in Studenc, inde a via magna divertit ad sinistrum et vadit, ubi Camieniza et Yelsavec oriuntur, et conjungitur terrae Petconis (Petkovec), per montem venit ad Cerovoberdo et descendit ad metam Osl, protenditur ad ulmum, ubi oritur rivulus Slatynic, per quem vertitur in Bedna. Pristaldus super his Petco comes crisiensis, cancellarius Mathias praepositus, banus Aladar.

Tkalčić: Monumenta epp. zagrab. I, 53.

CLXXXII. **Venetiis**, *initio mense Aprilis 1226.* Petrus Ziani dux Venetiarum scribit Joanni Dandulo propinquo suo et comiti ragusiensi et toti populo ragusino, quod litteras eorum per missos acceperit magna cum displicentia, cum ex iisdem litteris et missis intellexerit, quod de obsidibus et caeteris, quae fieri et transmitti expetivit, nihil adimplere velint; at cum missi eorum assererent, quod illi parati sint obsides destinare et inimicos venetos verius et non ficte pro suis inimicis habere; et contra Cacicios totum id facere, quod Zadra et caeterae insulae Venetorum facerent, ragusinae civitati a gravedine eius retraxerint manus. Qua de causa mandat, quatenus quae dicta sunt adimplere studiosus satagant. Si autem infrascriptos obsides non miserint, solvent de omnibus rebus, quas Venecias adduxerint, quadragesimum, et quae de aliis partibus adduxerint, illa facient aufferi. Nomina obsidum sunt haec: Nicoliza filius Jacobi de Corvo, Grobissa de Baliselava, Grai filius comitis Zudae (Judae), gener de Bubbagna Susinus, Stefanus filius comitis Luccari, filius Laurencii de Pisino, filius de Damiano de Gondola, filius de Domegna de Ragno, filius Nicolae de Morexa, filius de Damiano de Bucego, filius Todori Grosso, filius Mathaei de Bodaza, filius de Baglaza, Kalendus de Cerneca, filius de Benzola de Bodaza, unus ex illis de Gaglopa, unus de Ostiglia, filius de Damitro de Rusfis, Blasius gener de Jacobo, de Cerva, filius Petri de Morexa. Mandat dux insuper, ut omnes suas ballistas dirigant Venetias; in terram inimicorum veneticorum non pergant et cum inimicis non faciant mercatum.

Ljubić: Mon. Slav. merid. I, p. 37.

CLXXXIII. **Venetiis,** *25 Aprilis 1226.* Per ducem Venetiarum et consilium minus et mais ordinatum est, quod nullus Venetus, neque forinsecus, per se vel ejus nuntium audeat comparare de rebus vel mercibus Ragusiensium, neque de illis, quae fuerunt in navisollis Ragusiae, quae noviter venerunt in Zadra, vel contritis illis, videlicet de Zadra intra et quicumque repertus fuerit habere vel comparasse de mercibus ipsorum de illis, quae fuerunt de Slavonia, solvet quadragesimum.

Ljubić: Mon. Slav. mer. I, p. 37.

CLXXXIV. **Phari,** *30. Aprilis 1226.* Existente Micha episcopo pharensi, Pribislavo comite, Desislavo jupano et Nicolao judice. Idem Desislavus jupanus cum iudice et omni populo pharensi donat monasterio s. Silvestri de Busi quemdam locum, tali tenore, ut frater praedicti monasterii tempore hyemis usque ad carniprivium, vel si aliquando humor extiterit, nullatenus vetet adaquare bestias pharensium. Testes: jupanus Antomirae filius, et Dragoslaus, Petrus filius jupani de Slavogostis, Cheperna Chranco filius Nicolai, Stanoje filius Robe, Vladimirus filius Veleche, Drasemur Chranotta filius Cepcone, Bernardus notarius.

Ex antiquo manuscripto prof. Sim. Ljubić.

CLXXXV. **Venetiis,** *29. Mai 1226.* Petrus Ziani dux Venetiarum concedit mercatoribus ex regno Ungariae, qui Venetias venire vellent, quod secure veniant et recedant in personis et rebus, ita tamen, ut fisco persolvant ad rationem cujusquam centenarii xxx libras venetas.

Ljubić: Mon. Slav. mer. I, p. 38.

CLXXXVI. **Romae Laterani,** *11. Juni 1226.* Honorius III papa acceptis litteris archiepiscopi spalatensis et eius suffraganeorum intellexit, quod Caecilii Almissiani piratae ad eorum praedicationis instantiam promiserint se piraticam tirannidem de caetero dimissuros, dummodo ecclesiae romanae gratiam valeant rehabere, ac per eam possint sedes patrimoniorum suorum a rege recipere, quibus ab eo se asserunt spoliatos; mandat ergo praefatis, quatenus Caciclos prudenter inducant, ut cessent a malo, quia mater ecclesia poenitentibus veniam tribuit.

Theiner: Mon. Slav. merid. I., 73.

CLXXXVII. **Spalati,** *1. Augusti 1226.* Colomanus Ruthenorum rex et dux Dalmatiae atque Croatiae, cum ad partes maritimas descendisset, postulavit eum Treguanus episcopus traguriensis, ut ob salutem animae suae et ob requiem matris suae Gertrudae reginae locum Drid ecclesiae traguriensi intuitu elemosynae donet, cujus postulationi assensum praebens dictum Drid cum omnibus pertinentiis fato episcopo et ecclesiae in perpetuum donat, reducens in irritum omnem actionem et jurisdictionem, quam Ulcinna Tragurii quondam comes in eum locum ex commissione patrui sui Henrici quondam regis, vel Petrus de Chelmo ex concessione fratris sui Belae regis, seu alii quicumque dignoscuntur habuisse. Metae autem sunt: ab oriente maria, ab occidente Stelpona, ab aquilone terrae Tragurii quae Mezlime appellantur, ab austro vero terrae monasterii traguriensis. Hanc autem donationem contulit dux episcopo per Stephanum comitem. Acta iu praesentia Guncelli archiepiscopi spalatensis, Mikussi episcopi tiniensis, Nicolai scardonensis, Valegini bani, Sala-

monis Dimici comitis, Joannis comitis, Pauli comitis, Vladislai comitis, Gregorii comitis de Breberio. Scriptum in archiepiscopali palatio per manus magistri Barnabae aulae regiae vicecancellarii.

Farlati: Illyr. sacr. T. IV., p. 337.

CLXXXVIII. ***Post 1. Augusti 1226—1242.*** Bela rex, ad petitionem Treguani episcopi traguriensis, Cherne rectoris et omnium civium Tragurii confirmat privilegium Colomani regis et ducis totius Slavoniae a. 1226 extradatum super praedio Drid civitati Tragurii collato et etiam per regem Andream confirmato; extinguit quoque omnem iurisdictionem, quam comes Budislauus aut alii usurparunt. Eandem terram facit rex Bela restitui per comitem Petrum filium Gil, magistrum tavernicorum filii sui ducis Stephani, Colomanus autem ex largitate gloriosi patris sui Andreae regis dux Dalmatiae atque Croatiae contulit dictam terram cum ad partes maritimas descendisset, pro salute animae suae et matris suae Gertrudae, reducens in irritum omnem iurisdictionem, quam Volcinna traguriensis quondam comes, ex commissione regis q. Henrici, vel Petrus de Chelmo ex concessione regis Belae dignoscuntur habuisse. Testes privilegii Colomani regis erant: Gunzello archiepiscopus spalatensis, Michussa episcopus tinniniensis, Nicolaus episcopus scard., Valeginnus banus, Salamon banus, Dimitria comes, Michael comes, Paulus comes, Vidislav comes, Gregorius comes de Berberio, Barnabas vicecancellarius ducis.

Privilegium Belae regis fuit consignatum aurea bulla pendente. Cancellarius Benedictus electus archiepiscopus colocensis. Dionisius banus totius Sclavoniae et Maritimarum.

Ex transumpto Joannis cancellarii tragur. a. 1323. In mea collectione.

CLXXXIX. **Venetiis,** ***8. Augusti 1226.*** Joannes archiepiscopus Jadrae iurat in praesentia ducis et Jacobi de Molino, M. Storlati, P. Barbi, S. Marglioni et Petri Barbi consiliorum suorum, quod per ullum ingenium per se vel ejus nuntium nec aliquam personam hujus mundi aliquam conventionem vel conspirationem cum hominibus aliquibus Jadrae vel alterius partis non fecerit, nec fieri fecit, nec consensit, quae aliquo modo esse possint in damnum et detrimentum Venetiarum aut Jadrae; item nec in futurum facturum aliquid contra damnum dominationis venetae.

Ljubić: Mon. Slav. mer. I, p. 39.

CXC. **Venetiis,** ***9. Octobris 1226.*** Andreas Marino stat plegius et pagator d. ducis et communis Venetiarum sub poena librarum 50. ven. pro Johanne filio Mathaei de Cherso, qui venerat Venetias cum obsidibus Chersi, videlicet quod idem Johannes sine mandato d. ducis et consilii de Venceiis non sit exiturus et quando quaesitus fuerit se presentabit.

Sequuntur et alii obsides chersani: 1. Prema de Cherso. — 2 Ceprian nepos Mathaei Marini de Cherso, qui venerat pro obside occasione crudelis mortis nobilis viri comitis N. 3. Dominicus Mathaei Marini de Cherso, qui venerat pro obside eadem occasione.

Ljubić: Mon. Slav. mer. I, p. 39.

CXCI. **Venetiis,** ***10. Octobris 1226.*** Obsides Ragusii, quos dux et consilium Venetiis petiit sibi dari: Unus ex fratribus Baisclavae, unus filius Jacobi de Cerna, unus filius de Martinuso, unus ex fratribus de Gaglopis, unus filiorum

Todori de Crosse, unus filiorum et fratrum de Naimerio, unus de Raigna unus de Rosigna, unus de Dobranica, unus de Gondola et de Morra, unus filius Damiani vel Junii de Gleia, unus de Bucignola nomine, filius Damjani; praeterea Nicolaus de Moresa et Petrus eius frater, unus de Stiglo et Slaba de Lampo, unus de Bonaza, Mathaeus vel Mencola, unus de Vitali Prasso et de Carnixe, unus de Macino, unus filiorum de Lampi et de Stopacha, unus filiorum de Pecoraro (Ovčarević) et de Rastij, Nicolaus de Pecenico cum fratribus dent unum ex filiis, unus de Manduca vicina et de Zars-Zers.

Ljubić: Mon Slav. mer. I, p. 40.

CXCII. **Venetiis,** *29. Octobris 1226.* Per ducem Venetiarum et suum consilium ordinatum et stridatum est publice super scalas Rivoalti: quod nullus homo Venetiarum, nec forensis, audeat in antea per se vel suum nuntium per aliquod ingenium recipere in sua domo aliquem Ragusinum, nec aliqua mercimonia Ragusanorum nisi in prima vel secunda die fecerit hoc notum vicedomino Venetiarum sub poena librarum xxx et solidorum xii et duplum quantum solverit Ragusinus.

Ljubić: Mon. Slav. mer. I, p. 41.

CXCIII. **Venetiis,** *29. Novembris 1226.* Ordinatum fuit, quod nullus Venetus aut forensis audeat comparare aut facere comparare in Jadra nec a Jadra infra mercimonia deducta in Venetias in poena xxx libr. ven. et solidos xii.

Ljubić: Mon. Slav. merid. I, p. 41.

CXCIV. *A. 1226.* Colomanus rex Rutheniae nec non Croatiae Dalmatiaeque dux confert ecclesiae s. Laurentii de Hoy (Háj), quam avia ejus construxit, portum qui dicitur Paul pro remedio animae defunctae matris suae Gertrudis. concedente patre ejus rege Andrea.

Fejer: Cod. dipl. T. VI, vol. 2, p. 363.

CXCV. *A. 1226.* Bela rex junior, cum quidam Egidius propter privationem oculorum sui fratris per Muterinum filium Moterini ad judicium regis petiisset, judicavit illos rex cum consilio suorum jobagionum ad examen duelli exequendum. Et quia dictus Muterinus ad dictum terminum non venit, nec misit, ipsum in CC marcis tam pro privacione oculorum quam in factis damnis condemnavit. Sed quia magistro Stephano episcopo zagrabiensi attinebat, ad petitionem ipsius commisit, ut inter eos pacem laeviorem reformaret, et ut dictus Muterinus adversario CL. marcas persolvat; sed quia non habuit unde posset persolvere, praefatum episcopum coram pristaldo regis Chete comite et coram multis aliis rogavit, ut ipse pro toto suo praedio, quod inter Dravam et Muram habebat, praefatam pecuniam adversario suo solveret, tali conditione, ut si usque ad nativitatem domini proxime venturum non redderet, tunc et totum praedium perderet et contra episcopum reclamationem non haberet. Et quia dictam pecuniam nec usque dictum terminum, nec ad prolongatum usque pascham solvere voluit, habito consilio omnium magnatum regis et consensu dictum Muterini praedium Bistric et Otok Sciget, rex episcopo in perpetuum adiudicavit Pristaldo comite Chete, et cancellario Mathia praeposito zagrab.

Tkalčić: Monumenta epp. zagrab. I, 57.

CXCVI. *A. 1226.* Stephanus episcopus zagrabiensis concedit cruciferis s. sepulchri decimas de villa eorundem Caluch (Thalec) dicta, cum omnibus suis pertinentiis.

Ex actis Soc. Jesu zagr. in archivo zagr. fasc. VIII, N. 2.

CXCVII. *A. 1224—1226.* Andreas II rex jobagionibus suis Wegeslov filiis Welcheta, filiis Beriov, et Dachun filio Vislov, et filiis Mortunus in Banatu existentibus, eo quod coronae regiae in solita fidelitate eos perseverasse compererit, illos quadraginta duos fresaticos, quos pro denariis marturinalibus de populis suis de singulis mansionibus fisco debebant, liberalitate regia ellevat et disponit, ut in posterum duodecim tantummodo frisaticos de qualibet mansione populorum suorum sicut tempore regis Colomani consvetum fuerat usui regio dare teneantur. Subscripti: Thomas strigoniensis, Ugrinus calocensis archiepiscopus, inter episcopos Stephanus zagrabiensis. Salamon banus et comes saladiensis. Datum per manus magistri Stephani, d. papae subdiaconi et aulae cancellarii. Confirmatum per Karolum regem a. 1326.

Originale in mea collectione.

CXCVIII. *11. Januarii 1227.* Honorius III papa adjudicat Ugrino archiepiscopo et capitulo colocensi castrum Posega cum suis pertinentiis, specialiter pro haereticis de finibus illis penitus profligandis, consentientibus rege Ungariae et Bela ejus primogenito.

Tkalčić: Monum. episc. zagr. I, 57.

CXCIX. **Venetiis,** *9. Februarii 1227.* Consilium venetum facit recordationem, quod Andreas II rex Ungariae per litteras significaverit, ablationem rerum mercatorum Venetorum in illius terra ignorari, dedit tamen in mandatis, ut per episcopum georiensem illos, per quos damna sunt illata, plenius intiment.

Ljubić: Mon. Slav. merid. I, p. 42.

CC. **Romae, Laterani,** *15. Januarii 1227.* Honorius III papa monet Joannem (ulterioris Sirmii dominum) et natum Margaritae quondam imperatricis constantinopolitanae, ad implementum voti expeditionem sacram contra haereticos de Bosna suscipiendi, cum ab archiepiscopo colocensi ducentas marcas receperit eo fine, ut se crucis signaculo insignet; sed ab eo pluries requisitus, contra haerettcos procedere non curavit. Mandat insimul praeposito et magistro Ypolito, canonicis albensibus, vesprimiensis dioecesis, ut eum ad complendum promissum per censuram ecclesiasticam compellant.

Fejer: Cod. dipl. Hung. t. III, vol. II, p. 101. Theiner: Mon. Hung. I, 72.

CCI. **Venetiis,** *mense Martio 1227.* Petrus Ziani dux Venetiarum cum suo consilio, ad petitionem legatorum jadrensium Cerne de Carboro et Joanne Ragni ex parte comitis et communis Jadrae, concedit, quod Jadra possit dare a tribus usque sex obsides romano imperatori, si evenerit, quod ipse faceret eos per suos nuntios requiri pro facto guerrae Caciciorum.

Ljubić: Mon. Slav. merid. I, p. 42.

CCII. **Spalati,** *14. Aprilis 1227.* Temporibus Guncelli archiepiscopi spalatensis, Gregorii illustrissimi comitis, Michae Zadali vicarii, Petrus filius quondam zupani Ursici recognoscit, quod a Gregorio comite et tota commu-

nitate nobilium populoque spalatensi receperit castellum de Clissa pro conservatione ad honorem coronae regni Hungariae et ad salutem civitatum Spalati et Tragurii, promittens se conservare velle idem castellum contra quemlibet hominum. Pro majori autem cautella et securitate deposuerunt titulo pignoris quidam nobiles mille perperos; et quidem Madius civis spal. socer dicti Petri 150, Micha frater ejus 50, Stepo cognatus ejus 50, Cuzeta 50, Dessa Michaelis 50, Cusan 50, Leonardus Michae 50, Stire Mager 50, Martinus Luccari 50, Vulcinna Desazzae 50, Bucassin 50, Theodosius nepos Drimi 50, Petrus de Camercio 50, Stanicca Jancii 50, Jacobus Leonardi 50, Forminus Tessae 50, Jacobus traguriensis 50. Hi omnes juraverunt quoque in praesentia Gregorii dicti comitis, Stephani et Michae iudicum, Dragonis de Pinsa, Georgii Mattaei de Grute, Dirmi Formiui, Dragonis Nicolae, Gregorii Lucae, Murgia et aliorum. De Tragurio: Desa de Luca, Casotti Milae etc Scripsit Thomas clericus juratus notarius communitatis de Spalato.

Lucius: Memorie di Traù. p. 34.

CCIII. **Romae, Laterani**, *a. 1227.* Honorius III papa ad petitionem magistri et fratrum templi in Ungaria grato concurrens assensu, domum de Luz cum portu et piscariis suis, Rassan et Kar, piscariam Soroud, Vesice, Licenica, Odohila et Wodicha villas cum pertinentiis, apostolica auctoritate confirmat.

Wenzel: Codex dipl. Arpad. T. XI., p. 201.

CCIV. **Spalati**, *11. Mai 1227.* Gregorius comes spalatensis et Guncellus archiepiscopus spalatensis terminant causam inter fratres domus militiae templi de Urana et Forminum nepotem Petri Strisii et alios patronos ecclesiae circa possessionem ecclesiae s. Petri de Bada. Praesentibus Stephano et Micha judicibus, Drago Primore, Lucaro Stresii, Duimo Formino et aliis.

Farlati: Illyr. sacr. T. III., p. 255.

CCV. **Anagniae**, *25. Junii 1227.* Gregorius IX papa confirmat episcopo et capitulo zagrabiensi ad petitionem illorum privilegia collata ecclesiae zagrabiensi per reges Hungariae et Croatiae, per duces et alios fideles, in specie privilegium Emerici regis de a. 1201, Andreae regis de a. 1217, et Belae ducis de a. 1222.

Theiner: Mon. Slav. merid. I, 79.

CCVI. **Anagniae**, *9. Julii 1227.* Gregorius IX papa confirmat capitulo zagrabiensi omnia privilegia et donationes possessionum, collata ei a regibus et aliis et in specie a Hemerico et Andrea rege (a. 1199 et 1217).

Theiner: Monum. Hung. I, 73. Tkalčić: Mon. episc. zagr. I, p. 59.

CCVII. **Anagniae**, *10. Julii 1227.* Gregorius IX papa confirmat episcopo zagrabiensi privilegia et donationes, collata ei per reges Hemericum, Andream II, et Belam regem juniorem.

Theiner l. c. 79. Tkalčić: Mon. episc. zagr. I, 60.

CCVIII. **Anagniae**, *18 Julii 1227.* Gregorius IX papa edoctus, quod clarae memoriae Ladislaus rex Ungariae populum de Dumbroa cum terra et silva

ecclesiae zagrabiensi contulerit, cum eadem silva fuisset per quemdam Sudegnam ecclesiae subtracta, bonae memoriae Felicianus archiepiscopus strigoniensis, causa sibi super hoc regia auctoritate commissa, per sententiam ecclesiae restituit. Super qua processu temporis Adilbreth frater Kaladini comitis symegiensis et quidam alii moverunt contra dictam ecclesiam coram dicto archiepiscopo quaestionem. Qui pro ecclesia sententiam promulgavit. Hanc sententiam factam a 1134 approbat nunc papa.

Tkalčić: Mon. episc. zagr. I, p. 61. Theiner: Mon. Hung. I, p. 85.

CCIX. **Anagniae,** *24. Julii 1227.* Gregorius IX papa annuens postulationibus Aringerii archiepiscopi ragusini, ad exemplum praedecessorum suorum Innocentii, Anastasii, Adriani, Alexandri et Urbani pontificum suscipit illum sub b. Petri et suam protectionem, possessiones ecclesiae eius confirmat, uti et omnes parochias ad eam pertinentes, scilicet regnum Zachulmiae, regnum Serviliae, quod est Bosna, et regnum Tribuniae, civitatem quoque catarinensem seu Rosae, budvanensem, antivarensem, liciniatensem, scodriensem, drivastinensem et polatensem cum abbatiis, ecclesiis et parochiis suis, ratas habet et confirmat; pallii quoque usum ultro quoque concedit. Subscripserunt cum Gregorio pontifice Gelagius albanensis episcopus, Conradus portuensis et s. rufiensis episcopus, Gvidus praenestinensis episcopus, Oliverus sabinensis episcopus, Stephanus basilicae 12 apostolorum presb. cardinalis, Thomas s. Sabinae presb. cardin., Octavius ss. Sergii et Bacchi dioec. card., Raiuerius s. Mariae in Cosmidin diac card., Stephanus s. Adriani diac. card., Petrus s. Georgii ad velum aureum diac. card. Per manus magistri Sinibaldi s. rom. eccl. vicecancellarii.

Farlati: Illyr. sacr. VI, 96. Ex transumpto bullarum archivi ragusini. MSC. p. 8. in mea collectione.

CCX. **Reate,** *30. Julii 1227.* Gregorius IX papa accepta quaerimonia a magistro et fratribus militiae templi in Hungaria et Slavonia, quod ipsi domibus, villis, possessionibus et rebus aliis a Colomano rege et duce Slavoniae fuerfnt spoliati, mandat Bartholomaeo episcopo et praeposito, ac abbati cisterciensis ordinis, dioecesis quinqueecclesiensis, ut ipsi factam jam pridem inter ambas partes compositionem, remota appellatione, per censuram ecclesiasticam faciant firmiter observari.

Fejer: Codex dipl. Hung. III, vol. II, p. 112.

CCXI. *20. Augusti 1227.* Magister Nicolaus filius Petri de Ludbregh, volens saluti animae suae et proximorum suorum providere, donat suam possessionem empticiam Vrazilaz in districtu zagrabiensi de comitatu Morocha ecclesiae beati regis Stephani, et hanc offert in festo eiusdem, maioris missae officio existente. Si autem capitulum processu temporis voluerit hanc terram dare alicui, praediali more, non possit dare alteri, quam alicui de eius haeredibus; castra vero sua et suorum haeredum Zelna et Bistricha cum suis pertinenciis non possint aliquo colore per detentores eiusdem possessionis in aliquo offendi vel turbari.

Tkalčić: Mon. episc. zagr. I, p. 57.

CCXII. **Venetiis,** *29. Septembris 1227.* Ordinatum est per ducem et consilium venetum, ut P. Maurocenus qua legatus ducis eat ad Chersum pro facto comitis N. Quirini. Pro qua legatione recepit CL libras pro tribus mensibus.

Ljubić: Mon Slav merid. I., p. 44.

CCXIII. **Venetiis,** *9. Octobris 1227.* Petrus Ziani dux Venetiarum cum suo consilio facit recordationem, quod J. Dauro, M. Donato et Filipus Julianus confessi sint, quod, quando ipsi de mandato consilii iverunt ad comitatum abserensem pro facto crudelis mortis N. Quirini, audiverint Marinum vicecomitem ab ore podzupani Permanae de Cherso, quod ante mortem dicti comitis fuerint interfecti boves et vaccae CXL ab hominibus de Cafisolo, comitis peccora cum lacte 80, multoni 184, agnelli 80, caprae 143, bici 38, caureoli 38 Ab archidiacono autem et a Mathaeo Marino vicecomite intellexerunt, quod 22 jumenta sint in insula, quae fuerunt comitis et quae sunt in custodia communis. Ab ore Draxicae podzupani de Absero audiverunt, quod ipse habeat dicti comitis peccora 930 sine fructu huius anni. Et Drubagus fuit confessus, quod habuerit bestias 400 minus 6 a comite.

Ljubić: Monumenta Slavorum meridionalium. I. p. 44.

CCXIV. **Cathari,** *mense Octobri 1227.* Blasius catharensis episcopus una cum omni catharensi clero et communitate, sub tempore regis Radoslavi, faciunt breve Mathaeo de Bovali propter bonum servitium, quod gessit ecclesiae et civitati adducens caput sanctissimi Triphonis, patroni et protectoris sui, propter quod donant ei agrum de s. Theodoro. Absolvunt eum et haeredes suos ab omni datione communis in perpetuum. Et dum gesta de hac translatione scribere facient, ipsum in eisdem commemorabunt. Haec omnia jurarunt: Notarius capitularis Tryphon archidiaconus cum presbytero Jacobo, archipresbytero et presbytero Junio communis notario et multis aliis presbyteris et Triphone Bolizae et Milessa Dino judicibus juratis in civitate eo tempore. Testes: Serga Zudinus, Andreas catharensis, Marinus Moschac, Joannes Eutici, Joannes Jacobus, Petrus filius Joannis Dabronis.

Farlati: Illyr. Sacr. T. VI., p. 439. Trans. ex collectione D. Papafavae. MSC.

CCXV. **Venetiis,** *16. Novembris 1227.* Yvanus zupanus et Andreas de Petrizo de Jadra legati stant plegii d. duci et communi Venetiarum pro Domaldo de Volcina de Jadra et Petro Pogano filio Laurentii de Jadra sub poena yperpeporum auri 500 pro unaquoque ipsorum, si contigerit eos facere aliquid contra honorem ducis vel comitis Jadrae aut ejus filii.

Ljubić: Mon. Slav. merid. I, p. 45.

CCXVI. *A. 1227.* Andreas II rex confirmat donationem Colomani ducis filii sui factam episcopo et ecclesiae traguriensi de praedio et terra Drid prope civitatem Tragurii, cassans omnem jurisdictionem, quam vel Vulcinna quondam traguriensis comes, vel Budislaus Gregorii comitis consobrinus, vel alius quispiam in eundem locum dignoscitur habuisse.

Farlati: Illyr. sacr. T. IV., p. 337.

CCXVII. *A. 1227.* Stephanus episcopus zagrabiensis proventus decimarum suarum, cultelli scilicet zagrabiensis parochiae provenientes, exceptis eis quae

ad cellarium eius solent deputari, scilicet frumento, avena, cera, melle, lino, fabis, agnis et nucibus, nec non fertone cancellarii et una marca pincernae, concessit capitulo zagrabiensi pro cappis suis singulis annis renovandis. Decimas quoque de Gercha (Gverche, Gorica?), exceptis supradictis accessoriis, et ducentos porcos et ducentos cubulos vini de cellario zagrabiensi eis contulit. Praeterea, cum canonici non habuerint habitacula communia, in qua convenientes ad divina officia in domo domini expedicius possint concurrere, curiam suam et omnes domos in eadem existentes eisdem perpetuo contulit inhabitandas, ut in unum convenientes valeant salubriter cotidianum officium decantare.

Tkalčić: Mon. episc. zagr. I, p. 58

CCXVIII. *1225—1228.* Cum nonnulli ex iis fratribus praedicatorum, qui ad terram sanctam destinati fuerant, Ragusium appulissent, Arringerius Romanus archiepiscopus et Nicolaus de Sorrento rector seu comes Ragusii ditinuerunt illos in civitate, et tradiderunt illis quoddam sacellum ad moenia civitatis s. Jacobo apostolo sacratum, domosque, quae circum erant, pro conventu destinaverunt. Cum autem numerus fratrum in brevi usque ad 40 crevit, donavit illis a. 1228 nobilis civis de Palmota ecclesiam b. virginis in coelos assumptae et domum et hortum extra muros civitatis iuxta sacellum s. Jacobi.

Farlati: Illyr. sacr. T. VI. p. 95.

CCXIX. **Braciae,** *21 Martii 1228.* Temporibus regis Andreae II, Drasinae comitis Braciae, Dragoslav jupani, et Parvoslov et Gregorii Dragosii judicum, comparuit ante curiam in Nerezi Ivan Bloy et praesentavit pecuniam prout in sudbina, pro vinea viverinae, et licentiatus fuit. Barnabas archipresbiter juratus scriba communitatis scripsit.

Cicarelli: Osservazioni sulla Isolla di Brazza, p. 106.

CCXX. *27. Augusti 1228.* Capitulum zagrabiense attestatur, quod Volcheta nobili viro, una cum fratribus suis Szida et Merga filiis Mezten ab una parte, et Roberto comite filii Abel personaliter constitutis, idem Volcheta cum fratribus confessi sint, quod ipsi vinculum proximitatis cum ipso comite Roberto contrahere volentes, per filiam praefati Volcheta nomine Dragozt, possessionem suam culpateum cum omnibus pertinentiis contulerint eidem Roberto. Pro maiori cautela exmiserunt magistrum Dragozlaum pro inspiciendis metis. Cui commissioni astiterunt etiam proximi Vlchetae comitis et fratrum suorum, scilicet: Cocurina et Volchetk filii Mestina, Gerdimer et Vranesco filii Crisan, Volk et Nork filii Norsa, Junosa filius Kobeda, Predizlaus cum fratribus et proximis, Orcun, Dragos, Ertesa, Cherneht, Odola, Zorislav filii Chuchuk, Volkouoy et Volk filii Stoislai, qui donationem ratificarunt. Metarum prima incipit ubi quidam alveus Szavae Struzeht vocatus cadit in Savam, per quem venit ad unum Cheret, a quo vadit ad fluvium Cerita; inde venit ad quoddam ium(?) inde ad locum Pyavichna per unum fluvium ad silvam Megnakea, inde ad fluvium Cherenchina, per viam vadit per unum Siget bona longitudine et venit ad viam antiquam versus septemtrionem, per quam procedit nimia longitudine a sinistra parte terra abbatis de Toplica, a dextra terra Roberti comitis. Per eandem viam ad rivum Szlepeht et per eundem cadit in fluvium Moschenicha, per quem cadit in Culpam, hinc per eandem

Culpam exit directe inter Rakov et Goricha, venit ad locum Vruit et per quandam viam versus Sciteht et ad rivulum Cozopor cadit in Culpam, et in eodem fluvio descendit et pervenit ad eum locum, ubi Sava et Culpa coniunguntur seu commiscentur; per Savam in magno spatio venit ad lacum Lokov et per medium lacum in magna longitudine venit ad lacum Crepche, et per medium vadit ad arborem Dobri dub — per terram Loca in fluvium Scepcina, ubi limites nobilium Domonoslav a metis Roberti comitis separantur; hinc per Scepcina, ubi nobiles de Blina commetantur, per quem fluvium cadit in Savam, et per magnum spatium iterum ad alveum Struzeht (Stružec).

Tkalčić: Mon. episc. zagr. I, p. 61.

CCXXI. **Perusii,** *9. Julii 1228.* Gregorius IX papa mandat omnibus praelatis ecclesiarum per Istriam, Dalmatiam et Slavoniam, quatenus devotionem fidelium ad venerationem beati Francisci institutoris fratrum minorum excitantes festivitatem eidem 4 nonis Octobris annis singulis excolant et pronuntient.

Fabianich: Storia dei frati minori in Dalmatia e Bosna. I, 407.

CCXXII. **Venetiis,** *25. Decembris 1228.* Ordinatum est per ducem et consilium venetum, minus et maius, et stridatum publice Rivoalti in scalis, quod nullus Venetus a modo in antea usque ad s. Petrum proximum in Junio in persona vel per suum missum audeat ire aut mandare per terram vel per aquam a Jadra supra, nec a civitati Firmi nec in Ancona.

Ljubić: Mon. Slav. merid. I, p. 45.

CCXXIII. *A. 1228.* Andreas II rex notificat, quod comes Marcellus filius Petri filii comitis de Pukur (Pakrac) et de genere Tecun, una cum Mychaele et Benedicto fratribus suis quaerulando supplicarint, ut cum idem comes Marcellus in regiis servitiis ultra mare cum rege fuisset, quidam vicini possessionis ipsorum Oziagh metas eiusdem in multis locis destruxissent, supplicarunt itaque regem ut easdem veras et antiquas metas de novo circumdari facere dignaretur. Rex confirmando eis possessionem praefatam, misit hominem suum cum homine capituli quinqueecclesiensis, qui dictas metas reambularunt et segregarunt. Prima itaque meta incipit in littore Dravae a parte septentrionali, in vicinitate possessionis nobilium de Raholka, Bogonov vocatae, in fine cuiusdam silvae ilicum Tulherdeu nuncupatae; ab occidente vadit ad plagam meridionalem per lacus et per prata ad dumos viminum, Requitye (Rakitje) dictorum; inde ad unum portum penes terras possessionis Bogonov et Ozyagh; ibi transit magnam viam in meridie; inde tendit ad stagnum Stoysentherith ad magnam viam, per quam itur de Ozyagh ad villam Wyllow: inde ad puteum Hvalen et silvam Saas (šaš), et tendit in parte meridionali in lacum Ivahon malakya, et intrat ad unam viam magnam, per quam itur de Ozyagh in Willow, deinde ad silvam Slosye. Tendit ad terras minor Palana dictas, et venit ad lacum Ragtonicha. In magno spatio cadit in fluvium Crasow, transit ad lacum et fluvium Clocochuch et de ipso ad lacum Rezna et ad alium lacum Pezye mlaka; inde prope magnam viam, per quam itur ab Raholcha ad Ozyak. Eundo prope lacum Cheruch vadit ad maiorem et minorem Dragoztryuch et iuxta pontem Scurubuch hyda, cadit ad fluvium Pezchyna, et ad alium fluvium Wlchyche procedendo ad fluvium Lokanech, ubi terrae nobilium de Raholcha

terminantur. Incipit tenere cum Matuchyna, in parte septentrionali venit ad lacum Rogtouicha et silvam memorosam Kanachyn, cadit in fluvium Mathuchyna et per unam silvam ad magnam viam in qua itur ad Ozyagh. In bono spatio cadit in oriente ad fluvium Fluniz bekoyk et per fluvium Bakoyk tenet metam cum Nekche (Našice) et cadit in magno spacio in fluvium Nekche. Venit in oriente ad lacum Byztra et ad alium lacum Machlyn. Deinde ad lacum Kathkona et cadit in fluvium Brezthnyche. Incipit tenere cum terra Kos et cadit ad fluvium Wlchyche. Intrat ad aquam Medves, tenet commetaneitatem cum cruciferis de dicto Crassov et intrat ad fluvium Crassov ubi meta cruciferorum terminatur. In magno spatio venit ad metam terrae Serech usque ad unum monticulum, sub quo est magna via per quam itur de Ozyagh ad Serech (Šerec?). Intrat in stagnum Martyna. Inde ad duas magnas arbores iuxta fluvium Dravae cadit in ipsum fluvium et contra cursum eiusdem nimis longe pergit in suo abyssu et pervenit ad priores metas in littore Dravae incoatas, ubi terminantur. Datum per manus Alberti aulae cancellarii praepositi orodiensis. Existentibus Stephano episcopo zagrabiensi, Jula bano et comite supruniensi, Ocys (Ochich) curiali comite reginae.

Fejer: Cod. dipl. Hung. III, vol. II, p. 134.

CCXXIV. *A. 1228.* Dionisius comes palatinus manifestat, quod inter Rubinum filium comitis Job de genere Woyk et ejus generationem ab una parte, ab altera comitem Petrum filium Marcelli de genere Thethen (Tecun?) et totam generationem suam, fomes discordiae per longum tempus pro terra inter fluvios Puxker (Pakra) et Thopolcha (Toplica) adiacente et aliis rebus ac damnis processisset, tandem ad regem fuit deducta, quum rex, vice sua, eidem commisit audiendam et fine debito terminandam, Rubinus allegavit quod dicta terra per comitem Petrum sit vi occupata, produxitque instrumenta authentica Stephani et Belae Belyn regum condam Hungariae, quae comes Petrus improbare conabatur. Sed quia nullum privilegium ad juris sui defensionem produxit, nec proceres inter Dravum et Savum commorantes pro parte ipsius quidquam responderunt, sua improbacio locum habere non potuit. Appellavit ergo Petrus iteratim ad regem et astiterunt ambae partes in praesencia domini regis et exposita fuerunt instrumenta filiorum Woyk, quorum vigore spanatum sive knezatum iam in fata terra tenuerant, altereantibus ambobus partibus inventus fuit comes Petrus tamquam calumniator, rex tamen ei poenam remisit, et ambas partes ad concordiam revocavit. Comes ergo Petrus partem praedictae terrae, supra quam villa Keresztor ad generationem Woyk pertinens extitit fundata, cum omnibus pertinentiis Rubino concessit, aliam vera partem terrae, supra quam villa Megeriwch (Medjurečje) exstitit fundata, cum omnibus pertinentiis Rubinus comiti Petro annuit. Litteras quoque mortuas et innanes proclamarunt. Ad revidendas metas terrarum comes Zochud exmissus. Et quidem incipit prima meta terrae Woykonis in fluvio Toplicha, ubi aqua Mechchencha cadit in eandem et per longum spatium pervenit ad locum, ubi rivulus Zuha Mechencha cadit in Mechencham et per varias metas ad viam magnam, quae venit de Pukur, et per vallem nemorosam in aquam pluvialem Werbnichapothok et iterum in Toplicha. Consensum quoque praebuerunt: Woyna filius Woynae, Johannes filius Fabiani, Zazlau et Mark filii Buza, filii comitis Job

de generatione Woyk. Item Arnoldus f. Peterd, Leukus f. Deschan, de generatione comitis Petri et Stephanus et Ivan de genere Tholonygh.

Feyer: Croatiae et Slavoniae. p. 128 Wenczel. Cod. arpad. VI, p. 457.

CCXXV. *A. 1228.* Ugrinus archiepiscopus colocensis suscipiens delegatam a rege causam cognoscendam inter abbatem s. Martini de Pannonia et abbatem s. Demetrii de Sirmia super quadam piscina sita juxta Knesa, quae vulgariter Miruth vocatur. Cum enim ventum esset ad processum negotii, abbas de Pannonia piscacionem in dicta piscina violenter esse factam a jobbagionibus abbatis s. Demetrii ad damnum marcarum XVI et hoc testimonio provincialium comprobavit, asserens per autenticum (privilegium) s. Ladislai se probaturum, quod piscina sit monasterii s. Martini, abbas tamen s. Demetrii et ejus populi reclamarunt et dixerunt, quod eadem piscina esset jus eorum ecclesiae, et quod hoc demonstrare velint privilegio, quod haberent apud episcopum quinqueecclesiensem et comitem Cletum. Statuto termino abbas de Pannonia exemplar sui privilegii praesentavit, paratus etiam autenticum praesentare, altera parte nullo innitente instrumento. Terminus abbati s. Demetrii prolongatus fuit usque ad pascha. Usus tamen piscinae relictus abbati s. Martini. Damnum et judicium persolvere habuit abbas s. Demetrii. Hanc sententiam confirmavit et rex Andreas II pro Urio seu Urosio abbate s. Martini.

Wenczel: Codex dipl. Arpad. T. I., p. 248.

CCXXVI. *Circa 1228.* Treguanus episcopus traguriensis scribit Guncello archiepiscopo spalatensi: cum propter valetudinem corporis lecto affixus Spalatum adire non posset, et cum audiverit eum curiam romanam visitare velle, sed cum plures ecclesiae spalatensis archiepiscopatus suo pastore vacent, opportet extendere sollicitudinem ad subrogationem earum, dat ei propterea consilium, ut per nuntios et litteras studeat efficere, ut ad vacantem sedem nullus eligatur absque sua conscientia et capituli spalatensis.

Farlati: Illyr. sacr. T. IV., p. 338.

CCXXVII. *Circa 1228.* Treguanus episcopus traguriensis scribit C. archidiacono spalatensi et capitulo, rogans propensius, quatenus suorum obsequiorum intuitu Prodanum servientem suum et concanonicum in jure beneficiorum sibi ab illis collatorum manutenere dignarentur.

Farlati: Illyr. Sacr. T. IV., p. 338.

CCXXVIII. *Circa 1228.* Colomanus rex Ruthenorum et dux totius Slavoniae statuit primo Laurentium filium Ompud in comitem de Gerha (Gora?); sed cum nihil boni, multa tamen mala fecisset, abstulit ab eo eumdem comitatum, inferens ei poenam ut meruit. Postmodum ad preces fratrum eiusdem Dionisii palatini et Michaelis magistri recepit illum in gratiam suam et contulit ei comitatum Maris de Podogola (Podolja?). Sed ille non oblitus nequiciarum 24 villas ad idem castrum pertinentes personaliter combussit, ac duas ecclesias, putans pecuniam in ea invenire, destruxit. Ad hoc statuit dux, licet de eo sibi satisfacere potuisset, ipsum coram patre suo rege Andrea ac omnium jobagionum suorum judicio tradere. Quem pater suus et omnes fere barones regni reum proclamarunt et ad ammissionem omnium suarum possessionum condemnarunt. Ad multas tamen preces, maxime patris sui, pepercit illi dux et de possessionibus eius solummodo praedium Lipow (Lipovac), cum

idem Laurentius et pater ducis et alii instantes rogassent, accepit. Quod praedium Demetrio magistro alienatum fuit cum aggravatione patris eiusdem. Vendidit ergo illud dux pro mille marcis.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. I, p. 256.

CCXXIX. *A. 1228.* Bela rex junior confert Stephano episcopo zagrabiensi ad recompensationem ejusdem servitiorum villam Vertus cum suis cohabitatoribus a castro symegiensi exceptam, et fecit illum per comitem Iseph filium Joanis introduci. Datum per manus Mathiae praepositi zagrabiensis aulae cancellarii.

Ex archivo archiepiscopi zagrabiensis. Liber privileg. p. 39. Tkalčić: Mon. episc. zagr. p. 56 ad a. 1226.

CCXXX. **Jaderae,** *circa 1228.* G. archiepiscopus spalatensis promittit se firmiter stare ad omnia, quae inter eum et capitulum eius frater Gvarinus cum suis fratribus decreverit ordinandum. Libros autem, quos apud se habet, promittit firmiter, quod absque omni lite usque ad festum s. Martini ecclesiae restiturus sit, scilicet: . . epistolare, ordinarium sermocinale, institutiones et tapetem. Praesentibus procurantibus causam capituli Vita primicerio, Petro et Desa diaconibus, Thoma subdiacono testimonio Bartholi nonensis et Nicolai scardonensis, Nicolai et Jacomini fratrum minorum et abbatis Chranae, laicorum vero Grubae spalatensis et Cernae carl. civis jadrensis.

Ex archivo aulico viennensi. Act. spal. cap. Carrara: Archiv. capit. p. 11.

CCXXXI. **Perusii,** *20. Januarii 1229.* Gregorius IX papa concedit Ugrino archiepiscopo colociensi facultatem novam sedem episcopalem in monasterio Cuchet (Ku, Kow, Kö) statuendi authoritate apostolica.

Farlati: Illyr. sacr. T. VII., p. 544. Theiner: Mon. Hung. I, 88.

CCXXXII. **Arbi,** *3. Februarii 1229.* Temporibus Jacobi Teupolo ducis Veneciarum, et Jordani episcopi arbensis et Petri comitis, dictus episcopus scriptum recordationis fieri jubet de terris et vineis et aliis jurisdictionibus episcopatus arbensis et cum penitus ignorentur jura episcopatus et ecclesiae, fecit jurare tres clericos et tres laicos, quorum nomina sunt: Ursus quondam abbas s. Petri, Designa archipresbyter, Stephanus presbyter, Philippus filius quondam Fusci judex, Julianus atque Designa filius quondam Micali, ut secundum suum scire jura ei probarent et demonstrarent. Inprimis Designa archipresbyter juravit, quod locus Salbinus iuxta montem s. Damiani, cum loco Potueto et Pulveraria tota usque ad Lapisum, et vinea, quam tenet potestas Andreas prope fontem Bonifacii et totus mons de Sciro, et locellus Catilla et totum Pluginum usque ad Drinduli et campus de Pino et terra de Vallicella et terra de Pertamo et terra Sassi sint et extiterint ecclesiae s. Mariae. Item vinea, quam tenet Ugolus frater quondam Prodani episcopi de Lauro, ac quondam episcopus Andreas eam tenebat. Et vallis plana et vinea uxoris Lampridii qu. de Bagnolo et Gurgum quondam Catalella de Marano, et monticellus de Cupellago, quem tenet Marius Gissani.

Designa dixit, quod cum esset quartarius episcopi Prodani, vendidit terram, in qua presbyter Drasimerus habet vineam in Sabuno, vinea Marinae Gerdussae et vinea quondam Fanfognae et vineae Bivaldi, Petri Buzolae, Cipriani veglensis, Joannis Fligulini, Locavae, filiorum Maltravae, Nicolae Mignorelli, Joannis presbyteri de Bencina et Drasignae Stannae . . . . et vendidit locum,

quem tenet Ragaza cum episcopo Andrea et cum Brugnolo quondam quartario et vineae Madii Bertaldi et Calendae et pastinum orient et vinea Designae Vilzi et filiorum Lampridii Costizzae, quae omnes sunt in Galbano et fuerunt in terris ecclesiae s. Mariae.

Philippus judex juravit, se a patre suo audivisse, quod a via, qua venitur a monte s. Damiani usque ad viam publicam et eundo versus austrum usque ad vineam s. Petri et Cotopagnae, totum fuit de quarto et vinea Vezoli et vinea uxoris Lampridii et Gurgium Vazatrichi, quod tenet Vitus Zadolini, erant ecclesiae s. Mariae. Item Salinae in capite Comorcarii et molendinum prope monasterium s. Petri et terra in Murano. Testis Stephanus archidiaconus etc

Farlati: Illyr. sacr. V. 246.

CCXXXIII. **Perusii,** *3. Martii 1229.* Gregorius IX papa scribit legato suo Egidio subdiacono et capellano, quomodo colocensis archiepiscopus in sua praesentia fecerit recitari, quod nobilis mulier . . soror regis Ungariae acquisiverit terram ulteriorem Sirmiam, ratione partis Ungariae quae citerior Sirmia nuncupatur, quae ad nutum dictae sororis regis regitur adeo, quod quidam de clericis archiepiscopo ipsi subjectis, per eam in maiori ecclesia, quam terrae illius homines episcopalem nominant, provisor sit deputatus ad tempus, donec de ipsa, quae Graecorum ritum tenet et nondum sedi apostolicae obediuit, ipsa sedes disponet. Quare archiepiscopus supplicavit, ut cum praefata ecclesia colocensis vicinior et conterminata esse noscatur, ipsam novo episcopatui, qui de licentia pontificis in citeriori Sirmia debet creari, per ipsum annectere dignaretur. Cum ad honorem apostolicae sedis pertineat, ut Sclavi et Graeci, qui terram illam inhabitant, ad latinorum ritum et obedientiam romanae ecclesiae, si fieri potest, convertantur; mandat legato, si in ecclesia illa sit episcopus et sub obedientia ecclesiae romanae esse voluerit, eum recipiat, si autem non sit episcopus, vel si noluerit obedire Romae, dicto novo episcopatui adjiciat ecclesias.

Theiner: Mon. Hung. I. p. 88. Farlati: op. cit. VII, 545.

CCXXXIV. **Venetiis,** *6. Martii 1229.* Jacobus Teupolo dux Venetiarum post suam electionem et introitum statuit, quod debeat habere qua dux annuatim 2800 denariorum venetorum quousque in ducatu steterit, et 350 romanatos de redditu comitatus Vegloe et pro regaliis eiusdem comitatus romanatos 60 eo tempore annuatim, quo continetur in promissionibus illis, quas Joannes, Vido et Henricus comites Veglae fecerunt praedecessori suo Henrico Dandulo — et habere debet inter caetera regalia tam Chersi et Auseri quam de comitatu Arbae, Ragusii et Sansegi.

Ljubić: Mon. Slav. mer. I, p. 46.

CCXXXV. **Jaderae,** *8. Augusti 1229.* Tempore Jacobi Theupuli ducis Venetiarum, Johannis archiepiscopi jadrensis, Marini Danduli comitis, Gaja abbatissa monasterii s. Nicholai una cum monialibus Marina, Dobrica, Donza, Stana, Dessa, Velcilla, Honorata, Procha, Duna, Fumia et Honorata affirmat, se accepisse a Jurcone pro libertate Milae disti monasterii formulae emptae pro perperis sex, uxoris vero eiusdem Jurconis perperos duodecim, nec sit illis licitum eandem pro servitio repetere. Praesentibus abbate s. Chrisogoni, presbitero Michaele s. Eliae, Desa presbitero dicti monasterii s. Nicolai, pres-

bitero Bartholomaeo, laicis Bubeo, Mendino, Draximir. Scripsit Filippus filius Jacobi Petri mortui, interfuit Rainerius, jadrensis notarius.

Ex mea collectione.

CCXXXVI. *Mense Septembris 1229.* Guncellus archiepiscopus commemorat qualiter sit processum in causa, quae inter templarios ex una parte et Robertum abbatem de Rogova ex parte altera levata fuit. Quoniam cum nuper in curia d. Colomani regis et Julae bani ejusdem multa controversia super quibusdam possessionibus ad Rogovam pertinentibus inter templarios et R. abbatem orta fuisset, pro bono pacis ambae partes, videlicet magister Ranardus argentarius et Johannes de . . . cum fratribus suis, et Stephanus comes Tragurii procurator ejusdem abbatis solemniter compositum scripserunt; nimirum: quod in festo nativitatis b. M. virginis magistro et fratribus domus militiae templi ex parte una et abbati et monachis s. Cosmae et Damiani in Dalmatia ex altera super quibusdam possessionibus de Rogova, pro quibus inter partes coram Jula bano totius Sclavoniae questio vertebatur, tandem magister domus templi stante pro parte sua ac Stephano de Breberio comiti, Tragurii procuratore stante pro abbate et monachis coram archiepiscopo spalatensi de forma pacis in hunc modum extitit ordinatum: quod dictus magister venerit ad partes maritimas in Vranam, convocatis praefato archiepiscopo nec non aliis tam spiritualibus et ecclesiasticis personis quam saecularibus bonis viris, quos partes voluerunt communiter evocare. Si de plano potuerit fieri compositio de sexaginta romanatis aureis, quos dictus comes S. pro liberatione bonorum monasterii ex parte bani confiscatorum eidem bano solvere promisit, dicti magister et fratres templarii sive partem sive totum cum ratione praevia abbati et monachis reddere teneantur. Quod si autem causa amicabiliter non potuerit terminari, electi sunt arbitri: dictus archiepiscopus, R. nonensis episcopus cum fratre monacho de Thopliza et alio fratre domus hospitalis, nec non duobus fratribus praedicatorum et duobus fratribus minoribus, a quorum judicio appelata ultro non permittitur; juraverunt namque ambae partes judicio arbitrorum penitus se subjicere velle; annotatur etiam, quod electus Stephanus comes nomine etiam fratris sui Gregorii comitis spalatensis et nomine fratrum et cognatorum suorum manu firmiter promisit, quod de possessionibus ad Albam maritimam desolatam spectantibus, quae civitas ad fratres templarios pertinere dignoscitur, in subsidium seu patrocinium abbatis et monachorum contra templarios non opponent. Templariis tamen non comparentibus ad iudicium, lata est sententia per arbitros in favorem monachorum.

Farlati: Illyr. sacr. T. III., p. 257.

VVXXXII. **Cathari,** *11. Octobris 1229.* Blasius episcopus catharensis cum Triphone archidiacono et reliquis clericis cum judicibus et nobilibus civitatis instituunt decretum, ut in antea nullus homo ex ciuitate praesumat credere aliquam causam abbati Matthaeo s. Georgii, nec ipsius monachis super causis s. Georgii. Nec ullus homo audeat emere terras aut vineas de s. Georgio ab illis, nec credere illis aliquam pecuniam super paramentis monasterii. Qui contra fecerit, perdat pretium illis datum et subiaceat poenae excommunicationis.

Farlati: Illyr. sacr. T. VI, p. 439.

CCXXXVIII. *A. 1229.* Andreas II rex donat servienti suo Michaeli filio Abrahe, qui a primis suae pueritiae temporibus tum in regno, tum extra

regnum et maxime in expeditione Rasciae, rege personaliter ibidem existente, indefesse perservissent, et totiens se suaque mortis exposuisset periculo, terram Chokol, vacantem incolis et a castro albensi exemptam.

Tkalčić: Mon. episc. zagr. I., p. 64.

CCXXXIX. **Spalati,** *1229.* Michael farensis episcopus, Treguanus episcopus traguriensis et Cataldus electus archidiaconus spalatensis cum Vita primicerio et cum toto capitulo, electi per Guncellum archiepiscopum spalatensem, ad consecrationem Nicolai electi scardonensis, consulunt ei et suggerunt modis omnibus, ipsum qua episcopum tertium, absque dubio procedere posse consecrationem. Et hoc fecerunt ex consensu omnium suffraganeorum, qui consultationi interesse non potuerant, propter Slavos totam Dalmatiam destruentes.

Farlati: Illyr. Sacr. T. III. p. 256.

CCXXXX. *A. 1229.* Andreas II rex accedente ad suam curiam et in conspectum suorum etiam jobagionum Stephano episcopo zagrabiensi, qui a rege postulavit, ut aut secundum instituta veteris testamenti totam suam dioecesim iustas decimas omnium frugum, aut secundum antiquam consvetudinem Ungariae singula pondera pro singulis capeciis persolvi faceret. Rex autem statuit, licet hoc episcopo grave videbatur, habito consilio jobagionum, ut iustas decimas omnium frugum in specie, aut pro duabus capeciis unum pondus persolvatur. Ita tamen, ut quicunque solvere noluerit, excommunicari possit. Per Bulchu gevriensem praepositum et aulae cancellarium; existentibus Stephano zagrabiensi episcopo, Ochuz curiali comite reginae etc.

Tkalčić: Mon. episc. zagr. I, p. 63.

CCXXXXI. *6. Decembris 1229.* Capitulum chasmensis ecclesiae commendat memoriae, quod comes Germanus a parte una, ab altera autem Paulus et Gregorius filii Ilij coram constituti, idem comes Germanus quandam terram in Kamacha (Kamarcha) prope ecclesiam b. Virginis iuxta aquam Kamarha, ad ipsum ex parte dicti Pauli pro 25 marcis titulo pignoris devolutam, quam Paulus in termino non redemerat, amore cognationis reliquit eidem Paulo, relaxatis quinque marcis; pro residuis 20 marcis iidem fratres Paulus et Gregorius confessi sunt terram ad quinque aratra cum sessione Ilija patris eorum in monte et fundo unius molendini pignori obligasse Dominico filio comitis Garmani.

Wenzel: Cod. dipl. arpad. VI, p. 479.

CCXXXXII. *A. 1229.* Colomanus Haliciae rex ac dux Slavoniae notificat, quod terram quandam exceptam de villa Thomae, ad quatuor aratra, quam Dominicus quondam comes filius Rugas, Don et Mathiae contulerat, ab eis non abstulerit verum cognita fidelitate eorum, eis possidendam et suis haeredibus contulit, assignatis metis per pristaldum Polen.

Wenzel: Cod. dipl. arpad. VI, p. 477.

CCXXXXIII. *Circa 1229.* Colomanus dux Croatiae et Dalmatiae mandat comiti et communitati spalatensis civitatis, ut cum omnibus suis navibus, tam parvis quam magnis, decenter apparati, dum nuntium ad eos miserit contra Domaldum inimicum regis in auxilium occurrant et de rebus eiusdem Domaldi nihil in suam custodiam recipere praesumant.

Ex archivo aulico vindobonnensi. Acta spal. XII/124. Carrara: Archiv. capit. di Spalato p. 73.

CCXXXXIV. *A. 1229.* Magnus iupanus (Rasciae) Stephanus cum suis filiis iurat comiti Ragusii Johanni Dandulo et toti communi ragusinae civitatis, quod eorum amicus cum suis filiis futurus sit donec ei recti fuerint. Si aliquis eorum inimicus ad eius terram fugerit et de illa ceperit eos molestare, dabit illum eis. Homines cum mercimoniis possunt venire sine ullo timore, quod est mercatorum consvetudo, dabunt ei. Et Slavus non apprehendet Raguseum sine iudicio. Si factum fuerit iniustum, inter civitatem ragusinam et terram eius positi erunt judices, ubi est consvetudo et judicabunt.

Ex archivo aulico vindobonensi. Ragusa rub. serb. 163/5.

CCXXXXV. ***Circa** 1230.(?)* Zellovellus gratia Venetiarum ducis comes ragusiensis, scribit nobili viro, eadem gratia spalatensi potestati Velcinno et traguriensi comiti et nobilibus eiusdem civitatis: cum Judas olim ragusiensis comes nec suis nec illorum civibus justitiam facere voluerit, et ideo dissensio et pignora inter eos et Raguseos de die in diem crescebant, nunc autem quia civitas ragasensis gratia dei de confinibus Venetiarum habetur, volunt ut mala omnia cessent et pax firma perduret.

***In archivo aulico viennensi inter acta ragusina.** Carrara: **Archiv. capit. di Spalato** p. 73.*

CCXXXXVI. *9. **Februarii** 1230.* Farcasius praepositus quinqueecclesiensis et totum capitulum notificat, quod Abraam comes filius Marcelli, homo magistri File praepositi zagrabiensis et cancellarii Colomani regis, coram illis fuerit protestatus, quod terras ipsius Donat et Drauch, quas habuit iuxta Ruch (Rovišće?) emptitias et terram ex altera parte Ruch nominatam Cudumred, regi Colomanno, duci totius Sclavoniae in commutationem terrarum Pucruch ab eodem rege receptarum, predicto magistro File eo tenore remisisset, ut ipse comes Abraam praedictum magistrum File super terris iam praefatis, si aliquis eas impetere praesumeret, ab eius vexatione eximere et liberare teneatur.

N. R. A. Fasc. 1501. N. 8. ex actis archivi regni per banum Khuen-Hedervary deportatis.

CCXXXXVII. **Colocae,** ***m. majo** 1230.* Ugrinus archiepiscopus colocensis, cum inter Stephanum episcopum zagrabiensem et eius ecclesiae capitulum ex una parte, ex altera autem inter magistrum et fratres domus militiae templi per regnum Ungariae et Slavoniae super qnadam terra Rasecha coram Colomano rege (et duce) quaestio diutius verteretur, tandem amicabiliter ita composuit: Quod dicti magister et fratres totam illam terram, quam habent ultra Dravam versus Slavoniam, terrae dicti episcopi, quae Vasca dicitur, contiguam, quam Benedictus quondam banus dictae domui templi pro salute animae suae contulit, zagrabiensi ecclesiae dimiserint, tali conditione, quod dictus episcopus zagrabiensis et capitulum bona fide promiserint, quod super Rasecha permanente templariis nihil de caetero reclamabunt. Sub paena 200 marcarum illius partis, quae a composicione recederet.

***Tkalčić: Mon. ep. zagrab. I.** p. 65. **Farlati: Illyr. sacr. T. V,** p. 363.*

CCXXXXVIII. **In Arascia,** *15. **Juli** 1230.* Radoslaus rex Serbiae et maritimi una cum fratribus suis Vla islavo et Urosio, attendentes servitia nobilium de Catharo, quae patri eorum Stephano primo coronato regi et avo eorum s. Simeoni Nemagnae praestiterunt et ipsis nunc praestant, confirmat eis privilegium regis Georgii de dato 15 Augusti a. 1215. super collatione terrae

Prevlacha cum concessione reaedificationis ecclesiae s. Archangeli et donatione locorum Lustiza et Pasiglav et cum tota planitie usque ad confinium de Gasral.

Rad. akad. jugosl. I, p. 130. Nani: De duobus nummis regis Rassiae, p. XLV.

CCXXXXIX. *A. 1230.* Nemilus vicebanus et comes zagrabiensis testatur, quod cum venisset ad eum jobagio Tersa cum litteris Colomani, ut praeceptum adimpleret, venit ad terram Zlatenich (Slatinić?) ad perambulandam eam. monachi autem prohibuerunt ei terram illam perambulare dicentes, quod esset data ecclesiae de Toplica per privilegium regis Andreae, quod etiam ostenderunt. Quo perlecto coram Martino corbaviensi episcopo et coram sex generationibus, invenit vicebanus dictam terram Terse in privilegio monachorum; Martinus tamen episcopus affirmavit, quod dicta terra esset castrensium. Habito consilio cum jobagionibus adiudicata est terra monachis. Ad hoc nominati sunt duo pristaldi, unus terrigena Yareslav et alter Ungarus nomine Kesseu.

Tkalčić: Mon. episc. zagr. I, p. 68.

CCL. *A. 1230.* Capitulum ecclesiae zagrabiensis notificat, quomodo Zibisclaus filius Cojan cum suo fratre Marco et cum parentibus suis agnovisset, quod terram Slatennic, ad monasterium de Toplica pertinentem, per aliquod tempus indebite occupasset. Impetente vero ipsum abbate, recognoscentes praefati terram non sui juris esse, coram capitulo dicto abbati resignassent. Metae terrae sunt: prima ubi Dramonin cadit in Glinam, inde descendit ad caput rivuli et vadit ad fossas Crenichischa, deinde ad rivulum Vulchi, inde supra domum Torse ad locum Caliche, inde ad locum Zlobinocancep, inde per viam in monte, quae vadit a Bayne a Bachuse, inde per eandem viam ad locum Prohod, inde supra magnam vineam ecclesiae toplicensis ad montem Vruit, inde ad arborem clenik, ubi terminatur. Existentibus: Andrea rege Belae filio eius regnum Hungariae gubernante, Colomanno totius Sclavoniae ducatum tenente, Stephano secundo episcopo zagrabiensi, Mathia praeposito, Pugrino cantore, Gabriele custode, Simeone decano et caeteris.

Tkalčić: Mon. ep. zagr. I, p. 66.

CCLI. *Mense Maio aut Junio 1231.* Colomanus Ruthenorum rex et Slavoniae dux considerans fratrum militiae templi religiosam devotionem et assiduos labores quos ab hostibus crucis Christi incessanter perferunt, dignum duxit omnes templarios, qui infra ducatum Slavoniae sunt, et omnes eorum terminos tam in Dalmatia quam in Croatia et omnia eorum bona mobilia et immobilia contra quemlibet hominem protegere. Concedens illis insignia privilegia et libertates.

Theiner: Mon. Hung. vetera I, p. 97. Ex confirmatoriis litteris Gregorii IX papae.

CCLII. **Reate,** *8. Julii 1231.* Gregorius IX papa ad petitionem fratrum militiae templi confirmat compositionem inter eos ex una parte et Colomanum Ruthenorum regem ex altera super quibusdam villis, domibus, possessionibus, animalibus et rebus aliis, quibus illi ab ipso causabantur, factam amicabiliter eodem anno 1231 In productis Colomanni regis et Slavoniae ducis litteris commemorat idem, quod considerans fratrum militiae templi religiosam devo-

tionem et assiduos labores, necessarium duxerit omnes templarios, qui infra ducatum suum Slavoniae sunt et terminos eorum tam in Dalmatia quam in Croatia et omnia eorundem bona mobilia et immobilia contra quemlibet hominem ubique protegere, ut regali gratia securi tranquilla pace Christo deserviant. Constituit itaque, ut nullus dux, nullus banus, nullus comes vel baiulus nec aliquis alius in ducatu Slavoniae, descensum, vel tributum, collectam, vel liberos denarios sive marturinas, vel denarios ponderis, vel hominum computum vel exactionem aliquam, a fratribus vel eius jobagionibus praesumat exigere. Confirmat illis omnes collationes praedecessorum suorum regum sive ducum Slavoniae. Insuper cum iidem fratres litteras apostolicas ad V. archiepiscopum colocenses, Bartholomaeum quinqueecclesiensem et S(tephanum) zagrabiensem episcopos obtinuissent, qui eum ad ablatas possessiones restituendas coercere debuissent, ille pacem litibus praeponens, eis omnia ablata in integrum restitui decrevit. Datum per manus Farcasii agriensis praepositi et aulae suae cancellarii.

Theiner: Mon. hist. Hung. vet. T. I. p. 97.

CCLIII. **Ragusii,** *15. Novembris 1231.* In ordinata curia, cum sonitu campanae, in praesentia d. Joannis Danduli militis Ragusii comitis, et coram subscriptis testibus comes Helias filius Grubessae, quondam comitis, concordavit cum communi Ragusii de omnibus suis causis et suorum hominum, quas tulerunt in Corcira. Testes sunt: comes Draganus de Almisso, Borco judex de Clissa, Joannes Gundulae, Gervasius Marini, Andreas Dabranae et Babona Petri, jurati judices et Petrus Ballislavae et Damianus Bocinolli et Thomas Pezane, consiliarii et Petrus Ziela, et presbiter paschalis juratus notarius qua scriptor.

Ex archivo aulico vienensi. Acta ragusana nr. 962. Ljubić: Mon Slavor. merid. I, 46.

CCLIV. **Spalati,** *15 Octobris 1231. (?)* Temporibus Guncelli archiepiscopi spalatensis, Gregorii (de Briberio) comitis, Stephani curiae vicarii, ... inna relicta Gaudii concessit filiae suae Chatenae monachae tenere burnum in vita sua, post mortem autem eius vadit in proprietatem ambarum sororum eius, Marae et Slavae. Praesentes: praesbiter Ivan, Jurra, Mathias et alii. Scripsit notarius comitis Choas (?).

Ex archivo monialium s. Mariae Jaderae.

CCLV. *A 1231.* Colomanus rex et dux totius Sclavoniae concedit hospitibus juxta castrum Volkow, Teutonicis videlicet Saxonibus, Hungaris et Sclavis, talem libertatem, ut omnem causam, praeter effusionem sanguinis, major villae eorum, quem ipsimet exposuerint, iudicare teneatur, effusionem autem sanguinis cum janitore castri possit judicare. Porro, quod de qualibet porta dimidium fertonem dare teneantur. Item si quis sine haeredibus decedere contigerit, pecuniam suam cuicumque vellet possit disponere Item, quod nullus absque serie judicii de villa eorum ligatum aut vinctum possit quempiam extrahere; item contulit illis rex terram T. et libertatem piscandi in Danubio et fluvio Walkow, conceditque jus liberae emigrationis. Praesentibus jobagionibus: Jula bano, filioque ejus altero Jula, magistro tavernicorum suorum, Nicolao de Zala, Opoi de Simig, Petro de Walkow, Georgio de Barana, comitatus tenentibus. Per manus magistri File notarii.

Fejer: III, 237.

CCLVI. *A. 1231.* Bela rex (junior) primogenitus regis, cum per divinae dispositionis gratiam voluntate et auctoritate patris et maturo principum suorum consilio praesente suo Colomano rege et duce totius Slavoniae causam perpetuitatum discuteret, in detrimentum regiae coronae donationes terrarum factas revocans, Thomas quondam banus, Macharei comitis filius, super haereditatibus, pascuis et terris titulo emptionis, possessionis privilegia ei exhibuit, in quibus continebantur merita sua et fidelitatis obsequia, vulnerum in hostili conflicto receptorum, sanguinis effusio etc. Rex ergo communicato fratris sui et principum terrae consilo, omnia eius instrumenta et possessiones confirmat. Datum per manus Mathiae praepositi zagrabiensis aulae cancellarii.

Wenzel: Cod. dipl. Arpadianus. T. XI, p. 234.

CCLVII. *A. 1231.* Andreas II rex considerans indeciduum et indesinens meritorum obsequium, quod Thomas comes filius Macharei comitis a primaevis iuventutis suae temporibus semper exhibuit, et maxime propter eximia opera, quibus semper claruit et cum inter eum et Hemericum regem multiplices adversitatum fluctuationes emergerent, nec carceris erumnas pro eodem Andrea sustinere expavit, nec minas, nec vulnera, nec aliquod genus mortis, aut laborem et viarum tedia trepidavit, et demum cum rex ultra mare in subsidium sanctae terrae profectus fuisset et postea de ultramarinis partibus domum reversus, quam plurimis regnum hostiliter affligentibus Thomam comitem in solita fidelitate constanter perseverasse invenit. Propter quod confert ei primo terram Sounchа in bachiensi comitatu, quae fuit terra Vros sine haerede defuncti, item terram et piscinam Sowala in comitatu volcoyensi, iuxta Danubium; item terram cum silva, quae fuit piscatorum de Zagrabia, cujus meta incipit in Odra, ubi cadit Rybnicha in Odram et venit ad Timenera Mlaca, dein in Zavam et descendit inferius, ubi exit de Zawa Netusla Mlaca et vadit in Chyrnich et ubi exit Golina Mlaca et ad Caminam, ubi eadem Mlaca cadit in Zavam et super Zavam ubi exit Mortincastrug et ad Ruscam et ubi Rusca venit in Odram. Haec sunt nomina camporum: Pola, Durnye, Lysnic, Ruffa, Pala, Polana, Crisna. Rex quoque facit per Petcu de villa Barasuha omnes possessiones Thomae comitis et fratrum et consangvineorum circumscribere. Et est in Syrma terra Solt, ubi stetit ecclesia s. Laurentii, alias tres partes donarunt fratres Nicolaus Stephanus et Egidius monasteriis s. Spiritus et s. Crucis. (Thomas nominatur in textu et banus.) Ultra vero Dravam in loco Monislov Thomas comes habet quartam partem, cujus prima meta est a confinio montis Garig, qui vocatur Rusych et vadit usque ad locum Chasma Berke iuxta domum Dragos, et per quandam viam ad fluvium Lakauch, super quem sedet Didislav et per viam in fine Las ad Chasma usque ad Johannem Scelpe; item terra Thola, cuius meta est iuxta Chasmam locus Protisca subtus Dragos fenery et inde usque ad caput Zidriach, ad locum Galgeia et ad locum Cheret, et in domum Cresse, item ad unam Mlacam, quae intrat in Golgovam. Porro praedium Cheresnew, quod vocatur Vni; item quarta pars in Nuach, quae est iuxta Dravam et villam Michaelis et villam Scelku. Aliam partem habet Johannes filius sororis Thomae Cheva, qui vendidit villam Dragun et Gongay comiti Thomae. Tertia soror est Jecha. Occurunt in metis villa Veretne, terra Lakavcy, praedium Bosol iuxta aquam Olma, villa Nigosloy et

Blasey, fluvius Zogovca, villa Pelesev et Varatie, vicus Mort et vallis Slatinik et portus Nuach et terra episcopi zagrabiensis.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. T. XI, p. 218.

CCLVIII. **Ragusii,** *13. Januarii et* **Venetiis,** *mense Maio 1232.* Cum Binzola Bobatiae et Gervasius Naimerii, viri nobiles et nuntii civitatis Ragusii ad praesentiam ducis Jacobi Teupoli venissent, petentes concordiam et reconciliationem et ostendentes commissionem quam habuerunt super hoc de dato 13 januarii a. c. quam illis dederant jurati judices civitatis ragusinae: Joannes Gundula, Gervasius Marini, Andreas Dabranae, Mathaeus Bobatiae, Bubanna Petri et consiliarii Damianus Bocinoli, Balatia Gervasii, Petrus Balislavae, Thomas Pezzanae, Joannes Lampri et totus populus ragusinus, dux et commune Venetiarum assenserunt in concordiam et pactum ad tres annos et tantum plus quantum dux voluerit. Inprimis subdunt se Ragusini veneto dominio et petierunt, ut possint eligere comitem de Venetis, Ragusani eligent semper et archiepiscopum ex Venetis, parati sunt etiam cum assensu sedis apostolicae confirmationem expetere a patriarcha gradensi, archiepiscopus jurabit fidelitatem dominio veneto, clerus ter in anno duci laudes cantabit. Omnes homines a tredecim annis et supra jurabunt etiam fidelitatem duci et comiti per Venetos posito. Dux habebit liberum in Ragusa descensum et hospitium. Exercitum usque Durachium et infra usque Brundusium et infra augent Ragusini secundum numerum virorum suorum. Si Veneti facient exercitum cum 30 lignis armatis, Ragusini facient tricesimam partem. Daciam de navibus extraneorum tollent in Ragusio eandem, quam et Veneti in Venetia, amicos et inimicos habebunt communes. Si Venetia miserit contra Caciclios et Dalmesanios (Almissanos), galleas, Ragusini debent mittere lignum cum 50 hominibus decenter armatis. Pro regaliis dabunt duci omni anno in festo oo. sanctorum yperperos 12, et communi Venetiarum yperperos aureos 100 et comiti yperperos 400. Obsides dabunt 12 de 12 nobilibus parentatibus, e quibus morabuntur Venetiis semper 6 cum cambio omni medio anno. Si aliquis moreretur aut fugerit dabunt alium in loco ejus. De mercibus romanis apportatis Venetias dabunt Ragusini quinque pro centenario. De mercibus ultramarinis et terris Egipti, Tonissi et Barbariae dabunt quintum, de mercibus Sclavoniae in Veneciis nihil solvere debent. Tantum cum quatvor navigialis debent Ragusini venire per annum et si aliter venerint, solvent quintum de omnibus mercibus Romaniae. Tempore guerrae et pacis licitum est Ragusinis ire ad mercandum a Culfo Coranti infra. In aliis partibus vetitis non audent ire, nisi secundum quod fecerint Veneti. Venetiis non audent facere mercatum cum foristeriis.

Ljubić: Mon. Slav. mer. I, p. 46. In variis exemplaribus varie. Suspectum.

CCLIX. **Reate,** *20. Martii 1232.* Gregorius IX papa in litteris ad Ugrinum archiepiscopum colocensem datis miratur non modicum, quod cum ex monasterio de Cuchet suae dioecesis ecclesiam erexerit cathedralem, episcopum ad titulum eiusdem ecclesiae in episcopum (Innocentium) consecrando archidiaconus sirmiensis (Oliverius) in tantam proruperit temeritatis audaciam, ut in eundem episcopum et ecclesiam suam iurisdictionem exercere praesumat. Cum igitur idem episcopus supplicaverit, ut super hoc sibi providere dignaretur, mandat archiepiscopo, quatenus praefato archidiacono, ne in eum et ecclesiam iuris-

dictionem aliquam exercere praesumat, ex parte rom. pontificis districte studeat inhibere.

Farlati: Illyr. sacr. T. VII. p. 548. Theiner: Mon. vet Hung. I, p. 103.

CCLX. **Jaderae,** *14. Aprilis 1232.* Temporibus ducis Venetiarum Joannis Theupolo, archiepiscopi jadrensis Johannis et comitis ... Petrus de sancto Georgio, habens commissionem a Bonsegno percipiendi ab Andrea de Petrizo quandam pecuniariam summam pro eodem Bonsegno, aut cartam securitatis, fatetur, quod acceperit a dicto Andrea libras denariorum veneticorum quadraginta, unam minus, denarios decem et octo, et confirmat hoc cum carta securitatis. Praesentibus testibus Michaele Gastaldo et Negoy proprio nepote, Dumnus Martini examinator subscribit, Rainerius jadrensis notarius cartam scribit et signo consveto roborat.

Ex mea collectione.

CCLXI. **Tragurii** *20. Aprilis 1232.* Tempore Treguani episcopi, Stephani comitis, Casotto et Luca Theodosii judicibus, Stana uxor Petrissae cum filiis suis profitetur, se percepisse a domino episcopo 20 perperos pro domo, quae fuit viri sui. Sita est domus iuxta illam, quam Venna obtulit beato Laurentio. Testes: Urso archidiaconus, Innocentius presbyter, Theodorus Rugia et Elias filius Mathaei, Joannes juratus notarius traguriensis et canonicus s. Laurentii.

Farlati: Illyr. sacr. IV, 338.

CCLXII. **Quinqueecclesiis,** *mense Aprili 1232.* Garinus praepositus et totum capitulum quinqueecclesiense notificat, quod Ivanka filius Abraham de genere Sudan ex una parte, et Mortun et Wolko filius Gordassa, Christofol filius Kyris et Lauryez filius Mycola ex altera confessi sint, quod quatvor postremi iam dicti sub testimonio et voluntate colocensis archiepiscopi terram Bedech et Terpyez, quae ad 30 aratra protenditur, Ivanka filio Abraham pro 50 marcis vendiderint. Meta incipit in Zelemen et subtus est puteus, qui vocatur Kenez kuta et inde iuxta terram Drusko ad locum, ubi rivulus Papugh cadit in Cirkonik a parte orientis sub Fenes berek et pervenit ad rivulum, qui cadit in Cirkonik et ibi terra Drusko finitur et commetatur Abraham jobagionis castri. — Per varias metas pervenit in occidente ad Pales potoka, venit ad siccam vallem et in magno spatio ad Zelemen et iterum in magno spatio cadit in magnum potok et in Pukur et iuxta montem Suoysam in aquilone ad magnum Zelemen, ubi commetatur terrae magistri Julae et ad primam metam. Subscripti: Georgius cantor, Lyka custos, Pethe decanus et Thomas lector quinqueecclesiensis.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VI, p. 512.

CCLXIII. **Laterani,** *30. Maii 1232.* Gregorius IX papa mandat Jacobo prenestino electo, apostolicae sedis legato, ut episcopum de Bosna, qui, prout ex processu inquisitionis eiusdem legati didicit, legem Christi damnabiliter praevaricavit, a regimine ecclesiae amoveat, et tam in eadem ecclesia quam in locis aliis bosnensis dioecesis, quae ut dicitur non modicum est diffusa, duos vel tres aut quatuor, prout viderit expediens, doctos in lege domini, studeat in episcopos ordinare, eidem iniungendo, ut cum habitatores illius terrae dicantur in facultatibus tenues et in malititia locupletes, qui pro magna parte sunt infecti haeretica pravitate, eos ab errore exemplo boni operis et documento sermonis revocet.

Theiner: Mon. Hung. I, p. 113.

CCLXIV. **Spoleti**, *5. Junii 1232.* Gregorius IX papa scribit archiepiscopo colocensi, episcopo zagrabiensi et praeposito s. Laurentii colocensis dioecesis: Cum graves et enormes episcopi de Bosna excessus et maculas non potuisset obaudire; idem enim, utpote litteralis expers scientiae ac haereticorum publicus defensator, per quemdam haereticum simonie vitio in episcopum procuravit assummi, item nullum in ecclesia sua celebrat divinum officium, nec ministrat ecclesiasticum sacramentum, adeoque factus esse dicitur ecclesiasticis officiis alienus, quod baptismi ferme penitus sit ignarus, et sicut asseritur in quadam villa moretur et fratrem suum carnalem manifestum haeresiarcam in suo ore foveat et defendat. Idcirco mandat, ut super hanc rem inquirant, et veritatem diligenter referat.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. I, p. 298.

CCLXV. *A. 1232.* Jula banus totius Slavoniae, comes curiae regiae, declarat, quod cum coram eo inter comites Marcellum et Abraham de Pukur et totam cognationem eorum, ex una parte, et inter Dursan, comitem Martinum, Devcher et Wlchie, filios Radovan, ac comitem Hodos et eorum cognationem ex altera parte, causa super terra Topolovec in Pukur habita, fuisset ventilata, cum consensu eiusdem bani ad pacem pervenerunt tali conditione: Quod si altera pars iterato litem moveret, 200 penzas aliae parti persolveret, terram autem comiti Dursan et fratribus suis in pace dimiserunt possidendam. Meta terrae incipit in monticulo Babina Gorycha, inde versus meridiem transeundo viam descendit ad silvam Raven, inde ad aquam Pukur, inde per cursum ipsius ad aquam Mlakam et iterum in Pukur et per eius meatum in commetatione terrae Toide et Retzlan venit, ubi fluvius Zdenichnik cadit in Pukur. Tendit contra Zdenichnik et venit in bono spatio ubi fluvius Rakovez cadit in ipsum, inde in caput eiusdem ad metam terream in magna silva Raven et per multas metas arboreas ad siccam Mechenicam ad fluvium Gradinovecz et per campum in quandam vallem ad fluvim Bucovecz, per cuius decursum intrat in aquam Mechenicza et eundo superius venit ubi fluvius Dobovecz cadit in ipsam aquam et sursum usque ad vadum Rigi brod, inde per viam in oriente supra montem in bono spatio venit ad fluvium Radnis et transiens eum venit per viam ad vallem et tendit ad caput alterius vallis Clopetnik et per viam magnam ad priorem metam. Pristaldus bani Daniel, pristaldus nobilium Cacanus comes terrigena de Cus.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VI, p. 507.

CCLXVI. **Reate**, *23. Julii 1232.* Gregorius IX papa abbatibus de Bochon et de Tichon et archidiaconis de Roba vesprimiensis et jauriensis dioecesis scribit, quod tempore Innocentii III papae praedecessoris sui abbas s. Martini de Pannonia pro se ac suo coventu petierit ab episcopo et canonicis zagrabiensis ecclesiae, quorum procurator ad hoc in judicio comparebat, decimas omnium frugum et aliarum rerum partis comitatus simigiensis, quae est ultra Dravam, nec non et capellarum s. Barnabae, s. Crucis et s. Trinitatis existentium in vesprimiensi dioecesi citra Dravam, producens privilegium s. Stephani regis et confirmationes Alexandri, Urbani et Clementis pontificum. Procurator partis adversae respondit in contrarium. Post longi temporis tractum, post diversa rescripta a pontificibus obtenta, tandem ad apostolicae sedis examen deventum est, cui finalem sententiam dare non potuit eo, quod litis

contestationem legitimam acta judicii non haberent Tandem partes concordi tractatu inter se habito ad compositionem pervenerunt: Abbas videlicet pro se et monasterio suo decimas et omnia alia, quae comprehendere poterat eius petitio, ultra fluvium Dravam, infra zagrabiensem dioecesim versus Slavoniam episcopo et ecclesiae zagrabiensi ex toto pacifice dimisit. Episcopus vero pro se et sua ecclesia decimas quatuor capellarum scilicet s. Mariae, s. Trinitatis, s. Barnabae et s. Crucis versus Hungariam et quidquid juris in iis capellis habebat abbati et monasterio praedicto dimisit pacifice et quiete. Caeterum pro quibusdam fructibus et expensis 500 marcas argenti ad pondus Hungariae bonorum et electorum frisaticorum vendentium et ementium abbati se promisit episcopus soluturum.

Mikotzy: Hist. banorum. Farlatti: Illyr. sacr. T. V, p. 366. Theiner: Mon. Hung. I, p. 105. Tkalčić: Mon. episc. zagr. I, 73.

CCLXVII. **Anagniae**, *22. Augusti 1232.* Gregorius IX papa inclinatus precibus nobilis mulieris Helenae uxoris Julae bani indulget illi, ut cum generale interdictum terrae fuerit, liceat ei audire divina in ecclesiis, monasteriis seu capellis, quibus est eo tempore ex pontificum permissione concessum divina officia celebrare, dummodo causam non dederit interdicto.

Fejer: Codex dipl. Hung. III, vol. II, p. 303. Theiner: Mon. Hung. I, 106.

CCLXVIII. *Circa 1232.* Gregorius spalatensis et sibenicensis comes cum judicibus et universo populo, scribit Joanni Dandulo comiti et communi ragusinae civitatis, cum inter eos antiqua amicitia et societas stabilita sit, oportet etiam ut inter eos justitia fiat, ut dum fuerunt in guerra cum suo communi inimico comite Petro, dederunt omnes eorum res de illius insulis et eius districtibus ragusinis, et restituerunt omnes res ragusinas, sed ragusini non ita fecerunt, nec restituerunt, quae ab illis ablata fuerunt, idcirco miserunt Ragusium Johannem judicem cum domino Cazetta, cui sunt res ablatae et rogant ut eas restituant. Gaudent, si resistere poterint inimico regi, qui et illis insidiatur.

Ex archivo aulico viennensi acta ragusana. Ljubić: Mon. Slav. I, p. 55.

CCLXIX. *A. 1232.* Colomanus rex Ruthenorum et dux totius Sclavoniae ad petitionem Dragani et filii eius Draguech adolescentis jobagionibus castri sui de Roicha (Rovišće), qui magnum illi servitium cum effusione sanguinis tempore illo, dum frater eius Andreas dux a quibusdam vesano ductus consilio, in regnum eius Sclavoniae violenter irruisset, praebuerunt, donat terram quamdam Konzka vocatam in comitatu de Roicha consilio omnium jobagionum, praesertim Julae bani, Julae magistri tavernicorum, Demetrii magistri dapiferorum, Nicolai comitis de Zala, Opoy comitis de Symigio, Petri comitis de Wlkow, Georgii comitis de Barana, per cancellarium Farcassium praepositum agriensiem (sic).

Krčelić: Not. Prael. p. 497. Historia Illyrici Msc.

CCLXX. **In ponte Kehid,** *1232.* Universi servientes regis citra et ultra Zalam constituti notificant, quod dum in partibus suis multa mala, iniuriae, damna et gravamina perpetrabantur et multi potentiores opprimebantur, qui ius suum prosequi non poterant propter distanciam judicum et multa alia impedimenta, petierint a rege licentiam judicandi, quorum preces rex ex-

audivit Obtenta licentia dum inter se discutere malefacta cepissent, Bartholomaeus episcopus vesprimiensis. Ochuz banum, qui unus erat ex eis, traxit in causam coram eis, quia quamdam terram ecclesiae vesprimiensis nomine Wesmech a prima fundatrice ecclesiae suae regina Gysla donatam, quae est inter Dravam et Muram citra portum Worosd, iniuste occupasset et detineret. Ochuz autem banus respondit, quod eadem terra esset sua haereditaria. Evocatus banus ad praestandam comprobationem, ad iudicium non comparuit nec testes produxit, episcopus autem produxit testes pro parte sua, inter quos fuerunt: capitulum zagrabiense, Buzad banus et Michael frater eius Wulchuk, Marcus de genere Gordon, Georgius filius comitis Lucae, Jacobus major exercitus zaladiensis etc. Cum autem ipsi judices misissent pristaldum Ondornuch de Opath et duos socios suos ad introductionem episcopi in possessionem, ipsi manu violentia per Ochuz banum prohibiti sunt. Et sic banus in nullo penitus sententiam judicum observavit contra suum juramentum

Wenzel: Cod. dipl. Arpad XI, p. 249. Fejer: C. d. III, vol. II, p. 315.

CCLXXI. *A. 1232.* Stephanus II episcopus zagrabiensis licet inter silvestres et indomitas gentes positus, in primo introitu suo, quaedam bonae spei principia incipiens inchoare, nolens terrori supradicti populi cedere, »quos licet per multos labores Christi fides iam suscepit diligendos«, construxit ecclesiam s. Spiritus in nova Chasma, in villa per eum congregata, ubi creavit et stabilivit praeposituram et capitulum ex duodecim canonicis. Pro sustentatione praeposituræ annectit ei archidiaconatum de Gesse cum quarta omnium proventuum, item praedium Byenig cum omnibus suis redditibus, capitulo autem confert terram de veteri Chasma cum omnibus redditibus, pertinenciis et marturinis. Hujus metae sunt: a ponte super fluvium Morovcha per viam ad s. Elisabet, inde per eundem fluvium et rivulum Pothoc inter dumos avellanorum versus occidentem ad fluvium Ravenn. inde versus ecclesiam s. Crucis inferius ad Pothoc, qui dicitur Botha potocha, deinde per fluvios Scelna et Morovcha iterum ad pontem jam dictum. Praeterea donat terram Radicha de s. Martino pro concambio terrae de Kasna, cujus metae vadunt per pontem super Dobnichizam per magnam viam, quae ducit in Garig, usque terram Dursan, inde versus novam Chasmam et versus septentrionem cadit in fluvium Raquitnicam parvam, ad quemdam fluvium, qui cadit in Dobnichizam ad dictam partem. Confert etiam immunitates populo capituli. Liberat eum ab exactione et descensu suo et banorum et omnium aliorum. Tribuit capitulo omnes decimas, omnia judicia spiritualia, item omnes decimas de Monoslov simul cum tributo, qui pohisna dicitur, decimas de Sabnicha; item tres vineas: Jalsova, Dobnicha et terciam super veteri Chasma; item quamdam clausuram piscium in Chasma, quae Scelep dicitur; item molendinum in Grabronca juxta magnam viam, praeterea quaedam mancipia una cum suis haeredibus et successoribus et quidem Dragilo, Malca, Stanka, Precana, Cakan, Cacumera, Danco, Quoislav, Brathovan, Stoislav, Stoidrag, Banko, Dragona, Zoimera, Cupivoy, Pervech, Lubna, Goden, Godislav, Pethco, Gudislava, Pethna, Dominco, Stanislava, Curisa, Demenca, Stanko, Deslov, Dreghna, Svethina, Dragonica, Suoyha: item confert pulsatores, quorum nomina: Rufus et filius eius Stojan, Pelesch et filius Halaputa, Wlchina, Cerne et frater eius Seinarc; item

duas capellas s. Joannis Batt et s. Martini, praeterea ecclesiam s. Crucis de Kyriz confert cantoriae.

Ex archivo archiepiscopatus zagrabiensis inter fundationalia et archiv. capit. časm. Transumptum de a 1544 Fasc. I, nr. 1. Tkalčić: Mon. episc. zagr. I, 68.

CCLXXII. **Jaderae,** *1. Decembris 1232.* Temporibus Jacobi Theupoli ducis Venetiarum, Joannis archiepiscopi jadrensis, Joannis Michaelis comitis jadrensis, pertractata est in curia comitis civitatis, praesentibus judicibus Bogdano de Zloradi, Georgio fratre Jurislavi, et aliis nobilibus causa inter Duimum de Ragia et Pellegrinum de Valle super facto cuiusdam muri sedilis positi inter casamatum dicti Duimi et Pellegrini, quem mediante sententia pro comuni ambarum partium declararunt communiter reparare et sustentare velle Subscripti cum signo crucis Joannes Michael dei gratia comes jadrensis et Gregorius judex, Rainerius jadrensis notarius scripsit.

In mea collectione.

CCLXXIII. **Venetiis,** *mense Decembri 1232.* Johannes, Gvido et Henricus comites veglenses, consanguinitatis vinculo connexi, citati per ducem Veneciarum et eius consilium, et coram eis personaliter astantes ad componendas inter se discordias et litigia, convenerunt in hoc pacto: I. quod regimen totius comitatus Veglae taliter regatur per eos, quod unus eorum regat civitatem a kalendis mensis Januarii proxime venturi usque ad festum ss. apostolorum Petri et Pauli primo venturum, et alius castellum Muscum, Dobregna, Verbenicum et Besca, tertius autem insulam Parviki, et qui rexerit eandem insulam regat et civitatem. II. Hoc tenentur observare usque ad sex annos. III. Si aliquis eorum absens fuerit, vel aegritudine aut aliquo negotio praepeditus, liceat ei vel eis vicem suam committere uxori, sorori, filio vel filiis, filiae vel filiabus, fratri, nepoti, genero, sive consanguineo germano. IV. Quilibet in regimine tenetur facere justicias et rationes de suis hominibus terrae secundum consvetudinem ejusdem, exceptis hominibus propriae familiae et iis qui aluntur eorum pane et vino Hi debent judicari per tres homines ad hoc ordinatos per eos, quorum unum quilibet per se eligere debet, sententia autem secundum consvetudinem terrae enuntiabitur per comitem. V. Electione omnes debent fieri justae VI Redditus et proventus comitatus communiter sine fraude inter eos dividetur. VII. Inter duos litigantes habet tercius jus judicandi usque ad 50 Bizantios valoris; quod fuerit supra, liceat appellare ad curiam ducis. VIII. Remittunt sibi omnes offensas et injurias factas vicissim et omnibus hominibus ejusdem terrae, salvis sententiis quondam latis. IX. Si vero aliqua quaestio inter eos orta fuerit, tam in faciendo pacem vel guerram, quam in faciendis bannis supra terra alterius, et in mutandis rebus ipsius terrae, illam sententiam, quam Martinucius frater comitis Johannis tulerit supra praemissis, firmam et ratam habebunt. Si autem ille nolluerit aut praepeditus esset, alium eligere infra unum mensem debent. Ad haec omnia juraverunt sub poena 1000 librarum veneticorum. Subscripti testes venetici.

Ljubić: Mon. Slav. merid. I, p. 49.

CCLXXIV. **Bach,** *28. Januarii 1232.* Colomanus »dei gratia rex et dux totius Slavoniae« manifestat, se vidisse litteras Andreae regis patris sui, et notasse capitula singula super compositione habita inter Patrem Jacobum Praenestinum electum apost. sedis legatum ex una parte et praedictum Andream regem ex altera, super negotiis ecclesiarum Hungariae, et iurat, quod omnia in compositione adducta, quae illum tangunt, et in futurum observaturus sit; quae autem tangunt regem Ungariae, dabit operam rogando et consulendo, ut ab eo observentur.

Fejer: Cod. diplom. Hungar. III. vol. II., p. 350.

CCLXXV. *28. Januarii 1233.* Jula magister tavernicorum, Demetrius magister dapiferorum et Opoy de Rasinja de Symigh promittunt, quod omnia capitula deducta in compositione, facta inter Jacobum Praenestinum electum et legatum apostolicum et Andream regem, quae illos tangunt, observare velint.

Ibid. t. III. vol. II., p. 352.

CCLXXVI. In **Pesth,** *14. Februarii 1233* Buzad, quondam banus, nunc ordinis praedicatorum frater significat, quod praedium suum Szobor filio maiori Buzad tradiderit.

Ibid. t. III. vol. II., p. 334.

CCLXXVII **Tragurii,** *17. Junii 1233.* Existente Treguano episcopo traguriensi, Stephano comite, judicibus Casotto et Saladino. Praesentes in judicio Silco, Draginna et Bulcus, fatentur, se a Nicolao Cacicio accepisse vineam suam, quam ille plantare coepit in terra sua apud Resinicum, ad plantandum propriis viribus pro medietate vindemiae. Testes Stephanus Cernottae, Desa. Usiç, Mica de Grado, et Desa Cernottae Scripsit Joannes notarius Traguriensis,

Ex mea collectione.

CCLXXVIII. *22. Julii 1233.* Gregorius IX papa confirmat pactum concordiae (factum 23. julii 1232) quoad decimas comitatus Simegiensis citra et ultra Dravam.

Tkalčić: Monumenta episcop. zagrab. p. 73—4.

CCLXXIX. *22. Septembris 1233.* Colomanus, rex et dux totius Sclavoniae, confirmat litteras patris sui regis Andreae super compositione habita inter patrem Jacobum electum episcopum Praenestinensem et legatum apostolicum ex una, et regem Andream ex altera parte super negotiis ecclesiarum Ungariae et aliis; promittitque et jurat, se omnia puncta compositionis stricte observare velle
Theiner: Mon. vet. Hung. I, 119. Cf. nr. CCLXXIV.

CCLXXX. **Jaderae**, *6. Octobris 1233.* Temporibus Ducis venet Jacobi Teupoli, Joannis archiepiscopi Jadrensis et Joannis Michaelis comitis Cancius filius Cosmae ex reverentia, quam habuit in dominam Bonam abbatissam monasterii S. Mariae, donavit ei quamdam suam terram in piscina iuxta terras Grabae uxoris quondam Germani, quam illi consangvineus David donavit. Bona dedit autem pro talione libras denariorum parvulorum 45. Testibus Vocena, Domatasayi et Grube de Lisiza. Firminus filius Marini examinator scripsit. Rainerius jaderensis notarius consveto signo signavit.
Ex mea collectione.

CCLXXXI. **Anagniae**, *10. Octobris 1233.* Gregorius IX papa mandat fratribus praedicatorum in Bosna, ut filium nobilis viri Ubani dictum Priesda consangvineum Ninoslavi ducis de Bosna, qui P. nuper rediit ad catholicam fidem, et cuius filius obses Romanae ecclesiae fuerat, duci restituant.
Fejer: Cod. dipl. III. v. II., p. 344. Theiner: Monum. vet. Hung. I., p. 120.

CCLXXXII. **Anagniae**, *10. Octobris 1233.* Gregorius IX papa scribit Colomano regi et duci Slavoniae, quod referente Ninoslavo duce de Bosna ei innotuerit, quod cum progenitores sui de antiqua consvetudine comitatus et alias villas terrae suae concesserint et abstulerint quibuscumque secundum suam voluntatem, eo nuper ab haeresi ad fidem catholicam converso et haereticos expugnante, detentores comitatuum et aliarum terrarum ducatus sui praedictae consvetudini refragentur, comitatus et terras easdem contra voluntatem ducis temere detinendo, supplicante ab eo auxilio, injungit, ut praefatam consvetudinem faciat firmiter observari.
Fejer: l. c. 343. Theiner: Mon. vet. Hung. I., pag. 120.

CCCLXXXIII. **Bathiae**, *27. Novembris 1233.* Innocentius episcopus Sirmiensis et magister Albertus Physicus capellanus legati manifestant Jacobo Prenestino electo et sedis apost. legato, quod litteras eius ad Belam juniorem regem directas, in quibus illum monet, ut compositionem factam inter eum et Andream regem et per Belam etiam iureiurando sancitam, firmiter servet, eidem exhibuerint, et viva etiam voce monuerint de omnibus, quae in dictis litteris continentur, monuerit quoque Pous ipsius regis Tavernicorum magistrum, Julam banum et Mathiam comitem, ut eandem compositionem observent
Theiner: Mon. vet. Hung. I., p. 121.

CCLXXXIV. **Laterani**, *3. Decembris 1233.* Gregorius IX papa communicat archiepiscopo Jadrensi, quod illius litteras receperit, quae continebant, quod dudum recepto super reformatione morum et correctione excessuum subditorum suorum, praesertim incontinentiae vitio laborantium, a sede apostolica mandato, ut ad executionem ipsius procederet, associatis sibi M. archidiacono, C. archipresbytero et G. Primicerio Jadrensi contra abbatem S. Grisogoni et Passerenum presbyterum Jadrensem, publicae infamatos de ipsorum excessibus,

veritatem inquirens, tot et tantis eos plenos flagitiis invenerit, quod pudori sit referentibus, et audientibus horrori. Idem enim abbas, sicut equus et mulus, totum in lapsum carnis se effudit. Duos quoque suos filios monachos vel verius demoniacos, quasi testes suae incontinentiae, circa se retinet, qui tabernas armati et prostibula frequentant, committunt rapinas, presbiteros verberant, auferunt spolia, ludunt aleas publice in plateis, excommunicati celebrant, officia divina prophanant, mandata ecclesiae contemnunt, nullam agunt poenitentiam et satisfacere cuidam spoliato et ab eis vulnerato presbytero contradicunt. — Excommunicatus per episcopum absarensem delegatum sedis ap. abbas ascitis sibi excommunicatis cantando discurrit cum mitra et baculo per plateam. In ipso monasterio, florente ab antiquo, vix religionis vestigia remanserunt, unusquisque graditur post desideria cordis sui, omnes utuntur carnibus, dormire in dormitorio simul nolunt, et alia mala committunt enormia. — — Praefatus presbyter Passarenus de periurio, adulterio etiam in ecclesia commisso, furto et sacrilegio ac multis aliis criminibus est convictus. Excommunicatus solemniter missam cantare non expavit. In omnibus Traguriensis episcopi dicitur esse manus, qui abbatem et alios supradictos absolvit praetextu cuiusdam rescripti pontificis. Intellexit etiam papa, quod in partibus Dalmatiae fuerint falsae litterae sub nomine ejus confectae, et quod abbas S Michaelis Jadrensis dioecesis etiam in suspitione habeatur una cum episcopo Traguriensi, qui erat de falsitate bullae pont. gravissimae infamatus et ab officiis remotus. Citati ab archiepiscopo non venerunt, et seditionem contra eum excitarunt. Papa ergo citat episcopum ad suam praesentiam, contra abbatem autem S. Grisogoni iuxta mandatum apostolicum erit procedendum

Theiner*: *Vetera Mon. Slav. Merid. I. 74. Monum. Hung. historica. Diplom. XI, 525.

CCLXXXV. **Laterani**, *10. Decembris 1233.* Gregorius IX papa accepta relatione archiepiscopi Jadrensis, quae continebat, quod cum ad monasterium S. Grisogoni adiunctis sibi viris accessisset visitationis causa, ipsum monasterium invenerit ob malitiam habitantium spiritualiter et temporaliter esse collapsum; nam abbas et nonnulli monachi demoniacis cedentes insultibus bona monasterii multipliciter dilapidant, statuta regularia non observant, ducentes vitam Deo et hominibus displicentem, discurrentes vagis pedibus per lupanaria, relaxant frena claustralis observantiae in omnem desiderii libertatem, ita ut universis s religionis cultibus abiuratis de Christiano nomen, de monacho solum habitum habere videantur. Excommunicati divina celebrare non verentur. Mandat itaque archiepiscopo, ut personaliter ad locum accedat, corrigatque et reformet in capite et in membris.

Theiner*: *Mon. Slav. Merid. I. 75. Mon. Hung. hist. Diplom. XI, 528.

CCLXXXVI. **Laterani,** *23. Decembris 1233.* Gregorius IX papa commendat Colomano illustri regi Slavoniae Violam viduam ducissam in Opal ac eius filios, hortans eum, ut illos tam a duce quam ab aliis, qui eos molestare praesumpserint, defendat.

Fejer*: *Cod. Dipl. T. III. vol. II., p. 373. Theiner*: *Monum. Poloniae I, 25.

CCLXXXVII. ***A. 1233.*** Capitulum Wesprimiense notificat, quod banus Ocuz terram de villis Miley et Lengel vendiderit hominibus de ipsis villis praefatis,

*

qui eamdem emerant, cognatis suis se emere posse non fatentibus, quia magnus Ochuz, pater dicti Ocuz bani, emerat dictas villas Milley et Lengel, et certas metas assignaverat et sigillo Vesprimensis capituli roboraverat. Quas litteras patris sui cum homines repeterent, Ochuz banus juramento probavit, quod amissae fuissent.

Wenzel: Cod. dip. Arpad. VI., p. 532.

CCLXXXVIII. *A. 1233.* Andreas II dedit in mandatis Bartholomaeo episcopo Wesprimiensi, ut circuiret et metis distingueret illas terras comitatus Vesprimiensis, pro quibus filius eius Colomanus rex et dux tocius Slavoniae, nec non populi de Bokon (Bakony) litem habuerunt cum Andrea comite de genere Wigman. Harum terrarum una erat Seg sive Band, quae erat bonae memoriae Salamonis bani, ab Ochuz bano, qui super dote uxoris ipsius Salamonis ordine judiciario convictus fuerat, pro 120 marcis argenti comparata. Altera tera Byluga erat ab ipso Salamonae bano Belae primogenito filio regis in morte sua relicta, et ab eodem Bela magistro Pous collata et ab ipso magistro per banum Salamonem pro 300 marcis empta. Tertiam terram Vesun legaverat ipse banus Salamon militi suo Andreae calvo pro redemptione voti crucis.

Codex. Dipl. patrius T. IV., p. 14.

CCLXXXIX. In villa **Curbo**, *1233.* Bartholomaeus episcopus Wesprimiensis, attestatur, quod cum nobilis vir Michael frater comitis Buzad (Bani) contraxisset matrimonium cum domina Henthe matre Laurentii et Virunth filiorum comitis Michaelis, et eandem pluribus annis tanquam legitimam uxorem habuisset, ipse postmodum a se eam alienare fecerit, quia illa, ipso nesciente, erat patris sui filia spiritualis, et cum ea nec secundum Deum contrahere poterat nec de iure. Hoc ipsum probaruut eius fratres et consanguinei, videlicet Hahold, Arnoldus, comites Peneth et Tristan coram capitulo Geuriensi solemni juramento Ad haec decrevit et episcopus, ut eadem domina uxor Michaelis de iure esse non possit.

Fejer: Codex dipl. T. III., vol. II., p. 330.

CCXC. **Spalati,** *10. Januarii 1234.* Tempore Guncelli archiepiscopi spalatensis, Gregorii comitis, Mengace Majnucii vicarii, Ugo(nis) prioris. Chatena abbatissa s. Benedicti vendidit magistro Posil quandam terrullam, quae est in Laureto iuxta terram ecclesiae s. Pauli et s. Johannis de Postigno, pro 4 perperis. Pro cambio autem et in signum stabilis emptionis accepit abatissa tres barcas de terra illius in Dilato sub Cosize. Testes fuerunt: Forminus Testa et Andreas capellanus. C(olo)manus clericus comitis Spalatensis notarius scripsit.

Ex archivo Monialium s. Mariae Jaderae.

CCXCI. *A. 1234. 25. Februarii.* Joannes filius Michaelis Gundulae, una cum uxore sua Dobroslava filia Mauri Mananae, firmato inter se consensu per fidei sacramentum, fecerunt ultimum testamentum de omnibus suis rebus mobilibus et immobilibus. Et commiserunt epitropis suis presbytero Sabae, patri suo spirituali diebus suis, et Valio nepoti Joannis et haeredibus fratris eiusdem et Grubessae fratri ejus et haeredibus in perpetuum et praesbitero Eliae Joannis Viviani diebus suis, ut in loco de propriis suis personis habeant plenam potestatem faciendi, dandi et ordinandi illud, quod subtus ordinave-

rint pro remedio animarum suarum et mortuorum suorum Volunt autem, ut pro primitia dent perperum unum et ustam decimam. Item ut monasterium, quod cum suis denariis in loco Brelas construxerunt ad honorem s. Jacobi ap., perpetualiter sit sub protectione Pontificis Romani, sicut continetur in privilegio Honorii papae et in carta domini Acontii, subdiaconi d papae, et capellani legatique sedis apostolicae, et in carta, quam presbiter Gataldus notarius in archiepiscopali palatio scripsit; volunt, ut idem monasterium consistat sub regula s. Benedicti et sub custodia abbatis et fratrum ibi degentium. — Donant ei vineas et terras, quae sunt in Brelo, et vineas in Vergatto et terras, quae incipiunt a spelunca Mauritii et vadunt usque ad monasterium, et domum, quae est in Pusternla cum molendino, et post mortem suam domum, quae fuit patris Dobroslavae, quae est ad latus domus Dabranae Prochuli et est super viam, quae descendit ad magnum mercatum. Et domum, quam emit J. a Marino Zriene, quae domus fuit Capalii et de Jachna et est de latere pelagi et confinat domui Catenae Debigi et domui, que fuit patris Johannis; et istam domum patris dederunt Grubessae fratri J. quae domus confinat etiam aliae domui patris Michaelis, in qua nunc manet idem Grubessa. Vaccas et pecora, quae sunt in terra nova, relinqunt post mortem coenobio et vineas de Gionchetto cum omnibus pertinentiis et mobilibus rebus. Et omnes libros, et quartam partem navis Striga et tertiam partem alterius navis, et naviculam, et arscanam et retia. Et pes s. Jacobi laboretur de una libra argenti et detur monasterio. Testantur etiam pecuniam omnibus fere ecclesiis Ragusanis, nominatim adductis. Servos et ancillas proclamarunt liberos, et scapuli vadant per 4 partes mundi. Testes: Mathaeus Bodatiae judex, Vitalis filius Joannis Coledae. Presbyter Paschalis notarius scripsit.

Farlati: Illyr. Sacr. T. VI. 93.

CCXCII. **Ragusii,** *4. Februarii 1234.* Stephanus (Radoslav) rex totius Rassiae et Tribuniae veniens Ragusium et honorifice receptus a Comite Petro Boleslavich et Theodoro Krusich et a tota communitate civitatis et omnibus nobilibus a parvo usque ad magnum considerausque eorum servitia et exhibitos honores, tribuit eis libertate veniendi, eundi et redeundi cum suis mercibus per totum regnum suum et per terram Zachulmiae et Zetae, et liberat eis a portoriis, quibuslibet dationibus et a datio de vineis, quas plantarunt in eius terra.

Miklosich: Mon. Serbica p. 19.

CCXCIII. **Laterani,** *13. Febr. 1234.* Gregorius IX papa mandat omnibus archiepiscopis et episcopis, abbatibus et aliis praelatis ac universis Christi fidelibus, per Carneolae, Istram, Dalmatiam, Bosnam, Croatiam, Serviam et alias partes Slavoniae constitutis, ut priorem s Bartholomaei de Trisulto, tanquam sedis apostolicae legatum, recipiant; cum in Bosnia et vicinis provinciis magna copia perfidorum excreverit, quod iam tota terra velut deserta lugeat.

Theiner: Mon. vet. Hung. I, p. 122. Fejer: Cod. dipl. III. v. II., p. 379.

CCXCIV. **Tragurii,** *18. Februarii 1234.* Praesidente summo pontifice Gregorio IX, Andrea tertio (II) regnatore Hungariae gubernante, Treguano episcopo, Stephano comite, judicibus ser Casoto et Saladino Tragurii existentibus. Dessa Lucae quondam filius, assensu Stanae uxoris suae disponit testamento, quod

post obitum suum vult irrefragabiliter observari. Operae pretium ducit Domino inservientibus universa quae possidet largiendi, adoptans loco carnalium filiorum, quibus caret, spirituales filios, immo patres, fratres scilicet Minores, ad quorum receptaculum ecclesiam B. V. M. cum murorum ambitu et domibus fabricavit prope Tragurium.

Farlati: Illyr. Sacr. T. IV., p. 338.

CCXCV. **Laterani,** *12 Maii 1234.* Gregorius IX papa abbati et conventui honestae vallis de Posega cisterciensis ordinis praecipit, ut ad hospitale in territorio Bachiensi, pro receptione infirmorum et pauperum ab archiepiscopo colocensi erectum, duos conversos e monasterio suo ad dicti hospitalis regimen, cum necesse fuerit, transmittant.

Theiner: Mon. vet. Hung. I., p. 381. Fejer: Codex dipl. T. III. vol. II., p. 381.

CCXCVI *Mense Junio 1234.* Temporibus Guncelli archiepiscopi spalatensis, Gregorii comitis, Dessae nepotis Palumbellae vicarii. Dobromil sr. Colonus et Bonsenterus cum sua uxore Perva vendunt Juriso clerico filio presbiteri Volenine terram suam sub Heilco iuxta Spillam pro 4 perperis. Testes: Sirvianus, Marcus Lucari, Slavco et Budic de Heilco. Cumanus cancellariae spalatensis iuratus scripsit.

Ex archivo Mon. S. Mariae Jaderae.

CCXCVII. **Reate,** *13. Julii 1234.* Gregorius IX papa mandat episcopo et magistro Gregorio canonico Traguriensi, ut quum archiepiscopus Ragusinus conquestus sit, Svaciensis et Drivastiensis episcopi suffraganei sui obedientiam et reverentiam sibi debitam exhibere denegent, partibus convocatis audiant causam et apellatione remota fine debito terminent.

Ex transumpto bullarii Archivi Ragusini Msc. p. 379. In mea collectione.

CCXCVIII. **Jaderae,** *29. Julii 1234.* In praesentia Michaelis episcopi absarensis Michae et Theodori praesbiterorum et aliorum multorum clericorum Jadrensium et Absarensium Joannes archiepiscopus jaderensis et Johannes absarensis archipresbiter delegati papae, praesentibus partibus archipresbitero jaderensi ex una parte et Marino Bertaldi atque Jochanne Michae laicis civibus Jaderae ex altera, sedentes pro tribunali in prato, quod est inter ecclesias s. Mariae et s. Felicitatis, fecerunt recitari rescriptum apostolicum Gregorii papae, in quo dicitur, quomodo dictus archipresbiter judex sua petitione monstravit falsam esse quaerelam supradictorum civium, quod ille quaedam eorum vasa aurea et argentea furtive subripuisset, illumque indebite in judicium episcopi traguriensis evocassent. Papa mandat dictis legatis, ut inquirant in rem et super illo ei notificent. Advocatus archipresbiteri nobilis Jurislaus civis Jaderensis allegavit, quod episcopus tragurinus publicus sit falsarius bullae Papalis, quod sit excommunicatus et fautor haereticorum, adeoque false judicaverit, ut illius possessio ei auferatur, idcirco appellavit ad papam. Altera pars firmavit, quod dicta possessio illis a legatis papalibus adjudicata sit, denique lata est sententia in emolumentum archipresbiteri.

In mea collectione.

CCXCIX. **Zagrabiae,** *mense Septembris 1234.* Colomanus rex et dux totius Slavoniae attestatur, querelam et discordiam inter abbatem et conventum de

Toplica ex una parte, et Rata et omnes filios suos ita pacificatam esse, quod Rata cum tribus suis filiis Gamaticia, Martin et Usanj promiserint sub sacramento, quod domui Toplicae et suis jobagionibus de caetero non nocerent, et tam de terris quam de rebus pax esset inter eos. Et Rata cum filiis tenetur reddere litteras bani, quas dicebant habere contra tres jobagiones Custue, Vicol et Szelane. Et si in futuro occureret inter partes aliqua quaestio, debeant ipsam tradere ad pertractandum tribus bonis viris, scilicet praeceptori Gorae, comiti Babonic et judici de Perna.

Tkalčić: Mon. episc. zagr. I., p. 74.

CCC. **Perusii,** *14. Octobris 1234.* Gregorius IX papa instigat Colomanum regem et ducem Slavonie, ut ad convertendum infectos macula haereticae pravitatis se versus partes Slavoniae ita potenter accingat, quo et alii huiusmodi sanctitatis opus animo prompto suscipiant et sedentes in perfidiae tenebris ad lucem catholicae properare fidei non postponant sicque fiet, ut numerus dei filiorum augeatur, honor suae celsitudinis amplietur et ille tandem in beatorum collegio conquiescat.

Theiner: Mon. Hung. I., 128.

CCCI. **Arbi,** *mense Octobris 1234.* Temporibus Jacobi Tenpoli ducis Venetiarum et Jordani arbensis episcopi. Idem episcopus, Christoporus Maldi, Nicolaus de Rufaldo, et Ciprianus de . . . . pro tota communitate Arbensi sunt electi ad resecandam controversiam inter civitates Arbensem et Segniensem, et frater Radoslaus domus templi de Segna etc. simili modo pro sua communitate electi ad eandem controversiam resecandam. Quam recordationis cartam firmiter habendam per manus notarii fieri jusserunt, concorditer affirmantes, illud instrumentum confectum esse per manus quondam Pot. diaconi arbensis notarii anno 1222. 5. mense madio tempore Prodani episcopi arbensis.

Farlati: Illyr. Sacr. V. 240. Wenzel: Cod. Arp. VI 560.

CCCII. **Perusii,** *17. Octobris 1234.* Gregorius IX papa episcopum Bosnensem de zelo contra haereticos Slavoniae et Bosnae collaudat, indulgentias terrae sanctae largiendi facultatem ei concedit omnibus catholicis per regnum Hungariae constitutis, qui ad haereticorum exterminium signo crucis se accinxerint

Fejer: Cod. Dipl. T. III. vol. II., p. 397. Theiner: Monum. Hung. p 129.

CCCIII **Perusii,** *17. Octobris 1234.* Gregorius IX papa ad petitionem Colomani regis et ducis indulget, ut ad quemcumque locum ecclesiastico interdicto suppositum devenerit, nominatim interdictis et excommunicatis exclusis, non pulsatis campanis, clausis januis et voce suppressa sibi divina faciat celebrari, dummodo causam non dederit interdicto.

In eodem scriptum est Salomeae reginae uxori Colomani ducis.

Theiner: Mon. Hung. I. 129.

CCCIV **Perusii,** *17. Octobris 1234.* Gregorius IX papa scribit episcopo Bosnensi, Zagrabiensi et crucesignatis contra haereticos Slavoniae in partibus Ungariae constitutis, cum zelo fidei accensi, signo crucis assumpto proposuerint in Slavoniam contra haereticorum perfidiam proficisci, suscipiendo omnes personas illorum cum omnibus bonis sub b Petri et sua protectione. — In eodem sensu scribit papa etiam episcopo zagrabiensi sub eodem dato.

*

In eodem merito scribit idem papa 17. octobris Colomano duci et iterato zagr et bosnensi episcopis.

Theiner: Mon. Hung. I., p. 129., 130.

CCCV. *A. 1234.* Keled vice-banus et comes zagrabiensis notum facit, quod Junosa, accepto pristaldo, Chrahonum super terra Mosochana traxit ad suam praesentiam, et proposuit, quod Chrachonus memoratam terram vi usurpasset, quamvis ei jure haereditario pertineret. Cum diversis modis hinc inde tractatum fuisset, vicebanus cum nobilibus terrae, qui aderant, scilicet Petro, Jaroslav et aliis multis, probationem indixit hoc modo, ut ipse (Chrachon) adhibitis secum quinque testibus idoneis et praestito sacramento iustificaret sibi, quae impetebantur. Termino ad hoc deputato dictus Crachonus viribus testium omnino deficiens adiudicatam sibi probacionem exhibere non potuit. Judicium igitur eum convictum esse decernens actorem misit in possesionem. Cui pristaldus Vidomer datus, qui metas circumvalavit. Prima incipit ab aqua Mosochana, inde versus meridiem per viam quae dicitur Borchi. Inde per varias metas descendit in vallem Jazinne et per aquam Mosochana venit ad primam metam. Acta sunt haec domino Colomano rege et duce Slavoniae et Jula bano existentibus

Wenzel: Cod. Dipl. Arp. XII. 681.

CCCVI. *A. 1234* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notificat, quod Elias et Symon frater ejus, filii Petri, Johanni duellatori, filio Rados, quia pro ipsis suam personam periculo duelli exposuerat, in precium hujus laboris terram Budindol, quam olim pater duellatoris patri ipsorum vendiderat, jure perpetuo reddiderint possidendam. Destinatae per hominem capituli metae: quarum prima incipit apud rivulum Melnicha, quem transit via, procedens per eam versus orientem venit ad quendam montem ubi dicta via iungitur cum alia, inde versus aquilonem ad montem Jazovine, et a prima usque huc vicina est terra Guerdine filii Ladise et fratrum eius. Post latus eiusdem montis ad orientem venit ad rivulum Ribnik, apud quem est fons et duae metae terrae. Inde ad vallem, in qua proceditur ad Crapinam et usque huc a monte, qui Jazovina dicitur, vicina est terra Turdae comitis. Inde iuxta Crapinam venit ad rivulum Riutna, qui iungitur cum Crapina et ultra Crapinam vicinatus terrae Eliae et Cosmae, et cum ipsa Crapina venit ad molendinum Domozlay et ultra eam accedit terrae Hraschinae, venit ad caput rivuli Ribine et ad Melnicham A Crapina autem et Melnicha vicina est terra Johannis et fratrum suorum. — Fideiussoriam cautionem praestitit Jacov filius Martini, Hrane filius de Ragos. Existente secundo Stephano zagrab. episcopo, Mathia praeposito, magistro Pangracio archidiacono et cantore, magistro Johanne lectore, Cornelio decano, Gregorio custode.

Wenzel: Cod. Dipl. Arpad VI., p. 558. XI., p. 272.

CCCVII. *A. 1234.* Ugulinus archiepiscopus colocensis et Aulae regiae cancellarius innotescit, quod cum Hozuga abbas de Grab et Bertolo ministerialis eiusdem ecclesiae convenissent in eius praesentiam Ivankam filium Abraam de Sudan, conquerentes de ipso, quod terram dictae ecclesiae Zelbarovna sitam ad Oravam per violentiam occupatam detineret, responderit Ivanka, non volienter sed iure emptionali in possessionem eiusdem se venisse. Ad hoc

probandum filios Budur Jacobum et Petka patronos dictae ecclesiae constituit, qui publicae professi sunt, dictam terram Ivancae vendidisse. Ad maiorem exaccionem iuris visum est archiepiscopo et eius assessoribus Baradlao (rectius »Borislav«) episcopo Senensi et Danieli archidiacono Bachiensi, et Martino bano et Andreae comiti, ut dicti Jacobus et Petka suam assertionem iuramento confirmarent Praestito igitur sacramento in sua capella archiepiscopali restituta est terra Ivancae, abbas autem et curialis comes pro merito condemnati. Clericus Benedictus introduxit eos in terram, cujus meta prima posita est super montem Camuna burda, ab eo per quemdam clivium Cuesbere procedit inter duas fontanas, quae Jelove vocantur, usque ad aquam Pukur et per eandem ad fontem Luplan, exinde ad montem Stoyla in metam de Noac et tendit versus orientem Kenelbere usque Bedech.

Wenzel: Cod. Dipl. Arpad. VI., p. 557.

CCCVIII. *A. 1234.* Colomanus rex et dux totius Slavoniae tribuit magnae villae Wereuiche sequentem libertatem: ut libere et venire et recedere possint cum omnibus pecuniis suis quo voluerint absque diminutione rerum suarum, venditis domibus et aliis necessariis Si quis siue haerede decesserit, potest omnia sua legare cui cumque voluerit. De qualibet porta sua debent solvere duci quatuor pondera cum statera loci. Nullus judex audet eos judicare nisi villicus eorum cum civibus villae et juratis. Majorem villae ex suis eligant, quem dux confirmabit. Tributum non teneantur dare extraneo. Item neque currus, qui povoz vocantur, nec legationes deferre, nec victualia quaedam, nisi una die pro munere, nec victualia bani quae zalusina vocantur praestare teneantur. Factum consilio omnium iobagionum, videlicet Julae bani filiique ejusdem Julae magistri Tavernicorum ducis, Nicolai comitis de Zala, Opoy comitis de Symigio, Georgii comitis de Wolko etc

Ex Actis deportatis Pestinum e regni archivo. N. R. A. Fasc. 590. N. 19.

CCCIX. *A. circa 1234.* G(uncellus) archiepiscopus spalatensis promittit firmiter stare omnibus, quae inter illum et capitulum frater Quarinus cum suis fratribus decreverit ordinandum. Libros, quos apud se habet, promittit usque ad s. Martinum restituere. (Vide Doc. 1228)

Ex archivo aulico viennensi. Carrara: Archiv. capit. p. 11.

CCCX. **Ragusii,** *1234—1238.* Joannes Dandulus comes Ragusii cum omnibus nobilibus et tota communitate jurant regi totius Rassae et Maritimae Vladislavo, quod ab hodierna die velint esse eidem veraces amici, et inimici eius inimicorum; et si aliquis ex eius regno fugerit ad eos, non nocebit ei; et si aliquid offenderit, ipsi component aut illum regi tradent, et si fugiens aliquid adduxerit ad civitatem, reddent illud Et si ipse rex fugerit ad civitatem, recipient illum sicut dominum suum cum honore et amore cum omnibus magnatibus eius et conservabunt eos sine ullo damno Et quando rex per mare adiutorium quaesiverit, ibunt ei in adiutorium, illo tamen anno dimittet rex illis totum illud, quod habent in usu dandi; et eorum mercatoribus, qui ambulant per terram illius, dimittet datium sicut avus eius et pater eius fecit. Si autem non potuerint ire in adiutorium, tollet totum illud quod est de consvetudine. Et hoc iurant sicut jurarunt eorum nuntii Mathaeus Bodacinc (Budačić), Gervasius Naymeri (Mangjerević) et Petrus de Sretta (Srječić). Signa

dederunt, qua testes, Petrus Balislavae, Johannes Bogdani, Veleius Bladimiri, Martinusius Gervasii, Andreas Bolislava, Jacobus Negamiri, Dabrana Proculi, Cerne Vitanoe, Michael Pezanae, Petrus Strettae, Grubessa Gundulae, Calenda Cernechae, Niciphorus Strettae, Marinus Calendae, Grubena Balislavae et Goislavus Theodori.

Ex Archivo reip. Ragusinae. Miklošić: Mon. Serbica p. 22 orig. slav.

CCCXI. *A. 1234—1238.* Johannes Dandulus comes Ragusii cum nobilius et toto communi Ragusino jurant regi totius Rassae et Maritimae Vladislao, quod ab hodierna die erunt ei veraces amici, sicut iam prius juraverant eorum nuntii Mathaeus Bobatiae, Gervasius Neimerius et Petrus de Stretta. Et secundum quod erat consvetudo avi regis et patris ejus, civitas cum terra habeant legem inter se de S. Michaele usque ad Georgium Subscripti sunt: Petrus Ballislave, Joh. Bogdani, Veleius Bladimiri, Martinusius Gervasii, Andreas Ballislavae, Jacobus Negamiri, Dabrana Proculi, Cerne Vitanae, Michael Pezanae, Petrus Stretta, Marinus Calendae, Grubessa Ballislavae, Goislavus Theodori. Confirmavit cum cruce Vladislavus cum divino adiutorio rex totius terrae de Rassa, Dioclitiae, Tribuniae, Zaculmiae et jurat coram nobilibus et communi Ragusii, ipsos habere pro amicis eorumque privilegia, quae ab avo et patre ejus obtinuerant, inviolabiliter tenere, dummodo et ipsi hoc faciant.

Wenzel: Cod. Dipl Arp. XI. p. 319. Translatum de Slavonico in latinum.

CCCXII. *A. 1234—1238.* Stephanus Vladislaus rex totius terrae de Rassa, Diocliae, Dalmatiae, Tribuniae, Zachulmiae jurat Ragusinis avi et patris sui amicis, quod ab hodierna die, si steterint ei in sacramento, quod jurarunt, eos in omnibus diebus suis tenebit in omni justitia, qua tenuerunt eos avus et pater eius et nullum malum eis faciet, donec tres sententias cum eis fecerit.

In archivo reip. ragusanae. Ex slavonico translatum in latinum.

CCCXIII. *A. 1234—1238.* Andreas magnus comes chulmensis paciscitur amicitiam et societatem cum Joanne Dandulo comite Ragusii et tota communitate ragusina.

Miklošić: Mon. Serbica p. 24.

CCCXIV. *A. 1234—1238.* Matthaeus Ninoslav Bosnae magnus banus confirmat Joanni Dandulo comiti Ragusii et toti communitati Ragusii privilegium libertatis, concessum eis a Kulino bano quoad liberum commercium; et si Serbus quaerelam habuerit contra Latinum (vlah), ferat judicium comes, et si Latinus contra Serbum, judicabit banus Scripsit Desoe gramaticus bani Ninoslai.

Miklosich: Mon. Serb. p. 22.

CCCXV. *A. 1234—1240.* Stephanus Vladislaus rex totius Rasiae, Diocleae, Dalmatiae, Tribuniae et Zachulmiae confirmat privilegia Ragusinis concessa a patre et avo suo.

Miklosich: Mon. Serbica p. 25.

CCCXVI. *A. 1234—1240.* Stephanus Vladislaus rex Serbiae remittit Ragusinis Žrnovnicense territorium.

Miklosich: Mon. Serbica p. 27.

CCCXVII **Jaderae**, *2. martii 1235* Temporibus Jacobi Teupolo ducis Venetiarum, Johannis Jadrensis archiepiscopi, Johannis Michaelis comitis. Petrinna filius Bitte de Pece confitetur, quod cum Cancione Petrici venerit ad concordiam pro quodam muro apud s. Stephanum et ejus proprium palatium Testibus: Josepho filio Laurenchine, Carnasario. Andreas de Petrico examinator scripsit, Petrus diaconus et s. Anastasiae canonicus et iadr. notarius signavit.
Ex mea collectione.

CCCXVIII **Almisii**, *17. martii 1235.* Colomanus comes Dalmisii cum suis consanguineis et parentibus et cum toto communi Dalmisii iurat firmam pacem Ragusanis im praesentia Petri Balislave vicecomitis et Bubanae et aliorum plurimorum nobilium Ragusaeorum, qui tunc temporis Dalmisii erant cum lignis suis. Hi fuerunt jurati: comes Colomanus, Pribislavus, Calimannus, Osor, Negoslaus, Strieslaus, Nicolaus Chodimiri, Nicolaus Belcit, Bela de Volcoe, Radoslaus de Stepco, Jesda cum fratre, Rados de Bogdanit, Prodanus de Dracano, Dragoslaus Spue, Bratoslaus cum fratre, Radovan de Obrad, Velcoslav de Miroslav, Tupsa de Mauro, Negoslav, Bratoslav de Belize, Rados Lizerta, Dragotin, Bosdarius de Poclat, Gerdavez, Russota, Merzona, Velcan, Predimir, Ludemir, Alexi, Zarabatan, Radoslav, Marmus, Oblegan, Desco, Strance, Bellos, Obrat, Milos Arcer, Dobrona, Velichna, Radinez, Bratona, Bela, Cernecha, Budislav, Velce, Damian, Dragan, Serben, Lubomir, Martin Seraver, Preven, Desimir, Volemir, Bastant, Ambrosi, Stregona, Vellis, Recinna, Nicola de Bel, Gnevota, Bellen, Desirat.
Ljubić: Mon. Slav. merid. I. p. 51. Ex archivo aulico vindobonensi. Acta Ragusana. Wenzel: Cod. dipl. arpad. XI, 281.

CCCXIX **Ragusii**, *13. Aprilis 1235.* Petrus de Bellislava vicecomes Ragusii cum judicibus et consiliariis de parvo et magno consilio et populus Ragusii statuunt, ut a modo in antea nullus dare debeat alicui mulieri plus quam ducentos perperos nomine parchivii; et non debet dare nisi decem pensas auri pro ornamento capitis, aurium et manuum, et hoc in auro vel argento vel perlis, secundum voluntatem suam, non computatis fazeolis et zepeis. Alia ornamenta a desponsatis deponantur Sponsa vero possit indui more nobilis dominae secundum consvetudinem civitatis Ragusii, quae talis est: Clamis de sciarlato, pellis de fuinis cooperta de viridi, vel de bruno, dipleis vel zuppa de zendato, vel de oramita, clamis de saja, pellicia de leporini et sancilla. Quae consuetudo nullatenus debeat multiplicari sed minorari possit. Zepeque, quae factae sunt, maneant sed a modo in antea non faciant aliam. Nec apportari aliunde faciat aliqua zepequam, quae est deaurata vel habeat telam de seta Nuptiae non celebrentur nisi uno die et quidem eo, quo nupta vadit ad domum viri Panis melatus amplius fieri non debeat, nec bocha portari post sponsam, et oxerium gallinarum, vel ovariorum, vel anatrorum Donaria, quae loco mandiliorum faciebant, qui non habebant mandilia, cessare debent, item donaria, quae faciebat sponsus et sponsa discalciantibus, et torta, quae fiebat, et quae sponsus faciebat de castratto vel sponsa sponso. Eo die quo sponsa vadit ad domum viri, coronetur et ornetur secundum voluntatem suam et sic possit manere per octo dies et non plus Item consveverat sponsus tenere alios socios per totam hebdomadam, et sponsa duas socias Hoc in antea non faciant nisi per tres vel ad plus quatuor dies. Item consveverat ire

sponsa ad ecclesiam et ibi facere expensas, quod amplius non fiat Item in annulo sponsae non ponatur pasta levata, nec ruta, nec cum vadit ad domum viri detur ei enez ad manducandum, et in pectore viri non ponatur pasta, vel ruta amplius. Item galleta plena aqua et cathedra ferrea, et pellis montanea amplius fieri non debeant. Item orphana, quae non habet fratres, cum omni sua possessione nubat, et mulier vidua cum omni dote sua et cum omni eo, quod dedit ei vir defunctae. Et si habet patrem, vel matrem vel fratres, nihil amplius detur ei. Quicunque voluerit accipere vel dare uxorem extra civitatem, vel alio modo matrimonium contrahere, non teneatur ad praedicta sed faciat quod melius potest. Et quicunque contra praedicta fecerit, sit perjurus et incidat in excommunicationem, quae facta est per D. Arangerium archiepiscopum et abbates Desam de Lacromono et Joannem de Meleta et Georgium de S. Jacobo de Visegniza, et per quosdam monachos et canonicos S. Mariae, videlicet presbyterum Petronam filium Theodori, diaconum Mathaeum filium Theophilae, per clericos Marinum filium Sabatini et Stantium filium Simeonis, praesbiterum Paschalem filium Petri, praesentibus fratre Xisto tunc temporis in Dalmatia fratrum minorum ministro, fratre Andrea diacono, qui sunt de Venetiis, fratre Joanne, qui fuit de episcopatu Brixiae, scilicet de Minizno et in conspectu virorum et mulierum in ecclesia S. Mariae. — Et hoc statutum et excommunicatio cum aliis memoratis poenis durat usqu, ad viginti novem annos et non possit mutari nec per consilium parvum, vel magnum vel per iudices vel alio modo.

Farlati: Illyr. Sacr. T. VI. p. 96.

CCCXX. **Ragusii,** *1. Augusti 1235.* Temporibus Gregorii papae et Frederici imperatoris. Theodorus Cresii et Petrus Ballislavae vicecomites Ragusii cum consiliariis et parvo et magno consilio conferunt libertatem omnibus personis civitatis Riminensis veniendi et abeundi de civitate secundum eorum voluntatem. Testes: Joannes Bogdani judex juratus, Velcius Joannis Bladimiri judex, Binzola Bobatiae judex, Andreas Ballislava judex et missus civitatis. Petrus Pascalis Zonus notarius civitatis Ragusii

***Wenzel**: Cod. Dipl. Arpad XI, p. 280. **Ljubić**: Slav. merid. Mon. I., p. 52.*

CCCXXI. **Perusii,** *28. Julii 1235.* Gregorius IX papa Colomano regi et duci Slavoniae concessionem redituum de terra Bosna, a rege Andrea patre ejus ei factam, auctoritate apostolica confirmat

***Theiner**: Mon. Vet. Hung. I., p. 133.*

CCCXXII. *A. 1235.* Andreas II rex, donationes priorum regum ecclesiae quinqueecclesiensi factas recensens et confirmans, manifestat inter caetera: Quod alias etiam metas et limites, quibus zagrabiensis ecclesia commetata est Quinqueecclesiensi ecclesiae a sanctissimo rege Ladislao progenitore suo duxerit inserendas, hoc modo: Quoniam ultra Dravae fluvium limes seu terminus quinqueecclesiensis ecclesiae nondum fuerat stabilitus, cum sanctus Ladislaus rex primus transiverat Dravae fluvium, et partes sibi Slavicas regno primum occupaverat, adducto, ubi et sedem fundavit episcopalem, videlicet zagrabiensem, cuius sedis diocesim a sede quinqueecclesiensi super Lysniche fluentum, quod alio nomine Wolko vocatur, terminavit, abinde per Zavam descendendo; quidquid autem Zavae concludit fluvius, ad ius dioecesanum et iustam decimam

quinqueecclesiensis ecclesiae commetatur, et ab illo fluento Lysniche, totam circuando Posogam, et ad quinqueecclesiensem dyocesim regirando revertitur directio ad metam seu terminum super Dravam ex opposito fluvii Olma dicto, qui de parte septemtrionali in eundem Dravae fluvium cadens ab occasu solis quinqueecclesiensem ecclesiam a Wesprimiensi ecclesia metaliter dividit.
Fejér: Cod. Dipl. T. III. vol. II., p. 422.

CCCXXIII. *A. 1235.* Stephanus episcopus zagrabiensis attestatur, quod magister Pangracius cantor zagr. utpote vir spiritualis et homo totius religionis et honestatis, quamdam terram Crogh in zagrabiensi territorio, quae ad episcopi aratra pertinebat, de qua frequentissima discordia oriebatur inter episcopi familiam et capitulum, pro 30 marcis ab eo emerit, et capitulo perpetuo possidendam tradiderit. Cui rei episcopus suum assensum praebet.
Tkalčić: Mon. episc. zagr. I., p. 75. Farlati: Illyr. T. V., p. 367.

CCCXXIV. *A. 1235.* Stephanus episcopus zagrabiensis, considerans sui capituli nimiam paupertatem et inopiam, videlicet quod unusquisque fratrum in redditibus non possit habere plus in anno nisi valens marcam et dimidium, episcopatus autem et episcopus abundaret in omnibus bonis, de eiusdem bonis donat capitulo terrulam quamdam de Podgorja cum populis suis, decimis, marturinis et omnibus pertinentiis, solo hoc servitio retento, quod singulis annis, sicut ex antiqua consvetudine tenentur, ad consecrationem crismatis emant oleum pro dimidia marca, et deportent die ramis palmarum Zagrabiae. Insuper donat decimas comitatus de Podgorja, valentes annuatim decem marcas. Et hanc donationem contulit capitulo praesertim ideo, cum idem iuvisset eum dum laboraret in curia romana pro deliberanda ecclesia contra abbatem S. Martini in 120 marcis argenti.
Tkalčić: Mon. episc. zagr. I., p. 75.

CCCXXV. *A. 1235.* Gregorius Spalatensis et Sibinicensis comes, judices, consiliarii et populus civitatis, amicis suis et cognatis Johanni Dandulo comiti et universo consilio civitatis Ragusinae, scribunt, quod memores esse credant eos guerrae, quae fuit inter eos et comitem Petrum, quem nihil de rebus eorum penes se habere voluerunt, et omnia quaecumque erant eorum (Ragusinorum) in insulis et in districtu salva essent apud eos, quia inimico suo comiti Petro in omnibus, in quibus potuerant offendere, non parcant, sed res eorum, quae oblatae fuerunt, statim omnes reddiderunt, quod etiam vicissim de illis petunt. Quod queruntur de inimico rege, valde gaudebunt, si ei resistere potuerint. Mittunt Johannem judicem cum domino Cazetta, cui sunt res ablatae, et rogant ut eum benigne recipiant.
Wenzel: Codex Dipl. Arpad. XI., p. 276.

CCCXXVI. *Circa a. 1216—1235.* Thadaeus Urbini et Montefeltri comes et nunc Ravennae et Cerviae potestas cum consilio et communi civitatus Ravennae, audiens per nuntium ragusanum dominum de Balislava, quod Ragusani velint facere pactum amicitiae cum Ravennatis, consentit in hoc pactum et dat illis securitatem eundi et redeundi per forciam et districtem Ravennae pro voluntate eorum, reservato jure et vicissim.
Ljubić: Mon. slav. merid. I., p. 57.

CCCXXVII. *Circa 1235.* Bela rex primogenitus regis Andreae notificat, quod cum de voluntate patris sui et consilio principum donationes inutiliter factas revocaret, obtulerit ei Chama filius Lob nobilis privilegium Belae regis concessum super donatione novem possessionum, quod postmodum apud regem est amissum; considerans ergo excellentissimum servitium dicti Lob patris ipsius et Thomae fratris eiusdem, quod exhibuerunt in Graecia, dimicando se morti tradere non formidantes, quorum probitatem et insignia facta fideliter exhibita Ompudinus tunc banus et Leustachius wayvoda ad aures Belae regis retulerunt, cum quibus dicti homines in Graecia militaverunt, propter quod donavit eis Bela rex avus regis praenotatas possessiones in comitatu de Doboka, quam donationem rex confirmat per manus Mathiae zagrabiensis praepositi aulae regiae cancellarii.

Fejer: Cod. Dipl. Hung. T. VII. vol. 4., p. 32.

CCCXXVIII. **Venetiis,** *die 6. Januarii et mense Junio 1236.* Bogdanus Gojslavi, Nicolaus Maurus, Gervasius Marini, Petrus Ballislavae, judices civitatis Ragusae, et Grubessa Gundulae, Martiuusius Gervasii, quondam comitis, Clemens Sersii, Paulus Damiani Bucinoli, Micha Petrus Malussi, Andreas Domanae Rapanas, consiliarii, et cunctus populus ragusanus committunt Matheo Bobatiae et Cerne Vitatiae nobilibus viris plenam potestatem ordinandi de novo pactum cum duce Venetiarum Jacobo Teupolo et cum toto communi. (Vide pactum a. 1232, 13 Januarii et mense Maio)

Ljubić: Mon. Slav. merid. I. 53.

CCCXXIX. **Viterbii,** *16. Januarii 1236.* Gregorius IX papa scribit Belae IV. regi, quod cum turbatione mentis et stupore audiverit, quomodo ille manus suas ad ecclesiarum et religiosorum locorum gravamen extenderit; gravem siquidem Egrensis et aliorum abbatum cisterciensis ordinis, hospitalis quoque Jerosolomitani, militiae templi, S. Lazari, S. Sansonis in Ungaria magistrorum et fratrum recepit questionem, quod cum Aimericus et Andreas pater ejus, Ungariae ac Slavoniae reges, et alii Christi fideles per regnum Ungariae et Slavoniae constituti, quosdam redditus, terras, possessiones et res eorum ecclesiis et domibus contulissent, ille, oblitus eorum memoriae recolendae, ipsorum vestigia relinquens, eos predictis omnibus, pro suae voluntatis arbitrio spoliaverit. Hortatur igitur eum, ut ablata restituat et de illatis damnis satisfaciat.

Theiner: Mon. Hung. I. 142. Wenzel: Cod. arpad. II., p. 37.

CCCXXX. **Viterbii,** *16. Januarii 1236.* Gregorius IX papa audiens, quod rex Hungariae Bela contra progenitorum suorum consvetudinem manus suas ad ecclesiarum et religiosorum locorum gravamen extendat, praecipue cisterniciensis ordinis, hospitalis quoque Jerusolomitani et militiae templi spoliando, quosdam reditus, terras et possessiones eorum, quas Emericus et Andreas pater ejus Ungariae et Slavoniae Reges et alii Christi fideles per regnum Ungariae et Slavoniae constituti ecclesiis contulissent, mandat episcopis Vaciensi, Nitriensi et Bosnensi, ut ad regem personaliter accedant, illum attente moneant et inducere procurent, ut a praedictis spoliationibus abstineat.

Theiner: Mon. vet. R. Hung. I., p. 143. Fejer: Cod. Dipl. T. IV. vol. 1., p. 33.

CCCXXXI. **Viterbii,** *25. Jan. 1236.* Gregorius IX papa Colomano regi Ruthenorum et duci Slavoniae scribit, quod magister et fratres militiae templi in Ungaria et Slavonia contra eum conquesti sint, quod ab illo quibusdam suis villis, domibus, possessionibus terris et rebus aliis spoliati fuerint; et licet postmodum per archiepiscopum colocensem amicabilis compositio, a sede apostolica confirmata intervenerit, eam tamen servare non curet. Quocirca illum rogat et monet, quatenus compositionem ipsam studeat firmiter observare.

Theiner: Mon. Hung. I. p. 143. Wenzel: Cod. arpad. II. p. 39.

CCCXXXII. **Tragurii,** *6. Februarii 1236. (et Spalati anno 1111.)* Cum de Ecclesia S. Leonis diuturna controversia inoleverat, succedente concordia tali fine sopita est. Episcopus traguriensis conquestus erat coram consilio spalatensi contra filios Ad(aleni) propter ecclesiam (S. Leonis), quam beato Laurentio (Traguriensi) donaverat Bicula uxor Vitalis, qui illam etiam donaverat eo tenore, ut beatus Laurentius eam possideat post obitum eius. Unde utrique vocati sunt (ad tribunal) praesente archipraesule Crescentio; fuitque definitum, ut episcopus et clerus B. Laurentii possideant in perpetuum tres partes (territorii ecclesiae) unam in Balanzana, aliam in Scalavaria, et tertiam ad S Stephanum contra partem austri; filii autem Adaleni habeant saltem illam partem, quam eius avus, id est Vitalis, fabricauerat Promiserunt etiam filii Adaleni dare ecclesia de propria possessione aliam terram, quae aequivaleret illis terris, quas concesserunt B. Laurentio. Acceptarunt concordiam Johaunes episcopus et abbas Damianus; clerici Mar. Duimus, diaconus, Fuscus iudex Spalati, Ganzulo Scanacani filius Dra . . . N. Mesagalinae filius, Fuscus, Pace, filius Duimus, electus Dabro diaconus, Johannes presbyter, Duimus Tulae filius Acta fuerunt haec in Palacio S. Domnii coram archiepiscopo Crescentio anno domini millesimo centesimo undecimo tempore papae Paschalis II. Verum postquam praefata ecclesia per longa annorum spatia per manus nepotum Adaleni pluribus clericis ad regendum collata fuisset, post obitum Pauli archipresbiteri Trag qui eam habuerat, Marinus clericus Bodini nepotis, Adaleni filius ab eodem patre suo et ipsius propinquis, Treguano episcopo et capitulo Trag fuit ad eiusdem ecclesiae beneficium praesentatus et demum confirmatus, qui tenorem suprascriptae concordiae, quae in vetusta pagina scripta fere deleta erat, rescribi fecit, et terras eiusdem ecclesiae hoc ordine fecit annotari: Est autem in Balanzana terra trium vretenorum, prope terram Dobreuoy, ad pontem eundo ad laculum est terra trium vret apud terram rufam est terra 4 vret., apud Loquiza 8 vret, alia in Loquiza 4 vret., apud Lepinum 9 vretenorum Gausinna Trag. primicerius rogatus a praefato Marino clerico scripsit.

Lucius: Mem. di Traù, p. 491.

CCCXXXIII. **Jaderae**, *7. Maii 1236.* Georgius Bravanus, Cranizius frater Brathoni episcopi, Stana uxor Rechisseni, Damianus Grunvez affirmant, quod a Buna abbatissa monasterii S Mariae cum voluntate Gregorii fratris Jurislavi advocatoris illius acceperint in terra de Bresta vineas plantare pro decimo modio praestando in civitate Tina, similiter de oleo et ficubus. Testibus Dragossio Ingrissino, Ceprenna fratre Cevetanae. Gregorius filius Steppe examinator, Petrus diaconus, canonicus et notarius scripsit

Ex archivo Monasteri S. Maria iaderensis.

CCCXXXIV. *A. 1236 3. Julii.* Rogerius et Leonardus, filii quondam Petri Mauroceni comitis absarensis, renuntiant comiti Arbi. castrum Kessae et Novaliam.

Lucius: De regno Dalm. et Croat. Lib. IV. cap. VIII.

CCCXXXV. **Anconae**, *11. Julii 1236.* Ugo Ugolini Latini potestas Anconae voluntate consilii generalis eius terrae, antiquam pacem et amicitiam inter Traguríenses et Anconitanos renovat, ad cujus amicitiae foedus stabile renovandum. Treguanus Traguriensis Episcopus et vir nobilis Dessa Luciae ad civitatem Anconae venere, quibuscum pactum statutum fuit, ut civis Traguriensis nunc et semper in civitate Anconae et in omni ejus districtu sit securus, salvus, honoratus et receptus sicut quilibet Anconitanus; civis quoque Anconitanus in civitate Tragurii et ejus districtu illud idem habeat Testimonium autem litterarum sigillo Communis Anconae annotatum tradiderunt Carno filio Dant portandum universis Traguriensibus civibus, suae Communitatis bulla Rasavare roboratum.

Farlati: Illyr. Sacr. T. IV. p. 339. Makušev: Monum. hist. Slavorum merid. I., 110 apud quem Treguani loco legitur „Gregorius".

CCCXXXVI. **Reate**, *30. Julii 1236.* Gregorius IX papa mandat episcopo et praeposito quinqueecclesiensi, et abbati de Ciccador, cisterciensis ordinis quinqueeccl. diocesis, ut compositionem, inter Colomanum ducem Slavoniae et magistrum ac fratres militiae templi in Ungaria et Slavonia factam, faciant per censuras ecclesiasticas, appellatione remota, firmiter observari, et quidem non obstante indulgentia, quae sibi a sede apost. sicut dicitur, est concessa, ut nullus in eum absque speciali mandato sedis apostolicae sententiam excommunicationis audeat promulgare; cum autem iidem in promisso negotio procedere voluissent, excusavit se Colomanus, quod non auctoritate sua, sed Belae regis, fratris sui, a quo terram se habere asseruit, dicti milites templi spoliati fuerint. Quocirca ablata non solum restituere noluit, sed executoribus sedis apost., dicto praeposito et abbatibus de Ciccador et Varadiensi, graviter comminatus fuerit, qui cum apud eum nihil proficere valerent, processum non sine fratrum militiae praeiudicio ad sedem apostolicam remittendum duxerunt. Ad hoc monuit papa per litteras iteratim Colomanum, ne irrita faciat quae de suis labiis processerunt, suis autem legatariis iniungit, ut si Colomanus eius monitioni et factae compositioni non satisfaceret, ecclesiastico interdicto puniant.

Theiner: Monum. Hung. I. 146. Wenzel cod. arpad. I., p. 46.

CCCXXXVII. **Reate**, *8. Augusti 1236.* Gregorius IX papa suscipit sub protectionem suam Sebislaum knezium de Woscora (Usora) natum quondam Stephani Bani de Bosna, et injungit archiepiscopo et praeposito Strigoniensi et episcopo quinqueecclesiensi ut illum molestari non permittant.

Suscipit quoque sub suam protectionem A(nnam) relictam Stephani Bani.

Theiner: Mon. vet. Hung. I. 147.

CCCXXXVIII. **Reate**, *8. Augusti 1236.* Gregorius IX papa scribit A(nnae?), relictae quondam S(tephani) Bani de Bosna, quae inter principes Bosnensis diocesis, infectos macula haereticae pravitatis, existit quasi lilium inter spinas,

quod personam et terram illius cum omnibus bonis, quae possidet, sub beati Petri protectionem assumpserit et districte inhibuerit, ne quis illam in fide et devotione romanae ecclesiae persistentem in supradictis, terra et bonis, praesumat temere molestare, iure regis Ungariae semper salvo.

Theiner: Mon. Hung. I. p. 147. Wenzel cod. arpad. II. 49.

CCCXXXIX. **In ecclesia B. Adalberti,** *29. Augusti 1236.* Robertus archiepiscopus strigoniensis ius patronatus ecclesiae S. Gerardi M. in parvo Pest seu Creynfeld, a Bela rege Abbatiae B. M. V. Belae fontis in diocesi Colocensi de novo pro monacis Ord. Cisterciensis extructae, confirmat.

Fejer: Cod. Dipl. Hung. T. IV. vol. I., p. 60.

CCCXL. **Viterbii,** *22. Novembris 1236.* Gregorius papa improbat archiepiscopo jadrensi, quod cum quidam ex fratribus ord. minorum ad civitatem Jadrensem, haereticae pravitatis infectam maculis, propagare fidem accessissent: eos, laicorum multitudine ilariter admittente, contumeliarum aculeis ipsorum pectora pupugerit et ipsorum ordini graviter detrahere praesumpserit, ianuas ecclesiae claudi fecerit, ne ad praedicationem ministri provincialis eiusdem ordinis populus conveniret. Praeterea cum in partibus illis paucae vel nullae congregationes existant, in quibus disciplina vigeat regularis, in quasdam mulieres inibi constitutas pro eo, quod capillorum abscissa caesarie ac relicto saeculari habitu elegerint sua crimina in domibus propriis deplorare, in eorundem fratrum opprobrium, quorum exortationibus anhelant, excomunicationis sententiam promulgaverit, divina auctoritate praecipiens, ut cum apostolus tonsuram prohibeat mulierum, quod illarum aliqua sive in domo propria commoretur, vel religionis sit habitum susceptura, tonsuram prohibeat mulierum. Mandat igitur ei, ut sua facta emendet et a molestatione dictarum mulierum et fratrum ordinis minorum abstineat et desistat, datis ad archiepiscopum Spalatensem litteris, ut eum ab huiusmodi praesumptionibus compescat.

Fabianich: Storia dei Frati minori in Dalm. et Bosna. I. 408. Farlati: Illyr. Sacr. T. V. p. 73. Ad annum 1235.

CCCXLI. *A. 1236.* Bartholomaeus episcopus vesprimiensis, Arnoldus comes Saladiensis, Ladislaus comes, magister Zlandus lector Albensis ecclesiae, et plures comites notificant, quod cum essent inquisitores in parochia Zaladiensi super terris, vineis et aliis iuribus ecclesiarum, servientium regis, castrensium, udvornicorum, populorum reginae et aliarum diversarum conditionum a rege Bela constituti, accesserunt ad terram magistri Michaelis, sitam inter Dravam et Muram, et ibidem multorum testimonio et occulta subtilique inquisitione invenerint, quod dicta terra fuerit quondam Rapolti et Sulc, sed ipsi amiserint eam pro interfectione cuiusdam nobilis de partibus illis, videlicet Friderici, et scientes, quod illa terra fuerit a magistro Michaele de jure possessa, restituerunt illi possidendam. Introductus fuit per hominem regium Mathiam canonicum quinqueecclesiensem.

Wenzel: Cod. Dipl. Arpad. III. p. 23.

CCCXLII. *A 1236.* Capitulum ecclesiae zagrabiensis notificat, quod Belko ex una parte ex alia autem Damald et Ivan filii Wogsa intimaverint, quod Endrey et Sepina de genere ipsorum dicto Selk terram suam Ebus pro ducentis pensis argenti, item aliam terram Zbogcina idem Ivan et Damald

praefato Selk pro 300 pensis, item aliam terram Sbogcina Orisco et Sarcas filii Sarcas (Farcas?) pro 200 pensis dicto Selk vendiderint Fideiussores statuerunt: Crachun et Florian filios Crachun, Cristan filium Zeuchey, Woychin filium Peter de Zagoria, Stephanum filium Rados, Wichen filium Wolchech, Martin filium, Nezdesa, Iwahen filium Moncha, Ivan filium Binch, Damasc filium Tomas, Volihka filium Isan, Wlchizlau filium Giubrina Metae autem terrarum haec fuerunt: Prima iuxta viam, quam tenet cum populis castri Bolotyn Inde descendit ad vallem, et per montem et aliam vallem et duas vias, tenet cum populis castri Macolsyn (? Melen?) et per varias metas ad magnam vallem, in qua est rivus Sabige, per eandem aquam tendit ad magnam viam, et ad septemtrionem in magnam silvam et ad flumen Cirinik et tenet metam cum jobagione castri Zulich, et pervenit ad metam castri, quae vocatur Polona Et per fluvium Cyrinik ad rivum Obrusiensem et ad priorem metam. Meta terrae venditae per Ivan et Damald inscipit ad rivum Obrys, vadit ad magnam silvam usque ad flumen Chernych, per eum ad terram episcopi, et per campum et magnam viam transit ad montem et tendit ad maiorem viam Varasdiensem, ibi deficit meta episcopi et vadit ad metam Selconis (Zeleo) Meta terrae, quam Orisco et Sarcas vendiderunt, incipit iuxta magnam viam, tendit ad caput fontis, qui currit ad rivum Globuscis in magnam vallem, ascendit ad montem, transit viam, tendit ad vallem et ad aquam Globusciz et per varias metas ad aquam Bynna (Bednja) iuxta aquam puteus crucis, tenens metam cum comite Goiden (Gardun) et iuxta aquam Bigna ad terram castri Beletincy et ultra Bigna ascendit ad magnum montem et venit ad caput fluvii Obris. Existente secundo Stephano episcopo Zagr. Fila praeposito, Pangratio cantore, Johanne lectore, Gregorio custode, Petro decano

Wenzel: Cod. Dipl. Arpad. VII. p. 19.

CCCXLIII. *A. 1236.* Bela IV rex confirmat civitati varasdinensi privilegia et libertates concessas illi ab Andrea II rege, cum eadem privilegia per incendium domus combusta perdiderint Rex de veritate certior factus per jobagiones suos: Stephanum episcopum Zagr., Salamonem Banum, Petrum comitem fratrem Orle comitis, libertates civitati restituit hoc privilegio: Quod comes vel suus comes curialis non habeant potestatem eos iudicandi, sed habeant potestatem quemcumque volunt judicem seu richtardum constituere. In litigio cum exstraneis curialis comes simul cum rihtardo discutiant. Nullus burgensis tributum solvere teneatur, nisi qui vadit in Theutoniam cum suis mercimoniis, tum solvet pro quolibet curru tres denarios. Quoties comes castri renovatur, tenentur ei dare 20 cubulos vini, 100 panes et unum bovem. Si quis sine haerede decesserit, libere disponat cum sua possessione Si quis vellet de villa recedere, venditis omnibus suis, libere abeat. Si quis per extraneum damnum pateretur, rihtardus eiusdem loci inter eos faciat justitiam Metae autem terrae sunt: Prima de villa Ivanec et conterminatur villae Tvrda, deinde vadit ad villam Johannis (Jankovec). inde ad villam episcopi (Biškupec), deinde conterminatur villae Gurdon et villae Vecuslav et vadit ad villam Tusoy (Tužno?); deinde ad terram Cruciferorum, deinde ad magnam viam, in qua gradiens conterminatur priori metae (Ivanec) Pristaldi fuerunt: Otochur de villa Tesen, et Zelco terrigena de villa Pritice Inter praelatos et magnates Stephanus zagr, Martinus Corbaviensis episcopi, Jula comes et magister, Zacharia comes Varostiensis, Salamon Banus, Stephanus filius Nicolai bani

In Archivo civitatis varasdinensis Fasc. III N. 23.

CCCXLIII *Spalati mense Januario 1237.* Temporibus Guncelli archiepiscopi spalatensis, Marci comitis, Michae nepotis Budici vicarii. Archidiaconus et capitulum petunt ab archiepiscopo justitiam fieri de Monachis s. Stephani, quos dicebant ecclesiam S Michaelis de Mari de jure ad se spectantem contra justitiam detineri. Monachi noluerunt respondere, quia suspecta illis erat audientia archiepiscopi, sed appellarunt ad pontificem. In praesentia Dominici praesbiteri, Marini et Dese clericorum. Cumanus clericus spalat iuratus notarius scripsis

Ex archivo aulico Viennensi acta Spalatensia. Carrara: Capit. arch. p. 12.

CCCXLIV. **Viterbii,** *10. Maii 1237.* Gregorius IX. papa ad petitionem Ioannis archiepiscopi antibarensis, quod episcopi, abbates, et alii praelati nec non presbyteri et clerici suae provinciae dignitates et ecclesiastica beneficia de manu receperint laicali, et quod idem episcopi absque missarum celebratione conferant ordines extra tempora constituta, ipse quoque archiepiscopus, gravissimo metu domini temporalis, quemdam episcopum consecraverit et abbate cuiusdam monasterii vivente nec amoto alium substituerit et benedixerit contra sanctiones canonicas, quidam praeterea Drivastensem quondam episcopum ausu diabolico occiderint, nonnulli principes etiam matrimonia in quarto gradu contraxerint; super quibus omnibus petit misericorditer provideri, ad celerius obviandum talibus abusibus mandat papa priori ordinis praedicatorum in Romana provincia, quatenus sine mora aliquot fratres ad dictam provinciam antibarensem destineat pro inquisitione et dictos episcopos ad sedem Romanam citet.

Farlati: Illyr. Sacr. T. VII., p. 35.

CCCXLV. **Arbae,** *11. Maii 1237.* Tempore Jacobi Teupoli ducis Veneciarum, Jordani episcopi arbensis et Rogerii Mauroceni comitis Cum fuerit consvetudo civitatis Arbensis, ut defuncto capellano cuiuscunque ecclesiae fundatores eiusdem ecclesiae capellanum eligere debeant, et electum episcopus confirmet, idcirco subscripti fundatores ecclesiae S. Martini de Barbato arbensis diocesis, qua debitores communis, disposuerunt pignori locare redditus ecclesiae ipsi communitati. Haec autem videns, quod cathedralis ecclesia S. Mariae plurimum indigeat reparatione nec in ipsius aedificio propriae sufficiant facultates, possessiones dictae ecclesiae S. Martini in usum cathedralis ecclesiae condonavit; verum quia ecclesia S. Martini duobus annis capellano vacabat, instituit jadrensis archiepiscopus Jordanum episcopum in capellanum, quod facere minime debuisset, quia institutio capellani, elapsis duobus annis, non ad ipsum sed ad apostolicum spectabat; qua de re episcopus duos canonicos D. et M. sibi malitiose sociavit, in quos a paucis fundatoribus electio dicitur facta fuisse, volens cum ipsis dividere possessiones, defraudata maiori ecclesia. Communitas postulavit episcopum, ut eius donationem cathedrali ecclesiae confirmaret, sed ille renuit et totam terram supposuit interdicto. Idcirco communitas appellavit ad sedem apostolicam. Fundatores ecclesiae S. Martini fuerunt: Christophorus Maldius, Christophorus iudex, Albertus Duimus etc. (quos Farlati omisit describere). Subscripsit Christophorus Cotopagne examinator et judex, Sergius notarius arbensis.

Farlati: Illyr. Sacr. T. V. 241.

CCCXLVI. **Spalati**, *10. Junii 1237.* Temporibus Guncelli archiepiscopi spalatensis, Marci comitis, Petri Pinose vicarii. Marinus arbensis filius Laurentii positus in Spalato confitetur se debere Petro filio Jacobi Sabacii 17 libras denariorum parvorum, quos obligat se solvere usque ad Julium mensem Fideiussor fuit Germanus Purnos filius Sabatii. A Malle. Testes: Gregorius Zamboni, Micha filius Sabae Guseli. Cumanus clericus et notarius scripsit.

In archivo Monialium S. Mariae Jaderae.

CCCXLVII. **In Sebus**, *24. Junii 1237.* Bela IV rex transmittens conventum ordinis Cisterciensis de Monasterio Triumpontium de Campagna in Hungariam, contulit ei locum Ukurd ad aedificationem monasterii, cum quibusdam possessionibus. Et quidem in comitatu Syrimensi de possessionibus haereditariis Petri filii Gurwey, quae, quia crimen laesae maiestatis, matrem regis Belae occidendo, comiserat, ad manus regias fuerunt devolutae; imprimis locum Ukurd, qui modo Belafons appellatur, cum omnibus pertinentiis, cum parte Danubii fluentis super terram illam et cum viginti quinque villis sub una meta existentibus, scilicet: villa Comonch (Kamenica?), Chuda, Achad, villa Teutonicorum, Bratach, Incud, Lazar, Ukurd, duae villae Monorons, Lesemer, Luaz, Chervet, Erdeol, Warolea, Turny cum insula, Perben cum piscina, et viginti duabus mansionibus servorum piscatorum, villa Scepholu, Oziun, Haranch, Pokoy, Bratycha, Comolous, Stenc, Oyfolu. Has omnes villas donavit pro remedio animae interfectae matris et suae. Contulit insuper in Sirmia terram Narad cum omnibus pertinentiis. In Petend octo mansiones servorum vinitorum, cum suis terris, et quinque vineas super terra Nicolai filii Theodori, quas ipsi vinitores tenentur colere et vindemiare annuatim ad integrum propriis sumptibus et vinum portare ad claustrum, tali modo quod vinum purum, quod pedibus bene exprimi potest, recipiat ecclesia, et quod in torculari torquebitur, habeant vinitores. Contulit etiam vineam in Sirmia, quam emit propria pecunia de Mychaele officiali Botez, quae vinea est sita in terra abbatis de Dombo. Item contulit ultra Danubium possessionem Peturvarad et regale palatium ibi constitutum cum omnibus pertinentiis et tribus villis Zoyl, Byvolon, quae fuerat Petri de crimine condemnati et villa udvornicorum, contulit etiam allias villas in comitatibus Bachiensi et Budrugiensi sitas. Contulit etiam villam Borica, quae fuit Dionisii comitis Palatini, qui de regni dilapidatione et infidelitate evidenter est convictus. Insuper plebanias utriusque Pesth et multas libertates, utpote dispensationem a solutione omnis tributi, libertatem emptionis et venditionis per totam Hungariam, proprii judicatus etc.

Wenzel: Cod. Dipl. Arpad. VII. 27.

CCCXLVIII. *A. 1237.* Colomanus rex et dux totius Slavonie manifestat, quod cum magistro Phila suo cancellario et praeposito zagrabiensi nec non cum Thoma comite de Chay fratre suo super terra, quam primo ipsis dederat in Wamus ad viginti aratra, et super terram Kyliani quae est iuxta eam, quam ipsi emerant, et super terra Musd empta a Martino filio Martini de Lipoy et duabus vineis Farcasi filii Cebce, tale fecerit concambium, quod pro commutatione dictae possessionis dederit terram suam Luder et terram Heyreh sicut eam Botyz comes possederat, cum tribus mancipiis, in quibus sunt tredecim hominum capita.

Wenzel: Cod. Dipl. Arpad. VII., p. 40.

CCCXLIX. *A. 1237.* Colomanus rex et dux totius Slavoniae notificat, cum Bela rex frater illius et ipse dux de communi consilio regni universas perpetualitaes superflue et inutiliter factas revocandas decrevisset, et revocasset ab omnibus, specialiter etiam ab Abraam comite filio Marcelli comitis terras suas, quae fuerant ultra Dravam, receperunt praeter terram Pukur, cum suis pertinentiis, quam ei et suis haeredibus perpetuo statuerunt possidendam, pro suis terris omnibus empticiis, quae fuerant eis necessariae, et quas Abraam comes de bona voluntate sua pro bono gratiae illorum possidendas reliquit Conscriptarum metarum terrae Pukur per hominem regium Fabianium, incipit prima super fluvium Pukur, ubi tenet metam cum Nadiha; inde iuxta fluvium Ivana ab oriente usque ad metam filiorum Bodur comitis et venit ad caput Mechinice minoris, descendit per rivulum Chrasnig ad terram Dobrosig; et per silvam et vallem ad fluvium Mechinica descendendo tenet metam cum Garig et pervenit ubi Kemenic pothok descendit in Mechinicam et per rivulum Cuchenur et fluvium Mechynica ad fluvium Soplonica; et tendit ad locum ubi cadit Mogorov pothok in Soplonicam, et ibi relinquendo metas Garig incipit tenere metam cum terra Gresenicha, et per Soplonicam in magno spatio venit in portum ipsius fluminis et exit per silvam magnam ad fluvium Pukur, ubi Muncadburne vocatur. Et per eundem tendit superius et tenet metam cum

Petro de Welyca; et venit ad locum ubi Pucruch cadit in Pukur; et ascendit per fluvium Welika potoka ubi tenet metam cum Nadiha, inde exit per Lyscowech pothok; et ascendit ad metam cum cruciferis et inde per stratam Colomani regis pervenit ad metam Nadiha, et ibi separatur de strato supradicto. Praesentes erant; Opoy banus, Nicolaus magister tavernicorum, Ladislaus comes de Sumugh et alii. Datum per manus magistri File praepositi zagrabiensis.

Wenzel: Cod. Dipl. Arpad. VII, 38.

CCCL. **Ragusii,** *1237.* Johannes Bogdani, Velcius Vladimiri, Martinusius comitis Gervasii, consules Ragusii cum universo populo stabiliunt bandum, ut nullus Ragusaeus cum mercatandia (sic) vadat in Bosnam, donec missi eorum Petrus de Srecca et Petrus Sabini Tilerii, quos illuc mittunt, veniant Ragusium. Quicunque fecerit contra, solvet bandum de 50 perperis. Testes: Grubessa Gundulae, iuratus iudex et presbyter Pascalis notarius.

Ex Archivo reip. Ragusanae. Fasc. II., N. 63.

CCCLI. *A. 1237.* Colomanus rex et dux totius Slavoniae donat cuidam N. quandam possessionem de consilio fratris sui Belae regis et jobagionum suorum, qui tunc praesentes erant, videlicet Opoy bani, Nicolai magistri tavarnicorum suorum, Ladislai comitis de Sumug et aliorum. Datum per manus magistri File praepositi zagrabiensis.

Fejér: Cod. Dipl. Hung. T. XI., 398.

CCCLII. *1237.* Stephanus episcopus zagrabiensis petitionibus fratrum capituli zagrabiensis saepius commonitus, intelligens quaedam iura et possessiones ipsorum ab officialibus ejus iniuste detenta esse, restituit eis terram seu praedium Toplicha, quod eis collatum fuerat ab antiquo, ad eum vero pro quodam parvo concanbio devolutum, in quo ultra dimidium iusti praetii se deceptos asseruerunt. Pro Ugra autem et Zelina, quia et ista praedia eis restituenda erant, sicut ex privilegiis regum et confirmationibus romanorum pontificum Urbani et Gregorii demonstrarunt, ei autem valde necessaria erant, in concambium dedit praedium Podgoria cum omnibus suis decimis, et duas insulas iuxta Savam, quas Buza et Albertus ex parte sua possidebant Et quia antecessor ejus Stephanus eis donaverat ducentos porcos et totidem cubulos vini ad communem mensam singulis annis, vult illam donationem observari et insuper quingentos cubulos vini annuatim eis dari. Titulo detentorum iniuste fructuum praedictae terrae donavit illis terram Zagrabiae ad quatuor aratra et quatuor mansiones servorum. Insuper curiam vicinam ecclesiae ex parte septemtrionis cum piscina iuxta eandem dedit illis, ut possint aedificia ad communes usus fratrum aedificari et parari. Contulit etiam decimas zagrabienses plenarie cum omnibus minutis, agnis videlicet, mele et cera, linis, nucibus, fabis et quaecunque solent decimari; retentis sibi tribus millibus et quingentis cubulis vini et quingentis quinquaginta capeciis, et secentis galinis. Excepit autem a decimatione Ugram et Cassinam reservans eas ad suum cellarium. Confirmat illis quoque quaedam privilegia quoad facultatem disponendi cum rebus suis, et quoad descensum liberum populorum capituli.

Tkalčić: Mon. episc. zagr. I., p. 76.

CCLIII. *A. 1237.* Capitulum Tytulense manifestat, quod Gencus sacerdos et Bena clericus fratres de villa Hetten de Syrmia proposuerint, se Stephano, fratri Thomae archidiaconi Syrmiensis, de terra eorum Heten centum iugera pro marca et dimidia vendidisse, ubi nunc ecclesia et villa eiusdem Stephani constituta est. Item dictus Bena et Farcassius filius Beca asseruerunt, se vendidisse octuaginta jugera praedictae terrae pro una marca dicto Stephano. Subscripserunt: Stephanus praepositus, Petrus lector, Redemptus cantor, Vassardus custos, Michael decanus etc.

Cod. Dipl. Patrius VI., p. 35.

CCLIV. *A 1238. 29. Januarii.* Bela IV. rex notificat, quod cum superfluas et inutiles donationes Andreae patris et Emerici regum factas, per quas ius coronae regiae pene penitus erat annullatum, de fratris sui Colomani regis et ducis totius Slavoniae voluntate ac de praelatorum et omnium baronum suorum nec non totius regni consilio et consensu decrevisset revocandas, et hoc decretum etiam ad donationes ecclesiis factas protendendum; postremo vero, cum regnum suum in statum debitum esset iam quasi reformatum, ecclesiae domui hospitalis Jerosolymitani ad preces Rambaldi de Voczon de consensu et voluntate fratris Colomani regis, qui tunc praesens fuit, cum omnibus jobagionibus suis, terras quasdam et possessiones de dictis donationibus de novo confirmavit. Inter ceteras possessiones Hungaricales: medietatem tributi pontis (ad Morisium) quondam ad regem pertinentem, qui est super duos sincusios iuxta monasterium, quod fecit uxor Gyulae bani, quia alia medietas ex donatione dictae dominae eidem domui antea pertinebat. Item concessit domui terram ad decem aratra, nomine Croac, a castro de Walkoy exemtam quae est contigua terrae eiusdem domus, quae vocatur magna villa, cum silva pertinente ad ipsam. Item ultra Dravas concessit domui terram Petriz exemtam, de comitatu de Posega, sed si auri fodina fuerit ibi inventa, eximius frater Colomanus rex et dux totius Slavoniae debet habere quintam partem eiusdem terrae; si forte auri fodina cessaret, debet illa quinta pars restitui domui Si vero inveniretur aurum et argentum in aliqua parte terrarum domus, tunc tertiam partem proventuum auri et argenti percipiet domus, duas vero camera juxta regni consvetudinem. Item permisit domui terram de Zickvan, item tria praedia quae pertinebant praedio Giez, quae erant emptitia uxoris Gyulae bani. Item quandam terram exemtam a comitatu de Vorosd, quae est contigua terrae S. Joannis de Worosdino. Datum per manus magistri Stephani aulae regiae cancellarii et praepositi Vachiensis. Existentibus: Stephano episcopo zagrabiensi, Joanne Angelo domino (Sirmii).

Fejér: Cod. Dipl. T. IV., vol. I., p. 104.

CCLV. **Laterani,** *26 Martii 1238.* Georgius IX. papa, annuens petitionibus Joannis archiepiscopi Ragusini, confirmat ad exemplar praedecessorum suorum Innocentii, Anastasii, Adriani, Alexandri, Urbani et Clementis Rom. Pontificum omnia privilegia ecclesiae Ragusinae et specialiter locum ipsum, in quo dicta ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis et parochiis, scilicet regnum Zachulmiae, regnum Serviliae, quod est Bosna, ac regnum Tribuniae, civitatem quoque Cattarinensem, seu Rosae, Budvanensem, Antibarensem, Liciniensem (Dulciniensem), Suacensem, Scodrinensem, Drivastensem et Pulatensem. Pallium quoque pontificale etc.

Ex transumpto bullarii in Archivo Ragusino. Msc. p. 435. In mea collectione.

CCCLVI. **Laterani,** *26. Aprilis 1238.* Gregorius IX. papa mandat episcopo Cumanorum, ut cum Colomanus rex et dux Sclavorum illustris, sicut ex eiusdem insinuatione percepit, terram Bosnae, deletis inde pravitatis haereticae maculis non absque multis laboribus deduxit ad lucem catholicae puritatis, fratrem Pousam de ordine praedicatorum (decedente episcopo Joanne Theutonico) nominet in episcopum Bosnensem auctoritate sedis apostolicae, praeterea ei iniungat, ut de terra Cholim (Cholm = Hlm) per eiusdem regis et ducis ministerium a pravitate consimili depurata, curam in spiritualibus habeat, quousque cum illa per romanam ecclesiam quod opportunum fuerit disponetur.

Fejér: Cod. Dipl. T. IV. vol. I., p. 124.

CCCLVII. **Ragusae,** *22. Novembris 1238.* In magno consilio civitatis Ragusinae in praesentia Nicolai Tonisci comitis Ragusini, venientes nuntii comunitatis de Almissa et comitis Nicolai Dalmisii, videlicet judex Perinna, Belletinus et Velcanus Chranenic juraverunt pro se et pro comitibus et nobilibus et communi Dalmissii, quod velint cum communi civitatis Ragusinae manutenere pacem et antiquam concordiam, quam olim habuerunt, inviolabiliter reservare. Iidem comites et commune Dalmisii mittent nuntios ad Stamnum ad stanecum, facturi rationem, et a Ragusinis recepturi, 15. die post festum S. Gregorii. Praeterea comes (comitus) sagitteae Chudlenus et naucleri et alii meliores et plures de sagittea, quos Ragusaei dimiserunt, juraverunt etiam firmam pacem. Testes fuerunt: Binzola Bobatiae, Grubessa Gundulae, Gervasius Naimeri. Pascalis notarius scripsit.

Ljubić: Mon. Slav. merid. I., p. 56. Wenzel: Cod. Dipl. Arpad. XI., p. 305.

CCCLVIII. **Laterani,** *26. Novembris 1238.* Gregorius IX. papa rogat Colomanum ducem Slavoniae, quatenus Balduino haeredi imperii Romaniae et comiti Namucensi ac aliis in imperii subsidium transeuntibus, benigne recipiendo eos, securum conductum cum consilio et auxilio efficaci impertiri procuret.

Theiner: Mon. vet. Hung. I., p. 168.

CCCLIX. **Laterani,** *22. Decembris 1238.* Gregorius IX. papa monet Colomanum regem et ducem Slavoniae, ut haereticos in dioecesi Bosnensi exstirpet.

Theiner: Mon. vet. Hung. I., p. 168.

CCCLX. **Laterani,** *22. Decembris 1238.* Gregorius IX. papa communicat abbati Varadiensi ordinis S. Benedicti, se intellexisse, quod apud fratres ord. praedicatorum quinqueecclesiensium, a quodam Jula bano Colomani ducis Slavorum fuerit deposita quantitas pecuniae pro fidei negotio in Bosnae partibus expendenda; cum autem in eisdem partibus Bosnensi episcopo plene legationis officium commiserit, mandat, si constiterit dictam pecuniam in subsidium praedicti negotii fuisse legatam, ipsam dicto episcopo ab eisdem fratribus faciat integre assignari.

Theiner: Mon. vet. Hung. I., p. 169. Sub eodem dato et in eodem merito scribit papa priori et fratribus Praedicatorum ordinis Quinqueecclesiae: quod cum dux Bosnae a catholica fide in haeresim sit relapsus, superius nominata pecunia pro cathedrali construenda in Bosnae partibus sit deposita.

Ibid.

CCCLXI. **Laterani**, 23. *Decembris 1238.* Gregorius IX. papa episcopo Bosnensi, (Pousae). Cum Colomani ducis Slavoniae ac aliorum fidelium circumpositae regionis diligentia efficaci faciente provenerit, quod ibidem consurgat religio Christiana, desiderans ut a perfidiae maculis penitus immunis reddatur, tribuit ei legationis officium in Bosna et injungit ei, ut fideles in regno Hungariae exhortetur, ut se viriliter et potenter accingant ad haereticae pestis residuum de praedicta dioecesi penitus abolendum, et concedit omnibus eiusdem regni contra haereticos processuris veniam peccatorum, tribuens ei eandem potestatem, quam praedecessor ejus frater Johannes a sede apostolica se habuisse dignoscitur.

Theiner: Mon. vet. Hung. I., p. 169.

CCCLXII. *A. 1238.* Stephanus Vladislaus rex Serbiae conqueritur, Ragusinos homines capiendo et praedam faciendo fidem violasse.

Miklosich: Mon. Serbica p. 21.

CCCLXIII. **Ragusii**, *A. 1238.* Nicolaus Tonisto comes Ragusii cum judicibus et consiliariis referunt Vladislao regi Serbiae, Vladimirum in eius terra praedam fecisse neque comite neque communi svadente.

Miklošić: Mon. Serbica p. 21.

CCCLXIV. *A. 1238.* Opoy banus totius Slavoniae notificat, quod dum post decessum regis Andreae inquisitiones super terras ad castra pertinentes fuissent exortae, jobagiones castri de Kyris, statim dum ad banatum venisset, ei de terris castri violenter occupatis conquesti fuerint; accepto pristaldo suo et homine regis Leustacio terras castri tam ab aliis, quam a Jaxa vicebano et fratribus suis, videlicet Georgio et Bratyno receptas, castro restituerunt, iuxta institutionem regis Belae et Colomani per bani sententiam; praedictus autem Jaxa vicebanus et fratres sui supranominati, dum castro et jobagionibus suis satisfecissent, in praesentia dicti bani terram haereditariam Dobouch (Dubovica), contra quam praefati jobagiones nullam causam potuerunt proponere, petierunt banum ut de dicta terra litteras confirmationis praestaret. Quod ille et fecit, litterasque duplici suo sigillo firmatas contulit, insimul mandavit pristaldo suo Nicolao filio Ivan praefatam terram metis circumscribere. Quarum meta prima incipit a fluvio Bogachaiach ad partem occidentalem ad arborem pomiferam sub silva, et per silvam penes plures arbores cum meta terrea et per vallem ad viam, quae tendit ad partem meridionalem, ubi adiungitur terrae porcariorum regis.

Originale perg. in mea collectione.

CCCLXV. *Mense Februarii 1239.* Farcassius praepositus quinqueecclesiensis cum toto capitulo testatur, Abraam comitem, filium Marcelli, praesente homine magistri File praepositi zagrabiensis, cancellarii Colomani regis (et ducis), protestatum fuisse, quod terras ipsius Donat et Drauch, quas habuit juxta Ruch (Roych, Rovišće) emptitias, et alteram terram ex altera parte Ruch, nomine Cudmend, illustri regi Colomanno, duci totius Sclavoniae, in concambium pro terra Pukruch et aliis terris dedisset.

Ex Actis ex regni Archivo Pestinum translatis. N. R. A. 1501. N. 8.

CCCLXVI. *A. 1250.* Capitulum chasmensis ecclesiae significat, quod in praesentia ab una parte Dyane de Garig ab altera Micov et Mixa, filiis Druzizlay, et filiis Mikula, iidem Mikov et Mixa et filii Mikula confessi sint, se terram ipsorum Poloziticha ipsi Dyane et suis haeredibus vendidisse, sicut etiam in litteris Henrici comitis Symegiensis continebatur, pro tribus marcis et fertone. Meta incipit a fluvio Chasmae, inde per unam Malacha ad rivulum Poloziticha; inde ad fluvium Zeznick, exit iuxta terram Paulin et cadit ad fluvium Zalatinnik; inde per silvam Ravna, et transiens fluvium Poloziticha cadit ad fluvium Chasma.

Codex dipl. patrius. T. VII., p. 39. Ex Archivo comitum Erdödy in Galgocz.

CCCLXVII. **Spalati,** *19. Martii 1239.* Regnante Bela IV. rege et temporibus Rugerii archiepiscopi Spalatensis, nobili viro Widone Vegliensi comite Vinodoli et Modrussiae ac potestate civitatis Spalatensis. Quum idem comes Wido cum iudicibus, consiliariis et communitate Spalatensi, et similiter cum indicibus, consiliariis et communitate Traguriensi in guerra maxima pro honore coronae regiae et fidelitate observanda permanerent cum Pollizanis infidelibus dictae coronae, comes Butteco maritimus banus promisit et sacramento se obligavit in eadem guerra iuxta dictum potestatem et praedictas communitates esse et perseverare, et eisdem infidelibus vivam guerram facere, nec treguam vel pacem aliquam facturus nisi consensu praedictorum. E converso pradicti promiserunt et iurarunt in dicta guerra permanere, nec sine consensu comitis et bani pacem facere velle. Haec omnia sunt pacta coram fratre Sebastiano priore fratrum praedicatorum de Spalato et fratre Gessae et aliorum fratrum.

Lucius: De reg. Croat. et Dalm. Ed. Schwandtner: SS. III., p. 292.

CCCLXVIII. *Apud* **Ortam** *in* **Sicilia,** *mense Martio 1239.* Manfredus rex Siciliae notum facit, quod licet totius Dalmatiae homines olim contra patrem suum et fideles eius multa enormia commiserint et plurima damna intulerint, piraticam exercendo et homines regni Siciliae specialiter offendendo, quoniam tamen syndici universitatis Spalati venientes personaliter promiserunt, et nomine omnium civium suorum jurarunt, quod contra regnicolas regni eius piraticam nullatenus exercituri sint, concedit ipsis, ut in dictum regnum Siciliae cum navibus suis salvi et securi veniant, praecipiendo, ut nullus in regno eos offendere audeat. Datum per manus Gualterii de Orta regnorum Jerusalem et Siciliae cancellario.

Lucius: De regnis Dalm. et Croat. Ed. Schwandtner: SS. III. p. 293.

CCCLXIX. **Laterani,** *8. Aprilis 1239.* Gregorius IX. papa ad petitionem abbatis et conventus monasterii Cassinensis ecclesiam S. Mariae de Raxata Ragusinae dioecesis, quam ex concessione bonae memoriae R. archiepiscopi Ragusini et capituli sui, accedente consensu Sabini patroni ecclesiae, adepti fuerunt, confirmat.

Farlati: Illyr. sacr. VI. 101.

CCCLXX. *In* **Horom,** *18. Maii 1239.* Bela IV. rex notificat, quod cum ecclesia Wesprimiensis quamdam terram Wyzmich, sitam inter Dravam et Zaratka fluvios, possideret, ei adeo remotam, sicut loci episcopus asseruit, ut

vix aut nunquam proventus aliquos inde percipere possit, idem episcopus, impetrata a rege tamquam patrono licentia, terram cum consensu capituli et iobagionum ecclesiae vendidit pro centum marcis argenti Michaeli fratri Buzad magistro dapiferorum dominae reginae conjugis regis. Cuius metae haec sunt: Prima incipit ab oriente iuxta aquam Zaratka et ultra aquam commetaneus est Cazmuta cum generatione sua, deinde vadit per campum et monticulum, est commetaneus Otok filius Nanadei, inde ad vallem versus meridiem ad salices et arborem, quae vulgo dicitur Ilguna; inde ad stagnum, quod egreditur de Drava in loco, ubi aqua Strug cadit in ipsum stagnum; inde per nemora ad Dravam, et ab oriente commetaneus est Wlchuk; inde ad occidentem per medietatem aquae Dravae, sicut solet fieri ultra Dravam, ubi commetaneus est Ladislaus super terra Helii filii Laurentii cum generacione sua, et omnes insule pertinent ad comitem Michaelem; inde per Dravam protenditur ad magnum portum Vorosdiensem, qui est in terra magistri Michaelis, et commetanei sunt Lodomer, Marcus et Vytik, item per Dravam ad aquam Zaratka, quae tempore inundationis pluviae exit de Drava; in parte australi sunt commentanei castrenses Zaladienses, dein per Zaratka versus orientem, ultra quam commetaneus est Eginthku cum tota generatione sua, et inde ad primam metam.

Wenzel: Cod. Dipl. Arpad. VII., p. 70.

CCCLXXI ***In* Stamno,** *18. Maii 1239.* In praesentia nobilium virorum Ylarii episcopi et Nicolai Tonisti comitis Ragusini, et Rademiri de Dragemiro missi regis Vladislavi, Nicola de Chodimiro comes Dalmasii et comes Pribislaus de Maldusio de Almisio testificant, quod homines Dalmasii, videlicet Vitco Uguluc, comitus Radden, Prodanus de Dragano, comes Ozor, Vitco de Agulea, comitus Stanco, Velcoslaus Pupec, comitus Radenec, Belchan frater Zarabatani, Dragocin de Damiano, Stanco de Drugano, comes Iurra, Pribos de Stepco, Vladimirus filius comitis Calamani in Almisio invitati fuerint, ut venirent ad stanec habendum cum hominibus Ragusii; et licet in Almisio fuerint, ad istud stanec venire noluerunt. Et praenominati comites Nicolaus de Chodimiro et Pribislaus promittunt Nicolao comuni Ragusii dare nuntiis illorum Petro de Srecca et Johanni de Lampri vicario, uxores et filios et filias et omnia mobilia, quae inveniri possunt in Dalmisio, de illis malis hominibus, qui depredaverunt navem, de qua fuit nauclerus Johannes Valii Doymi, et occiderunt nobilem virum Grubessam Valii Grubesae. Auditores Gervasius Naymerii iuratus iudex Ragusii, Johannes Bogdani, Clemens Sersy, Cnege Branislavi, Petrus Sreccaes, Johannes de Lampri vicarius, Paulus Bocindi, et cum eis presbyter Pascalis notarius iuratus communis Ragusii

In Archivo reip. Ragusanae. Fasc. I., N. 1.

CCCLXXII. **Tragurii,** *26. Maii 1239.* Existente Treguano episcopo, Stepco comite, Petro de Luca et Michaele iudicibus statutum juramento firmatum est, ut si aliquis civis comitem Domaldum vel aliquem pro parte Domaldi in facto molendinorum de Pantano iuverit, vel ei consilium dederit occulte vel manifeste, et deprehensus fuerit, quisquis ille fuerit, omnimode (de) habitatione Tragurii civitatis expellatur, et perpetuo sit exul., universa vero bona

eius in potestatem communitatis redigantur, et nunquam ei reddantur. Testes: memoratus episcopus, Rado diaconus, iudices Petrus et Michael Kasarizza, Petrus Bufalni, Saladinus, Nicolaus, Storea, Pecce Theodosii, Mathaeus Lig et Paulus. Et Johannes Traguriensis notarius, canonicus S. Laurentii scribit. Donatus examinator praecepto Desae rectoris manum mittit.

Lucius: Memorie di Traù, 191.

CCCLXXIII. *Quinqueecclesiis mense Majo 1239.* Bartholomaeus episcopus quinqueecclesiensis cum toto capitulo testatur, quod cum controversia intra Colomanum regem et ducem totius Slavoniae ex una, et magistrum domus templi in Hungaria et Slavonia ex altera parte jam dudum verteretur super medietate terrae de Licenissa in comitatu de Posega et pro terra de Maladin in comitatu de Dobicha: ad pacem inter eos reformandam, de consensu totius capituli pro decimis marturinarum totius comitatus de Volko et de Kraigna a Colomano rege in concambium eis traditis, integraliter decimas suas de Licenissa et de Nessicha (Našice) domui templi duxerint permittendas; si tamen fodinae auri vel argenti ibidem inventae fuerint, templarii decimas de fodinis capitulo praestent.

Katona: Hist. crit. V., p. 876. Fejér: Cod. dipl. Hung. IV. vol. I., p. 172.

CCCLXXIV. **Spalati,** *11. Julii 1239.* Tempore Gregorii papae et serenissimi regis Slavonie Colomani Garganus de Arsignis civis Anconitanus et potestas Spalatensis cum tota communitate ex una parte, ex altera autem Petrus de Luca et Paulus iudices civitatis Traguriensis cum legatis ejusdem civitatis Rade, Cerne de Dine, Marino Omblasii et Ivan Trenta statuunt firmam pacem et fraternitatem inter ambas civitates sub conditionibus in sedecim punctis specificatis Inter caetera: si Rogerius nepos comitis Domaldi voluerit in causam trahere in aliqua re Tragurinos, debet illos citare in curiam regis; de damnis autem, quae fecit Spalatensibus comes Stepco, posteaquam factus fuerat comes Traguriensis, debent examinare iudices de Tragurio. Scripsit pactum pacis Petrus de Transmundo civis Anconitanus notarius communis de Spalato.

Lucius: Memorie di Traù, p. 38.

CCCLXXV. **Veglae,** *4. Octobris 1239.* Johannes diaconus et notarius Veglensis, filius quondam Bontii Dragomiri, donat ecclesiam seu altariam s. Joannis de Portasuso vegliensis diaecesis obedientiae s. Cypriani de Murana Torcellanae dioecesis, in perpetuum domino Petro priori eiusdem ecclesiae, quam cum suo fratre Anthasio aedificavit ad honorem b Marci evang. et SS. Cosmae et Damiani in contrata de populo. Praesentes: Martinusius et Deodatus diaconi. Testes: Otubellus, Quirinus de Cuna et alii. Presbyter Honoratus Vegl. eccl. canonicus et notarius scripsit.

Farlati: Illyr. sacr. T. V. p. 643.

CCCLXXVI. **Vegliae,** *9 Octobris 1239.* In praesentia Martinusii et Deodati diaconi et testium infrascriptorum Anthasius quondam Bontii Dragomiri tradit se ipsum ad serviendum deo et ecclesiae s. Joannis de Portasuso, Veglensis dioecesis, et stare sub obedientia prioris ipsius ecclesiae, donec vixerit; et in salutem animae suae et suorum parentum donat spontanea volun-

tate ecclesiae praedictae seu altario s. Joannis, Vegl. diocesis, obedientiae s. Cypriani de Murano Torcellanae dioecesis, ius patronatus ecclesiae, quam cum suo fratre Johanne diacono et notario veglensi haedificavit et construxit ad honorem b. Marci evangeliste et SS. Cosmae et Damiani in contrata de populo, cum omnibus pertinentiis ad ecclesiam spectantibus.

Farlati: Illyr. sacr. T. V., 643.

CCCLXXVII. *A. 1239. 7. Novembris.* **Bela IV.** rex attestatur, quod rex Colomanus, dux totius Slavoniae, ei significaverit, quod cum terra Drugani filii Bayletha esset vicina suo praedio Vereuche, recipiens ipsam terram dicto Drugano dederit aliam terram castri Symigiensis nomine Toplicham in Garig. Metae: prima in quodam monticulo; inde ad viam exeuntem de ipso monte Chrachemer vocato; inde ad fluvium Mechenicha, qui inferius cadit ad aquam Toplicha, per aquam vadit ad semitam et per illam eundo cadit ad aquam Soploncha; per aquam vadit ad pontem Michaelis bani, et de ponte eundo per pontem veterem venit ad planitiem, et iuxta nemus Cerich pervenit ad fluvium Cherneeh pataka versus aquilonem; iuxta fluvium ad magnam viam, et transit aquam Toplicha, et porro per quemdam fluvium et nemus venit ad fluvium Mechenicha.

In Archivo Budensi N. R. A. 1598. N. 24.

In transumpto actorum mixtorum regni archivi, p. 427.

Hoc documentum confirmavit postea rex Ludovicus I. ad petitionem Nicolai filii Stephani dicti Arthov de Kyristalfelde, eo quod ipse per suam matrem ex linea predicti Drugani naturaliter extitisset propagatus. Anno item 1363, Zagrabiae, Stephanus episcopus zagrabiensis et regni Slavoniae vicarius generalis commendavit memoriae, quod Georgius, Petrus sacerdos et Boleta, filii Valentini, filii Samsonis de Kyristalfelde, attraxerint Nicolaum filium Stephani filii Laurentii de eadem in praesentiam Leustachii dicti regni Slavoniae bani in causam, quae a diversis prorogationum cautelis et terminis intervenientibus tempore Banatus dicti episcopi ad eum transcendit, et pro termino ejus dies 18. Novembris constituta fuit, quo termino occurrente praedicti Georgius et Petrus pro se personaliter et pro Boleta fratre cum procuratoriis litteris capituli chasmensis venerunt ad judicium, et dixerunt, quod idem Nicolaus filius Stephani quandam possessionariam portionem condam Petri filii Ivan dicti Cheh in dicta possessione Kyristalfelde iuxta fluvium Thoplicha sitam, in qua porcione ipsi mortuo Petro dicto Cheh iuxta regni consvetudinem portionem habere deberent, pro se occupasset et amodo detineret, cuius detentionis scire vellet rationem. Quo percepto dictus Nicolaus exsurgendo respondit, quod praedicta portio Petri condam Cheh, olim Drugoni filii Bayleta, prothavi sui, extitisset, et praefatos filios Valentini in nullo attineret, sed ad ipsum de jure debeat pertinere, quod super attacto privilegio Belae IV regis demonstravit.

Wenzel: Cod. Dipl. Arpad III, p 72. In camerali archivo N. R. A. fasc. 1589. N. 24. reservatum qua documentum mixtum, sed est pure croaticum.

CCCLXXVIII. **Laterani,** *5. Decembris 1239.* Gregorius IX papa audiens a Colomano duce Slavoniae, quomodo ille haereses extirpare et fidem catho-

licam propagare studeat, extollit eum dignis laudibus et exhortatur, ut in devotione dei et ecclesiae continuis excrescere procuret augmentis

Katona: Hist. crit. V., 871. Theiner: Mon. vet. Hung. I, 172.

CCCLXXIX. **Laterani**, *6. decembris 1239.* Gregorius IX. papa injungit priori provinciali ord praedicatorum in Ungaria, ut cum ex litteris Colomani ducis Slavoniae intellexerit, quod ipsius studio in Bosna exstirpari haereses et fidei catholicae funiculi dilatari inceperint, aliquos fratres, potentes in opere et sermone, illuc ad praedicandum mittat.

Katona: Hist. crit. V. 878. Theiner: Mon. Hung. vet. I. p. 170.

CCCLXXX. **Laterani**, *7. decembris 1239.* Gregorius IX. papa confirmat Pousae episcopo et capitulo s Petri in Bosna possessiones et alia bona a Colomano duce Slavoniae et aliis fidelibus collata.

Katona: Histor. crit. V., 878. Fejer: cod. dipl. IV, 1 p. 177. Theiner: Mon. vet. Hung. I. p. 172.

CCCLXXXI. **(Almisii).** *A. 1239.* Stephanus comes, Andreas et comes Tollen, iurant Spalatensibus, quod eis nullum malum, nec palam nec occulte, facere uelint. sed si eis aliquod periculum institerit, vel ab aliquo Slavo, iuvabit eos cum nepote suo, excepto d. rege; item tradunt eis pro priori damno mille perperos, et promittunt, quod de omni mercatore, qui veniet ad negociandum in eius terram, in navigiis teneatur eis solvere praedictum debitum; et cum solutum fuerit, tunc duana, quae a mercatoribus recipitur, remanebit ab eis (Spalatencibus) expedita in potestate eius. Actum in praesentia comitis Nicolai et parentelae eius et totius communitatis Almisi. Quod si autem pax ista rupta fuerit per ipsum vel per nepotem eius, teneatur Spalatensibus solvere poenam mille perperorum. In praesentia Marini judicis Sibenicensis. Item, quod si exercitus alicuius fortioris contra eos venerit et ille coactus fuerit cum ipso venire, quidquid de praeda ab eis ablata in partem eius venerit, tenebitur in integrum restituere, excepto, quod comestum fuerit. Item iurant in hac pactione perseverare quo ad usque vixerint Denique adiiciunt, quod mercatores Spalatenses ad illorum partes venientes, non possint vocari ad placitum per sigillum comitis, sed ibi reddant rationem, ubi cum navigiis steterint.

Lucius: De reg. Dalm. et. Croat. ed Schwandtner III. 591.

CCCLXXXII. *1239.* Opoy banus totius Slavoniae notificat, quod Puchuna comes placitaverit cum Salamone pugile de Zagrabia super terra Caput Velicha subtus portam, asserens, quod illa terra, quae erat sibi patrimonialis eo tempore, quando idem banus Opoy ipsum Puchuna praecepto regis ceperat, a Salamone violenter occupata fuisset; Salamon autem asseruit, quod illam a Thoma fratre Puchuni emerit. Banus expedivit Salomonem ad zuod, qui cum suis fideiussoribus cum suo zuod et cum praeceptore s Johannis et aliis nobilibus et melioribus terre probavit honeste; Puchuna vero nullo modo probare potuit. Salomon debuit cum duobus testibus praestare super hoc iuramentum, quod praesente praeceptore s. Johannis et alio Johanne filio Rodus in ecclesia s. Johannis apud Cruciferos in Bynna (?) coram Lodomero nobili viro de Worozd qua prestaldo bani praestitit Sic terra Salamoni permansit.

Sigillum bani in pendenti zona. Ex actis archivi regni deportatis Budam N. R. A. 600 N. 47.

CCCLXXXIII. *1239.* Arnoldus comes de Zala notificat, quod Opoy banus totius Slavoniae causam, quae vertebatur inter magistrum Michaelem fratrem Buzad bani ex una parte super destruccione praedii siti inter duos fluvios, Drava videlicet et Zurathka, nomine Wyzmeth, et Eguthka, Walchun, Othok ac cognatorum eorundem ex altera, eius (Arnoldi) transmisit sententiae judicandam, ordinandam et paci reformandam. Ille ergo, volens causam exquirere, accessit ad terram supradictam, faciens descensum in domo Petruzlov, convocatis omnibus commetaneis, parochianis et omnibus viris idoneis et nobilibus circumadiacentibus, interrogans magistrum Michaelem, qualiter supradictam terram possedisset? qui dixit, se jure empcionis possedisse et super hoc litteras Belae regis, capituli et episcopi Wesprimiensis exhibuit, quas comes in praesentia omnium ibi existencium et in praesentia Egutku ac cognatorum eiusdem ac in praesentia pristaldi Colomani regis, qua ducis tocius Slavoniae, nomine Alberti de villa s. Georgii verbo ad verbum fecit perlegi. Interrogatis tunc omnibus praesentibus cum ipsis Egutku et cognatis: an Magister Michael iuste et legitime illam terram possedisset? qui in nullo contradixerunt et Michaelem in pacifico possessu remiserunt.
Wenzel: Cod. dipl. arpad. VII. p. 86.

CCCLXXXIV. *1240—1272.* Georgius comes gener Vladislai regis Serbiae, jussus a rege Stephano Uroš orat Ragusinos, ut cum eius hominibus pacem teneant, et Bratoslavum missum Ozori comitis benevole accipiant.
Miklosich: Mon. serbica p. 54.

CCCLXXXV. *1240—1272.* Stephanus Uroš Serbiae rex, mandat župano Tvrdko, quod cum Ragusaei unam navem subditi sui Ursetae una cum rebus suis abstulissent, demat Ragusinis per suam regionem euntibus, quaecumque possit, et tradat dicto Ursetae, eos tamen, qui ad regis emporia sese conferent, libere ire patiatur.
Miklosich: Mon. Serbica p. 53.

CCCLXXXVI. *A. 1240. 3. februarii.* Comes Babonik cum suo fratre Stephano bano ineunt pacem cum populo de Segna.
Orig. in archivo familiae com. Frangepani, in castello de Porpetto in Forojulio. N. 1.

CCCLXXXVII. **Spalati,** *1240. 3. februarii.* Cum inter Treguanum episcopum et capitulum Traguriense ex una parte et clerum Sibenicensem ex altera coram Thoma archidiacono et capitulo Spalatensi questio verteretur quoad restitutionem archipresbyterii sibenicensis et plenariam satisfactionem de contempto interdicti mandato, item quoad expensas propter frustratoriam appellationem ad spalatense capitulum emissam per Sibenicenses, respondebat pars Sibenicensium, debere instrumentum rescindi, quod in praeiudicium, dicebat, dolose confectum est, quando eorum archipresbyter fuerat ordinandus Ad quod archidiaconus Thomas et capitulum promulgarunt talem sententiam: Imprimis restituerunt archipresbyterum in dignitatem officii, qua a Sibenicensibus privatus erat; item laniato instrumento praeceperunt, ut dictus archipresbyter debitam obedientiam et reverentiam exhibeat praedicto episcopo et ejus successoribus, de interdicti contemptu ex beneplacito episcopi eorum simplicitati misericorditer indulserunt, et condemnaverunt clericos Sibenicenses

ad solutionem 50 solidorum denariorum spalatensis vel venetae monetarum. Actum praesentibus electo episcopo, magistro G. arbensi electo, G. primicerio et Drago canonico, et aliis clericis De Sibenico autem dicto archipresbytero, abbate s. Nicolai, Tolano, Joanne Ogari, Petro et Slavtio praesbyteris, Grisogono et Drimintio et aliis quam pluribus clericis et laicis, Dragovano, Marichna, Bosdaro iudice et Gregorio filio Ulcinnae.

Farlati: Illyr. sacr. T. IV. p. 451.

CCCLXXXVIII. *A. 1240. 8. februarii.* Colomannus rex Ruthenorum et dux totius Slavoniae notificat, quod respiciens excellentia merita sui dapiferi magistri Demetrii de genere Aba, qui a pueritiae suae temporibus in servitiis fidelibus et arduis patri suo et coronae exhibitis, clarus enituit, quem pater suus (Andreas rex) a tenerrimis infantiae ejus (Colomani) vagitibus propter laudabilem morum ipsius elegantiam in didasculum illi praefecit et magistrum; et cum illum pater eius Andreas rex, obtento ex indulgentia sedis apostolicae diademate, in regem Galiciae fecisset coronari, praefatum Demetrium magistrum tamquam fidelem expertissimum in dapiferum ei instituit, et in alios baronatus maiores extollens ei dulciter fecit adhaerere; qui etiam postquam infidi Ruteni unanimiter in patris depressionem et ejus (Colomani) captivitatem seu mortem conspirassent, et haec multoties attentarent, saepedictus m. Demetrius contra infidelium acies inter suos sodales viriliter ac crudeliter potentique manu frequenter dimicans, nulli secundus patuit, et quod famosa res est per Hungariam nullius egens inquisitionis inter meritos fide et merito est iustissime computatus; qui etiam quam pluries de manu mortis in conflictibus pro illo tocies evaserit; si recitare vellemus, tempus prius posset deficere, quam facultas. Ex quam pluribus factis quaedam enumerentur. In quodam conflictu cum Rutenis tam ipse quam fratres sui Mikula bonae memoriae et Ladislaus captivati cum magnis vulneribus diu in Lodomeria inferrati et aliis poenis anxiati per plurima tempora sunt detenti et atrociter cruciati, cuius etiam frater uterinus nomine Abba cum suis consanguineis Thoma filio Janus et Joanne et Juda filio Othonis, Mathia filio Vid et Moys filio Pere ibidem interiit, nec non alii plures, aliis etiam vicibus multi de eius sodalibus bello interierunt. Damna rerum, equorum, armorum et expensarum quam maxima perpessus In tot igitur servitiorum recompensationem, licet minus dignam, contulit ei terram Neccha (Našice), possessionem Gjulae bani, quam post captivitatem ejusdem bani ad usum propriae suae excellentiae receperat, ex eonsensum fratris sui Belae regis, cum omnibus pertinentiis et marturinis. Intimat etiam, quod nullus banus super praedictam possessionem descendere praesumat, nec aliquis iudex populo ibi existenti praeter banum possit judicare; ab omnibus etiam collectis et exactionibus in regno Slavoniae emergentibus possessio illa sit libera. Datum per manus magistri Fyle praepositi zagrabiensis.

Fejer: Cod. dipl. R. H. T. IV. vol. I. p. 203.

CCCLXXXIX. **Ragusii,** *1240. 22. martii.* Matthaeus Ninoslav magnus banus Bosnae veniens Ragusium cum suis proceribus Juriša vojvoda, Radonja tepcija et fratre eius Simeone, Mirohna pincernarum magistro (пехарникь) Zabav Prodaso, Prijezda Sfinar, Slavko Poličić, Gradislavo Turbić, promittit Nicolao Tonisto comiti Ragusii, omnibus nobilibus et toti comunitati Ragusinae

firmam et aeternam habiturum se pacem et omne necessarium auxilium contra reges Rassiae. Scribit Borislav Vojsilić.

Miklosich: Monumenta Serbica p. 28.

CCCXC. *A. 1240. mensis Aprilis.* Rembaldus de Karump, magister domus templi per regnum Hungariae et Slavoniae, attestatur, quod cum abbas et conventus monasterii de Toplica iam dudum postulassent a templariis, ut unum locum apud Sceignam sibi darent ad unam domum ibi edificandam pro rebus necessariis dicti monasterii emendis et vendendis, demum dicti magister et fratres congregati ad generale capitulum apud Glogonicam IV. idus marcii petitionem abbatis et conventus unanimiter duxerunt admittendam, donantes eis medietatem cuiusdam terrae, quam tenebat domus templi de terra, quam tenuit quondam prior Oprahk, ad domum aedificandam; sed tali modo, quod dictus abbas et conventus non possint in posterum emere in pertinentiis Scegnie, nec in elemosinam accipere aliquam domum, neque vineas, aut possessiones sine licentia magistri et fratrum templi; praeterea ut in dicta domo nihil vendatur, praeter res conventus ad usum proprium pertinentes; in contrario privarentur edificio. Item si contingeret memoratos fratres templi aedificare fondicum Sceignie, in quo omnia mercimonia venderentur et emerentur, praefati abbas et conventus in ipso fondico et non in domo sua ipsas res suas vendere et emere teneantur, libere tamen et sine tributo. Sigilla conventus et domus templi opposita.

Tkalčić: Mon. episc. zagr. I. p. 78.

CCCXCI. *A. 1240. 15. Maii.* Bela IV. rex confert Joanni Mogorovich, militi suo ac principali consiliario, duas villas Veterinichi et Reglane in comitatu Jadrensi, castrum quoque Ljubae (Glube) cum omnibus terris subiectis eidem castro, pro servitute et fidelitate praestita.

In donationalibus litteris Ladislai neapolitani regis de a. 1401. pro Jacobo Petrichevich emanatis. Originale perg. in mea collectione. Sigillum Ladislai regis pendens.

CCCXCII. ***A. 1240. 19. Maii.*** Cum Garganus potestas spalatensis cum toto exercitu spalatensi iret super Almisium ad accipienda pecora de 813 liberis, quae dedit et accomodavit Osor in manus Bogdanici pro communi Spalati pro emendatione residui bestiarum, quas Tollien, Vlla, Dozenet quondam depredatus fuit in campo Spalati, et homines Almisi ei non darent: dictus potestas cum suo exercitu ivit ad insulam Brachiam ad accipiendam solutionem de bonis et bestiis, quas Almisani habebant in Brachia; citati per eum iudices et homines Bracienses assignaverunt bestias et res Almisanorum, et iuraverunt fidelitatem et sequimentum potestati spalatensi et stare Spalatensibus semper in auxilium contra homines Almisii et contra omnes inimicos, salvo rege, et iuraverunt, quod velint ad illam consvetudinem vivere, sicuti Spalatenses vivunt. Et si accideret, quod rex vellet eos mutare de loco Braciae, ipsi omnes de Bracia venturi sint ad habitandum Spalati, et ibi perpetuo manebunt. Unde bucarius nomine Gargani potestatis et omnium Spalatensium iurat, omnes homines de Bracia defendere et manutenere ab Almisanis et omnibus inimicis, salvo rege Hungariae, nec cum Almisanis facere pacem sine ipsis, item iurat eis convervare antiquam eorum consvetudinem. Actum in praesentia Apollinarii Borgani, Lampredii Sagarelli, Duymi Formini, Jancii Sab. Nicolae Stoch, Stanii filii Sabae de Farro et aliorum. Temporibus Gregorii papae et serenissimi Slavoniae ducis Colomani. Petrus Trasmundi anconitanus civis et nunc communis Spalati notarius scripsit.

Lucius: De regnis Dalm. et Croat. Ed. Schwandtner p. III. 598.

CCCXCIII. **Laterani**, *1240. 30. Maii.* Gregorius IX. papa mittit pallium electo Jadrensi ad petitionem eius nuntiorum Grisogoni canonici Jadrensis et Symeonis presbyteri de Venetiis.

Theiner: Mon. Slav. merid. I. p. 96.

CCCXCIV. **Laterani**, *1240. 6. Junii.* Gregorius IX. papa respondet Colomano regi et duci Slavorum: cum per nuntium suum Petrum, latorem responsi, postulasset, quod cum Spalatensis ecclesia propter plurium malefactorum incursus ad illam devenerit egestatem, ut archiepiscopus Spalatensis subire mendicitatis opprobrium compellatur, suadet ipsius spontaneam cessionem recipere et eandem ecclesiam unire zagrabiensi ecclesiae, praesertim cum dux paratus existat ducatum Slavoniae zagrabiensi episcopo pro meliorando statu ipsius Spalatensis ecclesiae liberali pietate conferre; verum cum in tanto negotio sit maturitate praevia procedendum, super unione huiusmodi requiri debet assensus archiepiscopi colocensis Ugrini ac episcopi zagrabiensis Stephani et capitulorum dictarum ecclesiarum, quod autem inde faciet, processu temporis poterit sedi apostolicae intimare, ut super hoc provideri possit.

Katona: Hist. crit. V., 887. Fejer: cod. dipl Hung. IV, 1. p. 183. Theiner: Mon. vet. Hung. I. 176.

CCCXCV. **In Zolum**, *1240. 2. idus Augusti.* Bela IV. rex notificat, quod cum Jula banus quondam, de genere Kean, pro manifesto infidelitatis crimine per suam et fratris sui Colomani regis et ducis totius Slavoniae ac omnium baronum suorum sententiam fuisset condemnatus, ac universa ipsius bona ad regis manum fuissent devoluta, ipso suam vitam in regiis vinculis finiente, possessionem ejus Torduna cum omnibus pertinentiis, in comitatu de Bursad constitutam, Nicolo comiti de Gumur filio Gurg ob merita eius contulerit

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. p. 100.

CCCXCVI. *Apud criptam ferratam 6. Augusti 1240.* Gregorius IX. papa evocat inter caeteros praelatos Ungariae episcopum zagrabiensem, ut usque ad proximum festum resurrectionis dominicae ad eius praesentiam personaliter veniat, cum grandes eventus et casus sedis apostolicae non ignoret. praeterea ut suffraganeorum capitulis, abbatibus et praelatis suae provinciae iniungat auctoritate apostolica, ut eodem termino ad sedem apostolicam nuntios mittere non postponant.

Fejer: Cod. dipl. IV., 1. p. 184. Theiner: Mon. Hist. Hung. respicientia I. 179.

CCCXCVII. *Quinqueecclesiis mense Octobris 1240.* Farcassius praepositus Quinqueecclesiensis ac totum capitulum notificant, quod Martinus filius Botyz comitis una cum Peta filio Fermeney de villa Nemti (Nemci?), qui pro Buken comite venerat, quem dictus Martinus coram Bela rege in causam traxerat pro duobus praediis Heyreh et Luder, et eo, quod dictus Buken pro Prisda bano fideiusserat, et dicta praedia fuisse perdita, pro ipso Buken, dictam vero causam dominus rex tali modo adiudicavit, ut dictus Martinus iuraret cum duodecim hominibus coram eis, tandem mediantibus bonis viris ad bonam pacem devenerunt tali modo, quod Buken pro praediis et pro fideiussione Martino solveret centum marcas, quas Martinus confessus est se integraliter recepisse ab Hendre de genere Nemti comite de Wlco, qui pro dicto Buken socero suo dixit se coram capitulo solvisse.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. p. 111.

*

CCCXCVIII. **In villa Belicza (Belyga),** *12. Octobris 1240.* Bela IV. rex. notificat, quod accedentes ad eius praesentiam Samson, Georgius, Wlk et Wlcheta filii Deuecher supplicarint, ut eisdem possessionem superiorem Zdench, quam ipsorum haereditariam praefuisse et super ipsa litteraria instrumenta amisisse affirmabant, restituere dignaretur; rex petitiones eorundem, quia ei et Colomano duci grata servitia exhibuerunt, ad petitionem eiusdem etiam Colomani ducis, fratris sui, possessionem praedictam, superiorem Zdench, eis concedit et restituit. Prima meta terrae incipit in rivulo, qui cadit in aquam Zdench (Ezdench) iuxta possessionem magistri Moys iudicis curiae regiae inferiorem Zdench, per rivulum procedit ad septemtrionem et pervenit ad fluvium Melichnek; inde per varias metas ad caput fluvii Radvan et per ipsum versus occidentem ad aquam Chazma, dein ad cellarium regis et ad fluvium majorem Soploncha.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. 159. sed erronee sub a. 1244.

CCCXCIX *A. 1240.* Colomanus rex Ruthenorum et dux totius Slauoniae manifestat, quod hospitibus suis in Petrina commorantibus talem concesserit libertatem: Ut illos nullus judicum suorum praeter maiorem villae eorum, quem voluntarie elegerint, audeat judicare; et si ipse conquerentibus satisfacere non potuerit, in ducis praesentia et non alias debeant respondere; item si banus illis ad valorem unius marcae damnum faceret, in centuplo restituere debet; bano tamen non aliud nisi domos suas occasione descensus dare teneantur, pro aliis necessariis praecium recipiant; si aliquis prole caruerit, bona sua, cuicunque voluerit, libere conferat; si quis uillam ipsam intrare voluerit ibi moraturus, omnia sua bona et domos suas liberam habeat uendendi facultatem et recedens de villa retineat eandem; sacerdotem quemcunque uoluerint in suam recipiant ecclesiam, de decimis eorum pro more disponentes Terram Gurgus et Varatuk sine haerede decedentium et terram cruciferorum, quam in concambio habuit dux, quae Haaco et Potok vocatur, eisdem etiam contulit, quarum metae descendunt ad puteum, et inde per aquam putei in fluvium Dragun, inde ad viam magnam, ad arborem, qui slavonice ozkurus nominatur, ad vineas de Dobuk, inde per magnam viam et longitudine montis inferius in Petrinam et per fluvium Petrinae usque ad fluvium Belypotok, et ascendit per magnam viam antiquam in Damasingran (sic!), inde in montem et in viam, quae exit de Blyna, inferius in Precopam et inde subtus Strizichy vadit in Cochinam et supra montem in vicino quae ducit in Ravna, ibique terminantur. Praeterea dedit terram Knesepola salvis populis ibidem existentibus cum portione Vooy et generationis ipsius, nec non filiorum Alpetri, praeter Zolnam. Iidem hospites solvent annuatim duci pro collecta centum pensas, et pro tributo fori triginta pensas, similiter dicta terra Knesepola centum pensas. Ad hac consenserunt omnes iobagiones ducis: Nicolaus banus ac magister towarnicorum, Demetrius magister dapiferrorum et comes de Budrug, Arnoldus comes de Symigio, Martinus comes de Zala et alii. Datum per magistrum Fyle, praepositum et aulae regiae et ducis cancellarium.

Ex actis e regni Croatiae archivo Pestinum ablatis. N. R. A. Fasc. 1531. N. 3.

CCCC. **Dubicae,** *1240.* Frater Jacobus de monte regali, magister humilis domorum templi per Hungariam et Slavoniam, memoriae commendat, quod Tadeus filius Mlad confessus sit ei viva voce, se vendidisse quandam terram

.... comiti de Tolstouh, quam precio comparavit a Stanislavo fratre Mire, Petro nepote eiusdem, Guna, Petko filio Emerici, Zlovina, Petro filio Prehodo Egidio f(ilio . .), Alexandro filio Gundak pro sex marcis sibi plene persolutis, de communi voluntate totius eius generationis. Metae terrae sunt: Ab oriente juxta Vn, et tendit super occidentem per medium Vn in magno spatio, et pervenit ad Daloc (Dolac) terram Tadei antedicti, tendit per unum chreth ad aquilonem, et pervenit ad parvum rivulum, per quem venit ad viam de Koztainicha ad Dubicham venientem, ubi stat arbor grabor, inde ad montem, inde ad terram Tadei ad occidentem, inde per magnam viam, Sep vocatam, in longo spatio pervenit ad finem unius monticuli et per metas arboreas ad Gradinovech, ubi Tadeus commetatur, et per unum rivulum ad unum vznos versus meridiem, et per plures metas ad magnam viam, et per vallem ad montem et superius ad viam Wran, abhinc per vallem ad priorem metam

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII., p. 114.

CCCCI. **Zagrabiae,** *18. Maii 1241.* Bela IV. rex edocet pontificem Gregorium IX., quomodo Tartari bestiali crudelitate saevientes, nuper circa festum dominicae resurrectionis in Hungariam copiosa multitudine intrauerunt, et non habito delectu aetatis vel sexus universos, quos reperire poterant, in ore gladii peremerunt, ecclesias et loca divina incendio, strage hominum et aliis suis foeditatibus profanarunt Petit itaque a Pontifice consilium et auxilium, et ut orbis Christiani excidio praevenire dignetur; transmitit autem cum hac petitione Romam Stephanum episcopum vaciensem.

Theiner: Mon. vet. Hung. I. 182.

CCCCII. **Laterani,** *16. Junii 1241.* Gregorius IX papa respondet Belae IV. regi, quod audiverit ejus vocem lamentationis et fletus, deplorans, quod jaculatum de coelo iudicium depopuletur undique populum christianum, super afflictione regni Ungariae, quod a Tartaris inuasum et occupatum pro magna parte in lectione litterarum regis non sine multarum lacrymarum effusione didicit. Monet et hortatur regem, ut confidat in deum, et ad defensionem regni se accingat, spondens consilium et auxilium, et recipit personam ejus et familiam suam sub protectione sedis apostolicae et sua, concedens indulgentiam omnibus, qui assumpto signo crucis contra Tartaros processerint.

Katona: Hist. crit. V., 932. Fejer: Cod. dipl. IV., 1 p. 216. Theiner: Mon. Hung. vet. I. 183. Sub eodem dato injungit pontifex episcopo vaciensi, ut verbum crucis contra Tartaros praedicet. Ibid. p. 184.

CCCCIII. **Laterani,** *16. mensis Junii 1241.* Gregorius IX papa scribit Colomano regi et duci Slavoniae, quod vocem lamentationis et fletus audiverit et ipse doloribus deploret, quod iaculatum de coelo iudicium depopuletur undique populum Christianum, quod infidelium gladius in fideles reciproca caede convertatur et in Christicolas paganorum muro crudeliter debacetur. Sperat, fore ut, etsi Deus dura nos increpatione redarguere coeperit, regna tamen, quae ipsius nomen invocant, a facie sua disperdere non intendat, et si graviter de omnium fidelium oppressione turbetur, super afflictione tamen regni Ungariae, quod a Tartaris invasum et occupatum, pro magna parte, in lectione litterarum eiusdem Colomani non sine multarum lacrimarum effusione didicit, eo maior tristitia cor eius implevit, quo in ipso purioris erga deum et apostolicam sedem signa devotionis invenerit. Monet ducem, ut ad defensionem regni et

catholicae fidei, quae a Tartaris specialiter noscitur expugnari, potenter et viriliter se accingens in illorum expugnatione eo studiosior et ferventior curet existere, quo in hoc exaltationem sui nominis et honoris fortius dinoscerit procurare. Promittit ei, quod regno efficax praestiturus sit auxilium et consilium, personam autem et familiam ipsius recipit sub protectionem sedis apostolicae, elargiens ei et omnibus, qui assumpto crucis signaculo contra Tartaros processerint, illam immunitatem et indulgentiam, quae terrae sanctae succurrentibus in generali concilio conceduntur.

In eodem sensu scribit papa et episcopo Waciensi sub eodem dato. Theiner: Mon. hist. Hung. I. 183. 184.

CCCCIV. **Laterani,** *16. junii 1241.* Gregorius IX papa mandat zagrabiensi et de Chasma zagrabiensis diocesis prioribus, et superiori zagrabiensi ordinis fratrum praedicatorum, cum sicut ex tenore litterarum Belae regis intellexerunt, gentes Tartarorum, regno Ungariae pro parte occupato, non solum regni praedicti residuum perdere cupiant, sed etiam totam christianorum terram desertam ponere moliuntur; quatenus ipsum regem et familiam suam non permittant ab aliquibus molestari; molestatores autem et eos, quos terras eiusdem regis post invasionem huiusmodi occupasse, vel occupare in posterum invenerint, cogant ut ipsas regi restituant, monentes per censuram appellatione remota.

Theiner: Mon. Hung. I. 184. Wenzel. Cod. dipl. arp. II. p. 133.

CCCCV. **Laterani,** *1. julii 1241.* Gregorius IX. papa mittit Belae regi litteras consolatorias, in quibus inter caetera dicit: Nuper audito, quod gens Tartarorum ad regnum Ungariae manus depopulatrices extendens, adeo in ipsum desolatrix insaevierit, ut gladio ejus habitatorum illius sangvine continuata caede madente diro illud exterminio devastarit, gravis doloris extitimus sagitta perculsi tantaeque amaritudinis potati absinthio, ut oculi protinus copiosis exprimerent lacrymis cordis tristiciam vehementem«. »Nos in tantae necessitatis periculo consilium et auxilium, prout poterimus, efficax impendemus, te semper oportunis favoribus prosequendo. Ad hoc si Fridericus imperator rediret ad mandatum matris ecclesiae, paratus esset pacem reformare cum ipso, ut etiam tibi posset liberius et utilius subveniri«.

Katona: Histor. crit. V. 985; Fejèr: cod. dipl. IV. 1 p. 228; Theiner: Mon. Hung. I. p. 185.

CCCCVI. *A. 1241. 7 septembris.* Andreas comes de Chelmo, veniens per duas vices Spalatum ad reformandam pacem inter se et suos ex una et dictum commune ex altera parte, denique ad talem pacem perpetualem pervenerunt: In primis ordinaverunt, quod omnia damna illata ab utraque parte in personis et rebus usque in hodiernum diem penitus sint cassa, et amplius non recordentur. Item, quod dictus comes et sui heredes et sui homines salvi et securi veniant ad civitatem et extra, sicut amici. Item, dictus comes pro damnis, quae ipse et sui homines dederunt Spalatensibus, recuperabit suam terram de Chelmo hinc ad festum s. Domnii. Item, quod omnes Spalatini sint salvi et liberi in tota terra comitis, et vadant, et stent et redeant et vendant et emant sine ulla contradictione, sine ullo tributo in perpetuum. Item quod Spalatenses in terra comitis sint salvi et securi ab omni homine mundi, et si offenderentur, comes et sui heredes teneantur emendare de bonis suis. Item, si Spalatenses voluerint caedere lignamen, quod possint caedere et portare

sine aliquo datio et tributo. Item, si comes non recuperaverit dictam terram ad dictum terminum, quod haec pacta non teneant, nisi de utriusque partis voluntate. Et si dictus comes non observabit hanc pacem et concordiam, solvat nomine poenae mille romanatos communitati Spalati. Ipse comes cum quatuor suis hominibus Fatco, Clesa, Dobrochna et Berco iurat super evangelium et crucem observare praedicta, et ita faciet iurare, cum habebit terram, omnibus suis hominibus. Eodem modo consilium Spalati promittit omnia promissa observare et si non observaret, solvat comiti mille romanatos. Et sic iurarunt iudices civitatis Lampridius et Madius Grecinae, cum Madio Jurcu et Lucaro Stresi. Actum in palatio quondam comitis Heliae, in presentia Pauli Trepetii camerarii, Lampredii Zagarella, Zantii Sab Tan... et Michae Jurec. Temporibus Gregorii pontificis et serenissimi regis Belae. Petrus etc. scripsit.

Lucius: De regno Croatiae et Dalmatiae. Schwandtner III. 598.

CCCCVII. *1241. 23. Septembris.* Bela IV. rex ad petitionem Baboneg et Stephani fratrum et comitum, filiorum Stephani de Gorica confirmat cum privilegio suo aurea bulla signato aliud privilegium Hemerici regis, genitoris sui, itidem aurea bulla communitum, quo per eundem Stephano de Gorica, quaedam terra Vodicha, quae primo possessore suo, sine haerede defuncto, per regem adhuc Belam II, patrem Hemerici regis, pro fidelibus serviciis, et praecipue quod idem Stephanus quendam potentem de Theotonia nomine Albrichum de Micho in confiniis ducatus Slavoniae profligaverit, collata fuerat, de novo confirmat, maxime cum praenominati Baboneg et Stephanus ob insignia fidelitatis suae merita, quibus coram oculis suae majestatis multipliciter effulgebant, gratitudinem regis promeruerunt. Datum per magistrum Benedictum praepositum albensem et electum colocensem. Praesentibus inter caeteros cognato regis Joanne domino Sirmiae et comite Bachiensi, Dionisio bano totius Slavoniae et magistro Agazonum.

Originale in pergamena, in archivo comitis Ludovici Blagaj Nr. 2. Aemonae. (Rad. Lopašić). De eodem dato existunt litterae ejusdem Belae IV regis iisdem fratribus Babonegh et Stephano comitibus de Vodycha, cum eisdem ferme tenoribus sub duplici sigillo collatae, a capitulo Zagr. de dato 15 Febr. 1350 ad petitionem comitis Duymi filii comitis Radoslai de Blagay transsumptae. In eodem archivio Blagajano sub Nr. 1.

A. 1241. 23. Septembris. Bela IV rex notum esse vult, quod servitia laudabilia, quae illi Baboneg et Stephanus comites de Wodycha filii comitis Stephani de Goricha in diversis expeditionibus regni exhibere studuerunt, et de die in diem non desistunt, exponendo se et sua multis periculis et fortunae casibus incessanter; considerans specialiter fidele servitium comitis Stephani de Goricha, quod contra quendam potentem de Theotonia, nomine comitem Albrichum de Mycha, confinia ducatus Slavoniae saepius invadentem, dimicando viriliter exercuit, ipsum potentialiter superando, suosque ad ultimum exterminium prosternendo, non utique absque magna sangvinis effusione et suorum consangvineorum quam plurium et militum occisione, prout in privilegiis regis Hemerici plenius continetur, in memoriam revocans, hanc gratiam dictis comitibus et eorum haeredibus duxit largiendam, ut eosdem nullus banus judicare debeat vel possit, eximens eos perpetuo a iudicio et iurisdiccione banatus; collectam etiam mardurinarum in eius possessionibbs nullus officialis

ducis Slavoniae nec banus ullo unquam tempore dicare vel exigere possit; immo ex regali benignitate ipsis concedit, ut nullus banus descendere, vel congregationem generalem facere possit vel debeat in eorum possessionibus, deprehensos possint soli iudicare et punire auctoritate regia. Datum per manus magistri Benedicti praepositi albensis et electi colocensis. Inter magnates subscripti cognatus regis Joannes dominus Syrmiae et comes wachiensis, Dionisius banus totius Slavoniae.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. III. 115 ex archivio comitum Blagay.

CCCCVIII. *A. 1241.* Stephanus banus tocius Slavoniae significat, quod constituti in sua praesentia Baboneg comes a parte una et Wlkodrag filius Abrahae cum generatione sua, scilicet cum filio Kumik, Moydrug et Dobromero, idem Wlkodrag confessus sit terram suam Polana iuxta fluvium Sana, in comitatu Dubicensi existentem, eidem comiti Baboneg pro centum et quinquaginta pensis vendidisse. Intra metas, quas Petrus comes Tininiensis distinxit, occurrit Coysin zdenech, fluvius Voizka, locus Braholco, fluvius Jezenova, locus Verhy, aqua Konzki strug, locus et fluvius Wlchya, fluvius Wn, fluvius Zana, aqua Alsewnicha, lutum Temechech, loca Medvegak, Dolboka, Knega, supra montem Kalyschye, et venit per viam publicam de Cerlenchk.

Ex transumpto capituli zagr. de a. 1401. in pergam. in archivio comitis Blagaj. N. 69 Radoslav Lopašić.

CCCCIX. *Apud* **S. Sal...** *A. 1241. 29. Decembris.* Fridericus Romanorum imperator, attendens grata servitia, quae universi homines Tragurenses de partibus Dalmatiae fideles amici eius sibi exhibere studuerunt, concessit eis, ut ubique per regnum suum salvi et securi incedant in personis et rebus eorum; quocirca universis in regno Siciliae constitutis mandat, ut nullus eorum aliquem hominem de Tragurio praesumat tam in persona quam rebus suis offendere.

Lucius: De regno Dalm. et Croat. Lib. IV. cap. 5.

CCCCX. *A. 1241.* De partibus Hungariae quinque sorores monasterii vesprimiensis ordinis s. Augustini a persecutione Tartarorum fugientes, in quarum comitiva erant fratres praedicatores, nomina quarum sororum dixerunt haec esse: soror Egizia filia Simeonis bani, s. Christina, s. Helena, s. Margarita et s. Maristela, quarum quatuor remanentes in civitate Nona ordinaverunt monasterium in ecclesia s. Mariae, quinta vero Helena ivit Jaderam, et ibidem ordinavit monasterium s. Mariae de alta ripa, sive de Melta.

Farlati: Illyr. sacr. T. V. p. 78.

CCCCXI. **Viennae,** *4. Januarii 1242.* F. abbas sanctae Mariae cum toto conventu eiusdem loci ordinis s. Benedicti in Ungaria, in epistola ad universos s. matris ecclesiae fideles directa, perscribit vastationes Tartarorum in Cappadocia, Persia, Russia, Polonia et Hungaria factas, praeterea fugam regis Belae, et eius cladem, in qua tres archiepiscopi, 4 suffraganei et 65.000 hominum perierunt; et in eodem bello Colomanum regis fratrem vulneratum esse lethaliter, ita quod mortuus sit post breve tempus.

Fejér ex Mathaeo Parisiensi: Cod. dipl. T. IV. vol. II. p. 235.

CCCCXII. **Tragurii,** *10. Martii 1242.* Bela IV rex, ad petitionem filiorum Guidonis de Vegla, Johannis Friderici, Bartholomaei et Guidonis, ut privi-

legia avi eius Belae III et patris Andreae II eis concessa confirmaret, considerans, quod cum tempore necessitatis illum persecutio impelleret Tartarorum et ipsorum comitum non modico indigeret servitio, roboravit eis annotatas privilegiales litteras, ita tamen, quod securiore tempore ad exhibitionem originalium praedicti filii Guidonis comitis teneantur, ut nova de veteris accipiant firmitatem, adjiciendo, quod eidem ipsis se obligantibus cum rex circa maritima venerit, donec moram ibi fecerit, cum duabus navibus, que vulgariter galia et seycca vocantur, teneantur deservire; sed postquam de maritimis recesserit, prioribus obligabuntur conditionibus, que in memoratis privilegiis continentur. Praeterea constituit, eisdem assummentibus, quod ratione terrae existentis infra ducatum Slavoniae, quae Wynodol vocatur, quam ipsi ex donatione patris ejus possidere dinoscuntur, cum tribus militibus armatis regi servire tenebuntur, quod minus bene explicatum fuerat in privilegio patris, extra regnum autem, cum exercitus croaticus fuerit convocatus, cum duobus tantum militibus deserviant, sed inter regni limites cum tribus decenter et honeste armatis.

In transumpto Caroli I regis de a. 1323 in actis N. R. Fasc. 370 N. 34 ex archivo regni Croatiae Pestinum deportatis. I. Kukuljević: Borba Hrvata s Mongoli. P. 71.

CCCCXIII. **Tragurii** *18. Martii 1242.* Bela IV rex impulsus venire arduis quibusdam negotiis ad partes maritimas tractaturus, quae causae qualitas et conditio temporis requirebat, cum ad civitatem Tragurium appulisset, pater Treguanus episcopus ejusdem loci cum clero nec non Cherne Garbonis rector et iudex et universi cives, occurerunt ei hilariter et jucunde cum omni apparatu laudis et solemnitatis, et obtulerunt omnia ore et opere, que honorem regis decebant, qui etiam eum tam honorifice susceptum in suis munitionibus simul cum suis pluribus, qui de regno Hungariae et Slavoniae a facie Tartarorum aufugerant, diutius detinentes eos amministrarunt, regi multa et non modica deliciarum genera, ita quod iam merito non solum fideles sed fidelissimi poterant appellari. Rex igitur confirmans eorum libertates et privilegia ab antecessoribus concessa, jurat per sanctam crucem et sacrosancta evangelia, que sequuntur diligenter observare: videlicet firmam pacem, statum et libertatem ipsorum; episcopum et comitem, quem clerus et populus de communi consensu elegerint, studebit confirmare, et lege ipsos antiquitus constituta cum judice suo, uti permittit, in nullo consvetudinem infringens; de tributis, quae de mercatoribus extraneis in portubus et portis civitatis proveniunt, duae partes regi recipiantur, tertia pars comiti, et decima pars episcopo civitatis colligatur; cives ab omni exactione tributi liberi sint penitus et exemti; cum rex in civitatem pro negotiis regni tractandis vel casu quolibet accesserit, nemini civium vis domorum suarum per quempiam inferatur, sed hi tantum domos eorum intrent, quos eorum dilectio duxerit admittendos; regi etiam aut bano nihil a civibus nomine tributi aut debiti exsolvatur; cives nemini extra muros civitatis in aliqua causa respondere teneantur, sed secundum consuetudinem solum coram eorum iudice eos conveniat, quicunque cum ipsis agere voluerit; obsides ab ipsis rex non recipiet, sed in curia sua servire volentibus stipendium impendet; si aliquis civium negotia terra seu mari exercuerit, nullum persolvet pedagium nullumque tributum; si quis extraneus

*

de regno suo vel aliunde cum uxore, filiis et bonis suis propter indignationem regiam ad civitatem confugerit, liberum sit civibus eum receptare eumque infra spatium septem dierum retinere, post quos, si gratiam regiam interim acquirere nequiverit, liberum sit illi cum omnibus suis rebus abire; si quis ex civibus alias abire voluerit, secure cum familia et rebus permittatur. Confirmat etiam territorium civitatis a columna, quae sub Ostrog posita est usque ad villam Smoquize. Nomina autem villarum et locorum in hoc termino sunt haec: monasterium s. Petri de Clobociza, villa Biacy cum toto territorio suo, ecclesia s. Vitalis, et s. Georgii, pascua Diuuly, campus Traguriensis, totum Mazolinum usque ad Smoquize. Extradatum sub aurea bulla per manus magistri Benedicti praep. albensis, aulae cancellarii, existentibus: Stephano episcopo zagrab., Dyonisio bano Sclavoniae et maritimarum etc.

Ex libro commemorialium T. II., p. 403 in archivo Aulico Viennensi. Kukuljević: Borba Hrvata. P. 76—78.

CCCCXIV. **Tragurii,** *18. Martii 1242.* Bela IV rex notificat, quod Treguauns episcopus Traguriensis, cum toto suo clero, et Cerne de Garbone rector et iudex civitatis cum omnibus civibus, venientes in ejus praesentiam petierint, ut eis confirmaret privilegium regis et ducis Slavoniae Colomani, fratris ejus, in quo illis praedium Drid, a patre eorum rege Andrea II concessum, confirmavit, de novo privilegio suo confirmaret, quam gratiam rex illis praestitit, inhibendo et extinguendo omnem jurisdictionem Budislavi comitis et aliorum, introducendo illos et ecclesiam Traguriensem in possessionem praedii per comitem Petrum, magistrum tavernicorum filii sui Stephani ducis. Existente S(tephano) episcopo zagr. Dionisio bano totius Slavoniae et maritimarum.

Lucius: Memorie di Traù. p. 44. Farlati: Illyr. Sacr. T. IV. p. 340.

CCCCXV. **Ragusii,** *22. Aprilis 1242.* In praesentia Stephani Justiniani comitis Ragusii, Marcus Dulcinensis episcopus una cum canonicis suis, diacono Theodoro de Lampridio, diacono Andrea de Maria, subdiacono Grobac comitis Petri dulcinensis cum nobilibus viris Dulcinensibus Berissa comitis Valentini et Petro de Goyslavo iurant ad s. Dei evangelia, quomodo totum illud pertractarunt et confirmarunt cum Stephano comite Ragusii et cum capitulo et communi Ragusi, sicut fuit commissum a Georgio principe Diocliae, filio iupani Velcani, et totum illud quod cum praenominatis tractaverunt, et quod a Miroslavo comite Dulcinensi et a toto capitulo et communi Dulcinensi per juramentum eis fuit commissum. Et omnes infrascripti bona fide conciliabunt et adiuvabunt homines Ragusii sicut homines Dulcinenses salva tamen pace domini regis Serviae. Et de hoc factae sunt duae cartae similes. Signarunt: Marcus episcopus, presbyter Maurus vicarius Johannis Ragusini archiepiscopi, presbyter Mathaeus Lucae, vicarius eiusdem archiepiscopi, presbyter Blasius Johannis vicarius ejusdem archiepiscopi, subdiaconus Gervasius Petri vicarius eiusdem, presbyter Elyas Viviani testis, diaconus Mathaeus Teochili t. clericus Ursacius Mathaei t Theodorus diaconus t. subdiaconus Andreas t. subdiaconus Grobe t. Clemens Sersii jur. judex Ragusii Grubessa Balislavae jur. judex Rag. Gojslavus Theodori Crossi jur. judex Rag. Andreas Ranane jur. judex Rag. Petrus Balislavae testis, Velcius Vladimiri t. Bubana Petri t. Grubessa Gundulae t. Bonardicus Cavalcabo Venetus

t. Paulus Boeradi t. Cerne Vranae t. Jacobus Andreae Goislavi t. Marinus Calendae t. et alii plures Ragusini Berissa t. Lazarus frater Corpolati t. Petrus de Goislavo Dulcinensis t. et alii Dulcinenses. Presbyter Pascalis notarius Rag. scripsit.

Ex archivo reip. Ragusinae. Fasc. II. N. 77.

CCCCXVI. **Tragurii,** *12. Maii 1242.* Inita concordia inter episcopum et communitatem narratur, quomodo rex Bela IV veniens Tragurium receptus fuit a civibus magna cum solemnitate, ad quorum petitionem confirmavit privilegium concessum ecclesiae Traguriensi a Colomano duce. Facta est quoque divisio fructuum praedii Drid inter episcopum et capitulum ex una parte, ab altera autem rectorem et communitatem, concessa per regem, in cuius personae et exercitus sustentationem expendit civitas innumerabilem pecuniam.

Lucius: Memorie di Trau. p. 44.

CCCCXVII. **Tragurii,** *1242. die 10. Maii.* Bela IV rex agnoscens plurima servitia nobilium de insula Faria, ad recompensationem fidelitatis ipsorum et ad preces Nicolai episcopi et Zepregnae zupani Farensis et Bracensis, statuit, ut cum secundum tempora ecclesia de Faria vacare contigerit, libere eligant electores, ad quos de jure spectat electio, de fidelibus ad regnum Hungariae spectantibus sibi praesulem, qui eis praesit, electus tamen regiae maiestati praesentetur. Concedit etiam, ut episcopus una cum iupano et cum N. N. de genere Givich (aut Ginich) libera potiantur facultate eligendi sibi comitem de Hungaria, et ad regnum Hungariae pertinentem, quem sibi utiliorem esse conspexerint, praesentabitur autem regi pro confirmatione. Iuppanus semper de genere Givich eligatur et per comitem confirmetur Nulla collecta a nobilibus requiratur. Ipsorum libertas in omnibus conservetur. Cum regi exercitum facere placuerit, nobiles de genere Givich cum duabus barchis, suis impensis praeparatis et armatis una cum nautis et remigatoribus servire teneantur; mercatores per universum regnum immunes a solutione tributi habeantur. Nullus nobilium coram extraneo judice comparere teneatur, nisi forte regiam maiestatem in Dalmatiam contingeret advenire. Emigratio libera declaratur cum tota familia. Datum per Stephanum episcopum vaciensem. Inter subscriptos Dionisius banus et dux totus Slavoniae.

Lucius: De regno Dalm. et Croat. Lib. IV. cap. 5.

CCCCXVIII. *In* **Clissia,** *circa 12. mensis Maii 1242.* Bela IV rex manifestat, cives Jadrenses ad eum communi proposito venientes promisisse, quod secundum privilegia, a praedecessoribus eius eis concessa, fidelitatem ei debitam observare velint, quorum occurens assensu, habito suorum principum consilio, decrevit, quod conventionem, quam frater eius felicis memoriae rex Colomanus cum eisdem maturius ordinaverat, atam habere velit et firmam. Cuius conventionis serie continetur: quod secundum consilium pr borum hominum in Jadra existentium tantam summam pecuniae, qua destructio muri vel ruina ex parte maris ad regis commodum et honorem veleat reparari, dare teneatur. Insuper terram a Nedijni (Nedin) usque Reguna, praeter illam, quam modo possident, item superius usque ad Martindam in mare, praeter terram pertinentem ad comitatum Nonae et terram Jubil (Ljubel, Ljuba), quae est Hospitaliorum, quas illis non contulit. Praedicti vero Jadrenses debebunt regi et successoribus eius servitia camerae regiae communiter exhibere,

secundum quod avo suo Belae regi praestiterunt. Datum per manus Stephani episcopi vaciensis electi archiepiscopi Strigoniensis. Existente Stephano episcopo zagrab. Dionisio bano Signatum aurea bulla.

In Archivo reipubl. Venetiarum. Libri pactorum. I 174. Wenzel. Cod. Dipl. arpad. II. 143.

CCCCXIX. **Clissae**, *16. Maii 1242.* Stephanus episcopus vaciensis et electus archiepiscopus Strigoniensis notificat, quod post confirmationem privilegii per regem Belam IV factam, constituerit Stephanum filium Martinussi iupanum pro prestaldo, ut introducat Tragurinos in possessionem suarum terrarum. Et postquam rex recesserat ex Dalmatia, nominavit eum in vicarium suum. Ad quem cum reversus fuisset pristaldus eius, retulit, quod metas dictarum terrarum conscripserit, quarum metae extendebantur a columna sub Ostrog usque ad Smoquizam. Quocirca instarunt Tragurini reginam, quae tunc adhuc degebat in Dalmatia, ut a mittendo testimonio sint immunes, quod eis regina concessit.

Lucius: Memorie di Trau. p. 44.

CCCCXX. **Spalati**, *mense Julii 1242.* Temporibus Stephani electi archiepiscopi Spalatensis et nobilis viri Joannis potestatis, comitis Modrusse et Vinodoli, iudicum Petri Cicla, Formini Testa et Desa Michaelis. Cum commune Spalati vendidisset insulam Soltam quibusdam nobilibus Spalatensibus, emptoresque litem intenderent coenobio s. Stephani propter quasdam ab eis possessas terras, Desa autem abbas responderet, quod illas legitime possideat monasterium idque tabulis, scriptis manu Sabatii notarii (1178) probaret, Joannes potestas post exmissionem delegatorum iudicum, inter quos Petrus Pinosa antea fuerat datus pristaldus a Domaldo comite et a communi Spalatensi, dictarum terrarum pacificam possessiona adjudicavit caenobio s. Stephani. Scripsit Camanus clericus iur. notarius Spalat.

Farlati: Illyr. Sacr. tom. III., p. 263.

CCCCXXI. **Ragusii**, *10. Augusti 1242.* Tempore Joannis archiepiscopi Ragusini, Marcus Dulcinensis ecclesiae episcopus una cum suis canonicis presbytero Marino, diacono Grobae comitis Miroslaui, diacono Theodoro de Lampridio, diacono Andrea de Maria, subdiacono Grobae comitis Petri, confitentur, quod sua bona et spontanea voluntate et sincero consensu archipresbyteri Georgii et suorum sacerdotum, quorum nomina sunt haec: presbyter Sergius de Bono, presbyter Stephanus Zurnae, presbyter Raynerius, presbyter Velemirus, presbyter Petrus, Philippus, Nicolaus et Benedictus, diaconus Grobae, comitis Miroslaui, subdiaconi Grobae comitis Petri, diaconi Marinus, Andreas, Maurus, subdiaconi Zupanus, Marcus, Joannes et Joannes de Castreca, clerici Bartholomaeus, Sergius, Dominicus, Gerdus, Nicolaus Velcotta, Quiricus Zonus, et de capellis presbyteri Mesius, Marcus, Marinus, diaconus Zanus, subdiaconus Bratos, clerici Zanus de Slav, Martinus, Marinus, Stephanus, Laurentius, Petrus, Dessina, presbyter Syri, diaconus Stenni, subdiaconus Dominicus, clerici Hivez, Zanus, Vincentius, Bilza, Drasco, et Beroldus, et per consensum totius capituli, et per sacramentum ss. Dei evangelii ab omnibus praedictis communiter factum et commissum, venerint ad antiquam matrem et metropolitanam ecclesiam Ragusinensem et inquisiverunt et suis oculis prospexerunt, manibusque suis tenuerunt multa antiqua et nova privilegia a ss. romana

ecclesia perpetualiter eidem Ragusinae ecclesiae data, ex quibus verissime certificati fuerunt, Ragusinam ecclesiam antiquam fuisse et matrem et metropolim dulcinensi ecclesiae, qnod omnes praenominati insimul confirmant et pro successoribus suis promittunt et jurant eidem Ragusinae ecclesiae perpetuo obedire et reverentiam facere. Subscripserunt: Marcus episcopus, Domnus Slavius abbas Lacromensis qua testis, presbyter Maurus De... de vice domini Joannis Ragusinensis archiepiscopi, testis, presbyter Matthaeus Lucae vice eiusdem archiepiscopi testis, presbyter Blasius Joannis, vice eiusdem archiepiscopi testis, subdiaconus Gervasius Petri Theodori vice eiusdem archiepiscopi testis, presbyter Marianus testis, diaconus Grobe testis, diaconus Theodorus testis, subdiaconus Grobe testis, diaconus Matthaeus Theophili canonicus Ragusinensis ecclesiae testis. Presbyter Paschalis Petri canonicus Ragusinensis ecclesiae et communis Ragusii notarius juratus scriptor et testis sigillator.

Ex transumpto Bullario archivi Ragusini. Msc. p. 379. in mea collectione.

CCCCXXII. *Apud pontem* **Mauricii,** 3. *octobris 1242.* Bela IV rex notificat, quod cum terras Johance filii Georgii decedentis sine haerede, nomine Mycola, Maria cum suis pertinentiis et vineis ad petitionem fratris regis piissimae recordationis regis Colomani, fidelibus suis File praeposito Zagrabiensi, et suis fratribus Thomae comiti et Petro, contulisset, Thomas filius Lamperti et alii de generatione sua, nec non Vincentius praepositus et Bagyn pro filio Martini mariti sororis eorum de generatione eadem in quaerimoniis terras minus iuste petiissent, quum potius ad eos devolvi debuissent; evocatae ad regem comparuerunt ambae partes, et cum plurima fuissent allegata, tandem Thomas et alii, qui cum eo erant, terras fratris Johance fore empticias sunt confessi; quare dictas terras rex de novo contulit magistro Fyle et eius fratribus.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. 125.

CCCCXXIII. *Apud* **Sebenicum,** *14. Octobris 1242* Temporibus Innocentii IV papae, Belae IV regis, Danielis comitis, Dragouani et Radouani Budaçe iudicum Sebenicensium. Stanimirus archipresbyter una cum Johanne, Collomano Radine, Micha filio Lupi Calione, et Johanne presbiteris, Crisogono filio Dragani et S. N. C. diaconis. Wratislauo filio Vahonis Pribica, et diacono Stuiculi (?) et omnibus aliis clericis sibenicensibus, tam Latinis quam Sclavis, recognoscunt, eos omnimodam subiectionem debere Treguano episcopo et ejus successoribus nec non ecclesiae Traguriensi etc. Actum in praesentia et testimonio Leonardi abbatis s. Nicolai, Danielis comitis Dragovani et Radouani iudicum dictorum Scotii, et Drage, Surate, Pribislavi et plurium aliorum. Stanimirus archidiaconus et juratus notarius scripsit. Dobren examinator manum misit.

Ex meis miscellaneis.

CCCCXXIV. *Apud* **Verevcha,** *A. 1242. 16. Novembris.* Bela IV rex declarat, quod cum ei placuisset Zagrabiae in monte Grech civitatem liberam construere, hospites convocare et illam partem regni ad securitatem confinii munire, convocato consilio cum Dionisio bano totius Sclavoniae et aliis regni principibus hanc voluntatem approbantibus suum propositum perduxit ad finem, conceditque, ut in dicto monte libera civitas fiat. Conditiones autem et

libertates hospitum, quas ipsi inter se fecerunt et rex approbavit, tales fuerunt 1. quod si hospites in districtu Hungariae, Dalmatiae, Chroatiae, Slavoniae spoliati fuerint, aestimata quantitate pecuniae, iuxta arbitrium bonorum virorem et sacramentum concivium ad hoc electorum, vel ablata restituat vel malefactores ostendere teneatur. 2. Tributa infra regales terminos in nullo loco solvere teneantur. 3. Quicumque civis alium civem vituperiis aut contumeliis affecerit, laeso decem pensas, in communes expensas 100 denarios solvat, et si post trinam correctionem se non emendaverit, rebus omnibus in commune applicatis, tamquam infamis de civitate turpiter expellatur. 4. Si quis alteri alapam dederit, vel per crines malitiose traxerit eandem poenam patiatur. 2. Si quis cultello, gladio, lancea aut sagitta aut aliquo tali modo alium vulneraverit, et vulneratus sine defectu membrorum resanatus fuerit, medico laesi satisfaciat, et laeso 25 pensas, quinque vero ad usum civitatis persolvat; si vero in aliquo membrorum debilitatus fuerit, medico laesi satisfaciat et laeso decem marcas et ad usum civitatis 10 pensas solvere teneatur. Si vero mortuus fuerit, duae partes rerum suarum cedant parentibus occisi; tertia pars civitati. Si vero captus fuerit, secundum consvetudinem de ipso vindicta summatur, nisi quis in ludo sine praemeditata malitia aliquem interfecerit, in hoc enim casu 100 pensas cognatis interfecti, 20. vero pensas ad communes usus refundat. 6. Si quis de extraneis intrans civitatem sive in vico, sive in domo, sive in foro similia ut supra perpetraverit, per judicem civitatis iudicetur et eisdem paenis subjaceat. 7. Si ex incolis civitatis aliquis aut extraneus infra terminos civitatis in furto vel latrocinio deprehensus fuerit, per judicem civitatis puniatur. 8. Si quis extraneus aliquem de civitate in causa pecuniaria vel in lata injuria voluerit convenire, coram judice civitatis conveniatur et nulla causa ad duellum judicetur; sed per testes et juramentum terminetur, sive sit cum extraneis sive cum indigenis. Testes autem eiusdem conditionis et libertatis, cuius sunt isti, assumantur. 9. Eodem modo siue extraneus inveniat apud incolas sive incola apud extraneos equum vel bovem aut aliquas res furtivas, semper testes, ut supra, producantur. 10. Cives de praedicta civitate vel jobbagiones de villis ad ipsam pertinentibus, qui prope territorium civitatis fuerint, nullius judicis, nisi civitatis, adstare teneantur. Quod si judex suspectus habebitur, convocatis omnibus majoribus civitatis ipso judice praesente negotium decidatur. Si actor ad regem appellaverit, solus judex ad regem ire teneatur. 11. Si pro quacunque causa judicem, et cives vel cives solos ad Regis praesentiam quis citaret, non tenetur ire nisi solus judex, etc. 12. Cives liberam habent facultatem eligendi judicem, regi praesentandum, et mutandi annuatim pro suo arbitrio. 12. Si quis de civitate sine haerede decesserit, de suis rebus liberam habet disponendi facultatem. Res vero immobiles, domos, curiam, vineas, terras et aedificia habito consilio cum concivibus familiae suae vel cognatis relinquat. 14. Si quis intestatus decesserit et non habuerit cognatos, duae partes pauperibus et ecclesiae eiusdem civitatis distribuantur, tertia autem pars ad utilitatem civitatis reservetur. 15. Forum in civitate duobus diebus in hebdomada, videlicet die Lunae et Jovis celebretur, praeter quotidianum. 15. Ad servitia regis tenetur civitas cum rex expeditionem ad partes maritimas, vel Carinthiam, vel Austriam facere voluerit, tunc cives decem milites mittere tenentur cum armis militaribus. Praeterea regi, quando ipsum illuc ire contigerit, dare debent pro prandio 12 boves, 1000

panes, 4 tunellas vini, duci autem totius Slavoniae, si sit de prole regia, medietatem praedictorum dare debent. Bano vero, non tamen vicebano, nihil aliud solvere, nisi in principio intuitu sui banatus unum bovem, centum panes, unam tunellam vini, semel donec fuerit banus. Ab omnibus istis servitiis erunt tamen per quinquennium liberi. 16. Item cives assumpserunt in se propriis expensis murum Grech muro firmissime communire. Ad sustentationem hospitum dedit illis rex terras statuens eos in eisdem per banum totius Slavoniae Dionisium. Prima meta est in portu Savae, quod Kiralyrév (kraljev brod) dicitur, iuxta magnam viam, per eandem usque rivum, qui Zoisca dicitur, quem transiens per pontem, ad eandem viam versus aquilonem transiens aquam Mlaka venit ad monticulum et terram, quae dividit terram populorum regis. Transiens minorem Mlakam ad magnam viam, quae vulgariter Ettewen dicitur, per illam ad rivum Cirkvenik, ubi est pons. Superius per rivum iuxta montem Grech vadit directe ad aquilonem et ad pontem Kubul kut, et superius per rivum Cirkvenik transiens monticulum in quandam vallem, per quam transit in rivulum Lonszki potok. Deinde ascendit ad metam capituli zagrabiensis, altera est hospitum de Grech, tertia filiorum Dobcha de genere Aga. Deinde ad cacumen montis Medvenicha versus occidentem et pervenit ad metam filiorum Mikula, quae Plesivicha dicitur. Deinde ascendit et venit ad terram Endre, descendendo et ascendendo ad metas ecclesiae zagrabiensis. Deinde ad rivulum Peznich potoka, per terram Endre et per vallem ad verticem montis, separando terram Srem vadit in viam, quae exit de villa Gremla. Versus meridiem ad campum et per viam ad paludes Mlaka, et sinistre usque ad fluvium Savae. Bulla aurea pendens. Datum apud Wereuche per magistrum Benedictum praepositum albensem et cancellarium regium electum archiepiscopum colocensem. — Subscripti inter caeteros. Stephanus episcopus zagrabiensis, cognatus regis Angelus dominus Syrmiae et comes bachiensis.

In archivo civitatis zagrabiensis. Tkalčić: Monumenta hist. civ. zagr. I, 15.

CCCCXXV. *In* **Wereucha**, *21. Novembris 1242.* Comes Dionysius dei gratia dux et banus totius Slavoniae notificat, quod cum Jaco, Isaak, Bratila cum filio Lodicha, Adam, Zadurk, Meurk, Giurus, Nork et tota generatio Bratila tempore persecutionis Tartarorum coram eo remansissent, ita ut rebus suis mobilibus a debito suo defendere non potuissent, quam particulam terrae suae haereditariae pro viginti marcis Abram comiti de Moroucha et Nicolao fratri suo vendiderunt; sed quia Abraam comes cum fratre suo de eis diffidebant, ab eisdem Jaxum banum, Turdislaum, Tybam, magistrum Buzam et Endre filium Petri pro fideiussoribus super eadem terra receperunt, Blagona, Acha comitibus, Farcassio de Zagoria et Pethk de Cumarcha praesentibus, terram autem dictam cum hominibus capituli zagrabiensis et cruciferorum de sancto Martino et de s. Georgio et aliis quam plurimis circuiendo certis metis fecerunt limitari, cujus prima incipit ab oriente in aqua Lona et exit in nemus, ubi duae separant eam a generatione Pozdemer; inde ad rivum Moroucha et rivum Cadenche; ex nemore ad occidentem separat a generatione Cyncemer; inde per varias metas ad terras castrensium et Marin atque Abraam comitis, inde separat a generatione Jaco et a filiis Marin et iterum Abraam comitis; inde ad rivum Moroucha in fine pontis; inde per montem

transeundo reflectitur in via ad aquam Bedinice; inde in aquam Lona, ubi terminatur.

Ex actis e regni Croatiae archivo Pestinum translatis N. R. A. 1501, N. 10 et ex transumpto Belae regis de dato Wereucha 11 kalendas Decembris 1242. Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. I. p. 255. Kukuljević: Borba Hrvata. P. 78—9.

CCCCXXVI. **Tragurii,** *13. kalend. (mensis?) 1242.* Existentibus Treguano episcopo traguriensi S(tepcone) comito, Carini Casotti rectore et iudice. Cerne... recognoscit, se a Paulo filio Dragislai recepisse perperos . . . pro terra sua iuxta terram s. Johannls de platea jacentem, et eam vendidisse in perpetuum. Testes: Dobrana subdiaconus, Marinus clericus, Marinus Prodani et Janicha, filius Cassoti. Zanicha examinator manum misit, Johannes traguriensis notarius et s. Laurentii cano icus signavit.

Ex archivo monialium s. Mariae, Jaderae.

CCCCXXVII. *A. 1242.* Bela IV rex privilegiales litteras civitati Nonae, reambulationem eiusdem per Joachimum banum (?) factam exhibentes, elargitur.

Fejér: Cod. dipl. Hung. VII. vol. 4, p. 91.

CCCCXXVIII. *A. 1242.* Bela IV rex hospitibus de Vorosdino concedit libertates, sicut easdem frater eius Colomanus rex et dux totius Slavoniae concesserat Et quidem: quod comes aut curialis comes de Vorosdino non habeat potestatem ipsos iudicandi, sed ipsi inter se judicem eligant, quem Richtardum solent appellare, qui tamen regi praesentandus et ab eo confirmandus erit. Causas exortas inter cives judicat judex, causas vero sanguinis iudicare tenetur cum comite vel curiali comite. De judiciis . . . . duae partes comiti, tercia rihtardo persolvatur. Tributum nullum solvunt cives, nisi qui vadunt in Theutoniam cum mercimoniis, tunc de quolibet curru onerato solvent tres denarios, de singulis equis venalibus duos denarios, de duobus bobus unum denarium . . . pro sigillo atributario habendo, dimidium denarium. In portu vero Dravae de quolibet curru onerato unum denarium; item de qualibet curia annuatim dimidium denarium. Novi advenae per triennium nihil solvant. Haerede carens libere disponat de omnibus suis bonis. Unusquisque de villa recedere libere potest, venditis omnibus suis immobilibus rebus. Nullus baro regni super ipsos violenter descendere audet. Datum per magistrum Benedictum praepositum Albensem et cancellarium aulicum.

Extat in transumpto regis Stephani de anno 1272 in archivo civitatis varasdinensis. Fasc. II Nr. 8.

CCCCXXIX. *In* **Segust,** *1242.* Bela IV rex ad supplicationem Johannis abbatis de Toplica, ut divisionem terrae castri de Guora inter ipsum ab una parte et Glinenses ab altera, factam per comitem Marcum, filium Borochuni, destinatum ad hoc a Dionisio bano, presentibus clerico magistro Nicolino, qua pristaldo regio, nec non homine capituli zagrabiensis et homine praeceptoris Templariorum de Goura et hominibus hospitum de Perna et Petrina, ne ulterius per Glinenses ecclesia possit molestari, litteris suis dignaretur confirmari, annuens precibus abbatis divisionem ratam et acceptam habuit. Nomina possessionum sunt haec: Crathka ultra Savam, villa Schuchia citra Savam, Labugn villa Teredych, et locus ubi Lagna cadit in Sava, tam citra quam ultra; terra villae Bratkovichi citra Savam et ultra, villa Rakolechiche, villa Trebochel, villa Pyschan, villa Heberkov, villa Paschena, villa Reth, quae fuit

terra Weden, villa Scerda super rivulum Scelna, villa Gregen, terra sanctae Crucis, terra ubi Stevenicha cadit in Scelna, villa Velezna, villa Stevenicha, quae est Borth, villa Dedech, villa Moznav, Bebrevnicha, Jelsevnicha. Dividit autem ipsam partem abbatis rivulus Gradiza eundo in Savam et Sava usque dum derivatur in aquam Chygovge, quae transiens sylvam (?) Zava vadit per campum aquosum, qui est campus Logna et cadit in fluvium Logna, Gradiza autem incipit a loco ubi rivulus Scopnik cadit in rivulum Gradizam.

Tkalčić: Monum. episc. zagr. I. p. 79.

CCCCXXX. *In villa* **Vereucha**, *1242.* Bela IV rex ad petitionem hospitum de Zamobor prope castrum Oclych, ut modum et statum libertatis eorundem, de gratia et providentia piae memoriae regis Colomanni fratris ejus, juxta tenorem libertatis hospitum de Petryna concessae, confirmaret, precibus ipsorum favorabiliter annuit, statuitque leges, et fecit conscribi metas eorum per comitem Stephanum fratrem Babonegh, quarum prima incipit de Thopol, et tendit ad pontem unum, deinde ad Breuilaz, deinde per sylvam ad Rokoyca, ubi duae aquae simul veniunt, deinde sursum usque Pizni, deinde per montem ad Rocoycha, deinde ad Breztoycha, ultra montem in rivum Chernich, deinde ad Lipoiczam, per montem ad Grabouicham et per montem Fozorin ad Gradna, descendit ad viam, per quam iuxta Presekam ascendit ad montem et descendit ad fontem Bisterch et sub Boboycha exit ad primam metam.

Jura regni Croatiae I. p. 62.

CCCCXXXI. *10. Decembris 1242.* Temporibus Budislavi comitis sibenicensis et judicis Michae civis spalatensis, Gregorius filius comitis Elye dat suam terram ad plantandum ad quartum (cui?), quae iacet in Necutuvina iuxta Ciprianum filium Georgii et Michaelem filium Dresini. Nobiles testes: Stan filius Cernotae et Dragusavus frater eius et Vojno filius Cerni, et alii Domnius filius Vulcinae, Pribisius, filius Cocege, Micus. Vulcinia de Curtissia frater examinator posuit manum. Leonardus notarius sibenicensis scripsit.

Ex mea collectione diplomatum.

CCCCXXXII. *Apud castrum* **Turucz**, *29 Januarii 1243.* Bela IV rex manifestat, quod considerans multimoda servitia magistri Scemeyts de villa Budugey, aurifabri consortis suae Mariae reginae, quae ei et sibi a puerilibus annis impenderit fideliter et devote, et qui maxime tunc probatus est tanquam aurum, cum regnum eius divino judicio fornax succenderat Tartarorum; nam multis retro abeuntibus ipse fidelitatis glutino, qua pollebat, relictis suis, regi adhaesit, officiosum se exhibens in omnibus et fidelem; unde pro suae fidelitatis et servitiorum constantia decorat eum perpetuae libertatis munere, eximens eum una cum fratribus suis Andronico et Kocz et Kaza filiis patruelis eius, ab omni iugo debiti et servitii, quo sua generatio, videlicet villa Bedegey, consorti suae reginae tenetur; aula quoque regia pateat illis tamquam allis aulicis nobilibus regni, statuens ut inter nobiles regni honorifice computentur. Super hoc confert ei litteras aurea bulla insignitas. Inter subscriptos Dionisius dux totius Sclavoniae, Stephanus Agazonum magister et comes de Vrbaz.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad VII. 131.

CCCCXXXIII. **Budae**, *die Jovis post Pascham (16 aprilis) 1243.* Bela IV rex laudando fidelitatem civium Traguriensium commendat illis, ut cumulando

virtutem ad virtutem cum consilio et adiutorio compatri suo Alexandro zupano de Clich, quando ab illo rogati fuerint, sicut ipse rex dedit in mandatis Dionisio duci totius Slavoniae, Stephano bano maritimo et dicto Alexandro, ut illis in occurrenti necessitate succurrant.

Lucius: Memoria di Trau p. 54.

CCCCXXXIV. **Budae,** *16. Aprilis 1243.* Bela IV rex scribit dilecto compatri Alexandro comiti zupano de Chlich (Clissa): »Novit tua fidelitas, quod tam grata fidelitatis obsequia nobis et coronae regiae impederant fideles cives civitatis ragusiensis, propter quae civitatem recommendatam merito habemus. Quare mandamus quatenus praedictae civitatis et civibus eius astare debeas consilio et auxilio, nec ipsos contra libertatem eorum per se vel per alios molestare aliquo modo praesumas«. etc.

Lucius: Memorie di Trau. p. 77.

CCCCXXXV. *A. 1243. 23. Aprilis.* Bela IV rex notificat, quod, cum Bechend filius Nicolai plurima ei in fervore fidelitatis servitia tam in regno, quam extra regnum, maxime tempore persecutionis barbarae nationis Tartarorum in partibus maritimis indesinenter et indefesse impendisset, ita ut titulo probitatis ipsius coram regis oculis comendabilis haberetur, conferat ei terram Pouse filii Radislai iobagionis castri Trinchiniensis nomine Wychap, et faciat eum per Bogomerium comitem trinchiniensem introduci in eam.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. p. 133.

CCCCXXXVI. *A. 1243.* 2 *Junii.* Bela IV rex declarat, quod Never, Buda, Orcirad, Rascho, Radila et Damaslov homines castri trenchiniensis de villa Vetislov pro eo, quod iidem tempore persecutionis Tartarorum personas et res in observatione castri Trenchen exponere nullatenus dubitarint et regi, de maritimis revertenti, armati in exercitu contra ducem Austriae habito, servitium exhibuerint gratum et acceptum, ducat eos in iobagiones sancti regis castri una cum haeredibus perpetuo transferendos.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. p. 135.

CCCCXXXVII. **Juxta Budam in insula Leporum,** *5. Junii 1243.* Bela IV rex notificat, quod cum Philippus et Detricus comites filii Mathaei a primis pueritiae suae temporibus in bonorum actuum exercitiis et virtutum meritis accrescentes ei et fratri eius Colomano regi Galiciae ac duci totius Slavoniae adhaesissent et grata obsequia impendere non cessarent, et quamquam in cunctis eventibus regis lateri tamquam columnae immobiles et muri aenei semper et ubique inseparabiliter se junxerint, tempore tamen, quo insultus Tartarorum regnum hostiliter invasit, inter alios electos specialiter claruerint; in praelio siquidem cum Tataris commisso, cui rex personaliter interfuit, ipsi fratres in acie conflictum cum hoste ineuntes, ad belli exitum persistere viriliter; ibi praefatus Detricus hostes agressus et semel secundo ante omnes vibrata lancea, ordinatam aciem irrumpens, post multorum stragem, post inflicta quam pluribus vulnera, ipse quoque, equo suo occiso, fuit graviter vulneratus; postmodum etiam, cum per Teutoniam cum paucis transitum faceret, rex suorum auxilio pene penitus destitutus, ac per ducem Austriae via illi libera foret praeclusa; idem Detricus in regis comitiva praecedens, mortis sese manibus absque metu committens, iter procuravit; abhinc rege

maritima petente eum secutus, multa servicia studuit exhibere; frater vero eius Philippus, castrum regium Kemluk (Kalnik), suae commissum custodiae, tam contra Tartaros quam contra quosdam alios, qui de Slavonia in infidelitatem versi, eum multipliciter impugnabant, servavit fideliter et prudenter, in cuius conservatione Slavoniae dominium regi fuit instauratum; porro in bello cum duce Austriae in castris circa Sopronium, quod dux occupaverat, ballistario castro egredientes saepedictus Detricus cum lancea irruens in eosdem, in castrum illos redire compulit, gravia duo vulnera recipiens, unde eisdem fratribus quasdam possessiones, quae Bors comite filio Dominici bani absque haerede decedente ad manus regis devolutae fuerunt, nec non Berzethe cum multis aliis possessionibus in superiori Hungaria sitis, confert in perpetuum.

Fejér: Cod. dipl. P. IV. vol. I. p. 287.

CCCCXXXVIII. **Anagniae**, *19. Julii 1243.* Innocentius IV papa (Stephano) episcopo quondam Vaciensi in archiepiscopum Strigoniensem postulato, comittit officium legationis in Croatia et Dalmatia, obsecrans eum, quatenus indutus fortitudine ac virtute praecinetus, pravitatis haereticae maculas, quibus terrae illae nimis sunt infectae, abolere studeat; quod per censuram ecclesiasticam, ac si necesse fuerit, per subsidium brachii saecularis, poterit acquirere.

Katona: Histor. crit. VI, 4. Fejér: cod. dipl. IV, 1 p. 282. — Theiner: Mon. vet. Hung. I. p. 187.

CCCCXXXIX. **Anagniae**, *21. Julii 1243.* Innocentius IV papa injungit Bertholdo patriarchae aquileiensi (avunculo Belae regis), ut si hostis dei et amica daemonum gens impia Tartarorum suam in reliquias regni Ungariae moliretur experiri saevitiam, Christi fideles in Theutonia piis inducat monitis, ut contra Sathanae nuncios, Tartarique ministros, signaculum crucis suscipiant.

Katona: Hist. crit. VI, 6. Fejér: Cod. dipl. T. IV. vol. I. p. 299. Theiner: Monum. Hung. I. 187.

CCCCXL. **Ragusae**, *14. Augusti 1243.* Stephanus Vros rex totius terrae. Rassae et maritimae iurat comiti Ragusii Johanni Michaeli et omnibus nobilibus et communi eiusdem terrae, quod ab hodie in antea, donec et illi steterint ei in fide, iustitia et amore, velit vivere cum eis in pace, et amore, sicut vixit pater eius cum eorum antecessoribus et cum illis; mercatores non disfortiati veniant libere ad eius terram stando et eundo, comparando et vendendo, dando illud quod est consuetudo dandi; cuilibet illorum civium, si quaesiverit, faciet iustitiam; eorum mercatoribus nulla sit molestia a nullo homine vel exercitu, in nullo loco: si aliquis a civitate sua fugerit in eius terram et de illa ceperit molestare civitatem, dabit eum illis; et regis commerzarius stet in eorum civitate sicut tempore eius patris stetit; et stanec sit inter eos a s Michaele usque ad s. Georgium, sicut fuit in diebus eius patris, in loco constituto. Ad hoc pactum iuravit rex Petro Strettae et Nicolizzae Pecenagii.

In archivo aulico Vindobonensi. Ragusa rub. Servica 163/5.

CCCCXLI. **In insula Bua**, *11. Septembris 1243.* Temporibus Treguani episcopi, Stepconis comitis, Petri de Luca, Pauli et Marini Blasii, iudicum Traguriensium, in insula, que vocatur Buua, iuxta ecclesiam s. Petri. Memorati iudices et communitas compromittunt in manus fratris Gerardi Muti-

nensis et fratrum Pauli et Andreae de ordine fratrum Minorum, quod bona fide stare velint ad omnia, que ipsi inter eos et Spalatinenses duxerint ordinandum. Testes: T(reuguanus) episcopus, Thomas archidiaconus Spalatensis, Philippus civis Jadrensis, Rantulfus et Naesarius Justinopolitani, et alii multi. Johannes Casotti examinator manum misit, Gausinus primicerius et jur. notarius.

Ex archivo aulico viennensi Acta spalat. XVI, 186. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XI. p. 330. Lucius: Memorie di Traù, p. 46.

CCCCXLII. **In insula Bua**, *11. Septembris 1243.* Temporibus Stephani archiepiscopi Spalatensis, Bernardi de Tergesto potestatis, Doimi de Formino, Merga de Magero et Gregorii de Gruba iudicum. Bernardus de Tergesto potestas Spalatensis compromittunt causam suam habitam cum Traguriensibus in manus fratris Gerardi de Mutina et suorum confratrum Pauli et Andreae ordinis Fratrum Minorum, et obligant se firmiter tenere omnia illa, quae in dicta causa disponent. Testes: Treuguanus episcopus Traguriensis Thomas archidiaconus Spalatensis, Filippus de Jadera, Cantulfus et Nazarius de Capodistria, et multi alli. Joannes Desa Marci de Capodistria notarius marchionis Istriae et cancellarius spalatensis scripsit.

Lucius: Memorie di Traù, p. 46.

CCCCXLIII. *11. Septembris 1243.* Temporibus Treguani episcopi Traguriensis, Stepconis comitis, Petri de Luca, Pauli et Marini Blasii, iudicum traguriensium. Cum inter cives spalatenses et tragurienses gravis esset discordia, ita ut belli iam rabies incepta de die in diem increscere videretur, tunc frater Girardus de Mutina ex Apuliae partibus veniens, una cum fratribus Paulo et Andrea, conpatientes dictarum civitatum discrimina, concluserunt inter ambas partes pacem et concordiam reformare, quae ambae partes in illorum arbitrium compromittentes, obligarunt se stare ad omnia quae statuere vellent pro bono pacis; concludunt ergo in primis, ut villa de Ostrog cum omnibus suis pertinentiis sit proprietas ecclesiae s. Domnii, ita sicut fuit tempore G(uncelli?) archiepiscopi; usque ad adventum domini regis Belae antiqua questio super territorio de Biaci et s. Vitalis relinquitur indiscussa; ut porro Tragurienses nullum inimicum Spalatensium recipiant, retineant sive foveant; item ut omnes terrae patrimoniales, quae sunt infra confinia spalatensia et traguriensia, restituantur suis dominis, salvis rationibus debitorum; omnia mala utrique parti illata et iniuriae commissae in invicem dimittantur; quaecunque autem pars huic compositioni rebellis et inobediens fuerit, teneatur solvere nomine poenae ducentas marcas argenti, quarum medietas ad obedientem partem deveniet, altera pars fisco regio applicetur. Communitum est hoc statutum sigillis utriusque civitatis. Subscripti: Johannes Casoti examinator, Gausinna primicerius et traguriensis notarius, iubentibus fratribus Girardo, Paulo et Andrea, et voluntate predictorum iudicum et comunitatis traguriensis.

Ex archivo aulico viennensi. Acta spalat. XVII. 17. Carrara: Archiv capit. di Spalato p. 74. Monum. Slavor. merid. I, 59.

CCCCXLIV. **Ragusii.** *A. 1243.* Joannes Michaelis comes Ragusii cum consiliariis et nobilibus et communi ragusiensi jurant Stephano Urosio regi, quod ab hodie in antea diebus suis et eius erunt fideles et recti amici eius,

et quod vivent in pace cum eo sicut vixerunt antecessores eorum et ipsi cum patre eius; et quando placuerit ei vel eius hominibus venire vel causas mittere in eorum civitatem, civitas eorum erit illis aperta, et stabunt sani sine ulla molestia, sicut est antiqua consvetudo; et si aliquis inimicus eius fugerit ad eius civitatem, recipient eum, sicut receperunt eum eorum antecessores in consvetudine avi et patris eius; et cum eis stando non nocebit terrae eius ullo modo, si autem aliquid nocuerit, componet illud; si non, dabunt ipsum ei ligatum; si non dederint, component dampnum cum suo habere; commermerzarius suus stet in civitate libere, sicut stetit diebus avi et patris eius; cuivis eorum homini facient plenam justitiam; et stanec sit inter eos a s. Michaele usque ad s. Georgium, sicut antea fuit, in antiquo loco; judices iurabunt rectum, sicut est consvetudo iudicandi. Juraverunt hoc pactum: comes Johannes Michaelis Petrus Ballislavae, Bubanna, Grubessa Gundulae, Velcius Bladimiri, Clemen Sersii, Theodorus Bodaciae, Johannes Catarinus, Petrus Sretae, Jacobus Negamiri, Cerne Simon Benessae, Calenda Lamprini, Marinus Zuynizae, Johannes Sersii, Boenus Bobali, Niciforus Srettae, Peregrinus, Bogdanus Pizimi, Jacobus Vulpicellae, Petrus Marini, Dobroslavus Rastii, Clemens monachus, Marinus Barbarae, Nycoliza Pecinagae, Theodorus Gizlae, Theodorus Rastii Cnegae, Goislavus Paganze, et Deodatus vicarius confirmavit.

In pergamena. Ex archivo aulico vindobonensi, Ragusa, Serbica.

CCCCXLV. **Ragusii,** *1243.* Johannes Michael comes Ragusii cum tota communitate civitatis promittit ad requisitionem Jurkonis, missi regis Rassiae et Maritimae, Stephani Uros, Ragusinos non passuros, ut vidua regis Vladislai in ditionem eius aut in Bosniam litteras vel nuntios mittat.

***Miklošič**: **Monumenta serbica** p. 30.*

CCCCXLVI. *A. 1243. mense Octobris, 21. Martii 1244.* Bela IV rex ad petitionem Vencentii comitis strigoniensis confirmat litteras capituli quinqueecclesiensis, quibus demonstrabatur, quod medietatem terrae Orywa in comitatu Posega, relicta Cleti quondam comitis, socrui suae, et filiis suis Ladislav, Filipo et Gregorio pro 60 marcis emptorio modo comparasset, quae terra, Filipo comite decedente sine liberis, quamquam ad suas (Vincentii) manus devolvi debuisset, rex illam fratri suo Cleto comiti in recompensationem multiplicium servitiorum suorum, duxerat conferendam. Cujus terrae medietatem idem Cletus genero suo praefato comiti Bencentio condonaverat. Literae autem capituli continent, quomodo domina Macha, uxor quondam Cleti comitis, una cum filiis suis Ladislao, Filippo et Gregorio protestata esset, praefatum virum suum donasse olim genero suo magistro Bencentio, filio Vrbaz comitis, medietatem praedii Orywa in Posega; sed postea propter quartas filiarum Filippi comitis coactus eandem medietatem recepisset et dictis puellis contulisset sub conditione, ut Bencentio solvant 100 marcas; sed priusquam idem debitum exolvissent, tam ipse (quis?) quam dictae filiae Filipi comitis a Tartaris supervenientibus interfecti sunt; et sic praedium ad filios dicti Cleti comitis devolutum est; tum istis placuit dictam medietatem eidem Bencentio pro 100 marcis restituere, aliam vero medietatem pro 60 marcis vendere, quam Bencentius rite persolvit, dando 40 marcas Joachimo comiti pro debito, et 20 ipsis pueris. Quod capitulum confirmat anno 1243 mense octobri, rex autem anno 1244. 12 kalendas aprilis.

Ex actis regni archivi Budam deportatis N. R. A. 1501. N. 11.

CCCCXLVII. **Arbi,** *3. Novembris 1423.* Temporibus Jacobi Teupoli ducis Venetiarum, Pauli arbensis episcopi, Rogerii Mauroceni comitis, idem comes cum tota communitate civitatis Arbi, in praesentia ambasciatorum veneticorum Henrici Pasqualigi et Marini Superantii, per sacramentum promisit, a modo usque ad tres annos firmam societatem habere cum omnibus hominibus, qui sunt ad praesens vel erunt Jadrae, et cum omnibus hominibus insulae Vegliae et totius insulae apsarensis; et super his omnibus debeant habere usque ad dictum terminum suum rectorem illum, qui est vel erit rector Jadrae. Et haec societas sub debito juramento tenetur facere vivam guerram de sanguine et foco omnibus Kazzetis et depredatoribus maris, et specialiter omnibus Jadertinis, qui sunt vel extiterunt vel a modo fuerint rebelles contra dominium Venetorum. — Testes: Abundius Dabravze, Victor Esinne, Madius Tolchus, Madius Bartaldi, Duimus Diacobo, magister Dobre, et alii quam plures. Lanfrancus Arbi notarius scripsit.

Lucius: De regno Dalm. et Croat. lib. IV. cap. 6.

CCCCXLVIII. **Zolii,** *3. Decembris 1243.* Bela IV rex condolendo perturbationes et dissensiones inter cives traguriensēs et spalatenses, audiens, quod Spalatini Tragurinis aliqua instrumenta litteraria per vim extorserint, in praeiudicium illorum non parvum, annihilat promissiones Tragurinorum violenter factas, et confirmat in perpetum privilegia eorum, propter fidelitatem eorum ei exhibitam.

Lucius: Memorie di Traù. p. 48.

CCCCXLIX. *A. 1243.* Bela IV rex ad petitionem eivium traguriensium, qui conquesti sunt de iniuriis factis sibi a spalatensibus, notificat illis, quod Dionisio bano et duci Slavoniae, qui est locumtenens illius in illis partibus, dederit in mandatis, ut illis sucurrat et omnia a Spalatinis rapta restituat.

Lucius: Memorie di Traù, p. 54.

CCCCL. *A. 1243.* Bela IV rex ad petitionem abbatis de Torrente et conventus monasterii s. Grisogoni de Jadra, possessiones, quas ex collatione antecessorum eius optinuerint, suo privilegio confirmat. Secundum privilegium Celestini papae et aliorum documentorum has invenit donatas conventui possessiones, videlicet: terram s. Martini Diculi, terram s. Georgii Camechani, s. Michaelis Braucii, s. Martini ante portam civitatis, s. Jacobi, terram Ceperlani, terram Secherani, terram Berde, terram Suhovarre et terram Cokuani cum suis vineis.

Ex collectione professoris Joannis condam Berčić Jaderae.

CCCCLI. **Venetiis,** *mense Decembris 1243.* Jacobus Teupulo, dux Venetiarum, denominat nobilem Leonardum Quirinum in comitem Jaderae pro duobus annis, ad regendam civitatem cum omnibus suis pertinentiis et cum lata exacta instructione.

Ljubić: Mon. Slav. merid. I. p. 61.

CCCCLII. (**Zagrabiae.**) *A. 1243.* Capitulum ecclesiae zagrabiensis facit notum, quod Michael comes, frater Chocholl comitis, ex una, ex altera vero parte Gregorius filius Abramus viva voce proposuerint, quod Michael comes emisset a dicto Gregorio terram empticiam in Welikase octo marcis argenti. Si tamen terram illam ordine judiciario perire contingeret, praedictus Gregorius pro illa aliam eiusdem qualitatis restitueret Michaeli comiti. Meta: prima

est in Ocroy, quae es inter metas Floriani et Salamonis et Gregorii, inde per parvam viam ad magnam viam crucis, et inde ad locum Trebeneg laz, quae pertinet ad ecclesiam s. Petri, ibi finitur meta Salamonis; inde per varias metas arbores ad locum Radislov laz, et inde ad platanum javor, et ad sylvam, quae pertinet Michaeli comiti, inde ad plana Cupizlai, iobagionis Gregorii; inde ad rivulum Laste, qui cadit in Velicam et vadit ad Cupan laz, et per montem revertitur ad priorem metam Ocrog. Existente Stephano episcopo zagrabiensi, Fila praeposito, Petro cantore, Barano lectore, Gregorio custode, Cornelio decano et caeteris fratribus.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. p. 148.

CCCCLIII. *Apud* **aquam pendentem**, *18. Martii 1244.* Fridericus Romanorum imperator hominibus Dalmisii (Almissae) mandat, ne exerceant pyraticam in fideles regnicolas ejus in partibus Apuliae, cum nonnulli ex eis, sub velamento fidelium, vascella navigantia cum rebus eius offenderint, mutatis victricibus aquillarum illius insigniis, ut navigantes intrepide dolosas ipsorum insidias evitari non potuerint. Injungit porro, ut infra duos menses damna, quae Ugo de Lila magister procurator curiae in Apulia per litteras eis perscribet, procuratori et regnicolis eius illata, cum integritate restitui faciant.

Ljubić: Mon. Slav. merid. I. p. 64.

CCCCLIV. *A. 1244. 30. Martii.* Bela IV rex notificat, quod cum innumerabilis multitudo rabidae gentis Tartaricae per climata regni sui affligendo severe perfusa fuisset, et illum una cum fidis primatibus ipsius regni sui atque nobilibus extra ipsam suam monarchiam usque ad littora Pontus dire persequendo, ad quandam insulam maritimam potenter impulendo coercissent, de qua vi extrahere satagendo per naufragium in eum irruere conarentur; ubi in conflictu certaminis inter suos (id est regios) et ipsos ultores inimicos diutius servato suorum funera corruentium more Rachelis iugiter plangebatur, pater tandem ineffabilium misericordiarum piae consolationis exercituumque dominus, iam ei praecipitato, suae dexterae virtutem porrigere dignatus est... ad refulgendum regem et corroborandum, ex undique affluente nationum diversarum gente eius personae saluberrima pro tutella ad eum — inter cunctos viri sagaces omni fidelitatis nitore et probitatis decore faecundi, fideles pagensis civitatis et insulae cives ac incolae, inter caeteros nonnullos insularum habitaculo congaudentes, armis bellicis praemuniti et audacia virili suffulti, in eorum navibus ipsos, utpote hostes, iam celerrime versus regem, eius in offensam equoris per amnem natantes, eius in aspectu vallantes aggressi sunt, eosdemque crebrium telarum missionibus feriendo ac lancearum et aliorum instrumentorum ad id aptorum generibus ictibus sauciendo, insulae ab introitu opprimendo compescere fecerunt, et sic strage necis fere omnibus demolitis atque suffocatis, pristinae saluti ac libertati ex ipsorum merito laudis praeconis attollendis gestis, rex felici victoria gaudens, divinitus est restitutus; in quo certaminis praelio multi ex fidelibus corruere, alii vero stigmata laetalia et gravia sustulere pro regis honoris exaltatione, soliique regalis salute et incolumitate; porro, donec rex in ipsa insula profugus moraretur iidem Pagenses, civitatis et insulae universalis communitas, non coacti, sed gratanter et laetanter, cuncta eorum bona, donaria varia et victualia, copiosamque fre-

quentiam ministrationum, insuper non modicam copiam thesauri ac pecuniae, pro aquirendis stipendiariis armigeris, expeditionibusquae caeteris iuxta commodum et honorem regis offerre studuerunt, quorum obsequiorum ob merita ipsam civitatem et insulam Pagi, totalem ac integram, cum universis utilitatibus et pertinentiis, civibus pagensis civitatis et eorum haeredibus, de beneplacito Mariae consortis suae ac praelatorum et baronum consilio dat et donat ita, ut in eadem eo iure, modo et ordine gaudere, ac omnibus illis vigoribus et nobilium libertatum praerogativis, honoribus ac graciis frui possint, quibus ab antiquo tempore potiti sunt; et prout caeteri urbani nobilitatis titulo in urbibus liberis atque nobilibus in ipso regno Dalmatiae frui et gaudere perhibentur.

Datum per manus magistri Smaragdi albensis praepositi et aulae regiae vice cancellarii.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. II. et VI. p. 149.

CCCCLV. *A. 1244. 21. Aprilis.* Bela IV rex notificat, quod cum comes Junk filius Isaac, fratri suo Colomano, regi quondam et duci totius Slavoniae, a multis temporibus fideliter servierit, idem rex et dux terram regalem nomine Zlonyn et Worbouch in Slavonia habitam, a castro crisiensi exemptam, ipsi et eius fratribus contulerat; cum porro idem comes Junk non solum fratri, sed post eius decessum regi et consorti suae serviciis suis se exponens, grata fidelitatis impenderit obsequia, rex, in supplementum donationis factae, dictam terram a quolibet castro exemptam ipsi et fratribus et haeredibus suis confirmat, et donationem Colomanni innovat. Metae autem terrae, prout illas magister Akus plebanus de Pest, capellanus regius defixerat, sunt hae: Prima ab occidente a fluvio Dulebzka in magna via; per ipsam viam in silva Ligeth, in qua transit fluvium Zeminztrug; transiens rivulum parvum venit ad magnam viam et fluvium Loky, quem transiens per pontem iuxta terrum Goztoyg vadit per eandem viam ad orientem, ascendit monticulum declinat in rivulum Zlonyn, quem transiens ascendit monticulum in eadem magna via et declinat in fluvium Velika, quem transiens vadit in eadem via magna ad montem in silva et per planiciem venit ad fluvium Kamechnicha; transiens et per eandem viam declinat in paludem ac unum lutum, et pervenit ad aquam Chernech, ubi continetur terra episcopatus ecclesiae zagrabiensis et per Chernech in aquam Glogoncha, per cuius cursum in longo spatio pervenit in maiorem Glogoncha, per quam et alias metas in longo spatio venit in aquam seu paludem Medniche et porro in aquam Jazenovicha et Jazvina, in dumibus viminum, et in parvo eundo in aquam Wlchi; abhinc superius per fluvium Pretoka in silva magna et venit in silvam Chereth et cadit in aquam Lonya; et superins relinquendo terram ecclesiae zagrabiensis vicinitatem terrae Cruciferorum, et iuxta terram subulcorum regis de Konya venit in paludine Dulebzka, et per fluvium Dulebzka sursum tenet metas subulcorum de Lonya, venit in Dulebzka et ad metas, ubi sunt inceptae. Existentibus: Stephano episcopo zagrabiensi, Dionisio bano totius Slavoniae etc.

Ex archivo episcopatus zagrabiensis privilegialia N. 2. Tkalčić: Monum. episc. zagr. I, 80.

CCCCLVI. **Gyormoth,** *1244. 22. Aprilis.* Bela IV rex considerans multiplicia servitia Nicolai filii Obichk de Zyud, quae tunc impendit, quando adversitas Tartarorum regnum invaserat, et regem praesidio fugae ad partes maritimas proficiscentem omnes barones ac multi nobiles regni deseruissent, tunc enim idem Nicolaus eum nullatenus dereliquit, sed cum omni familia domus suae usque ad insulas maritimas secutus fuit; tandem de Tragurio ad curiam romanam per multa pericula marium et terrarum in regia legatione est profectus; item cum post recessum Tartarorum ad easdem partes maritimas vergeret secundario suos gressus e super facto Jadrie inter regem et Venetos esset discordia suscitata, ipse Nicolaus Venetias accedens, litteras compostionis non sine magna providentia condidit; immo ad partes Russiae et ad partes Bulgariae in regia legatione profectus a duce Danela, qui Tartarorum principe visitato ad propria rediens, universum statum Tartarorum, prout viderat et cognoverat, edisserendum regi promiserat, stili offitio conditum reportavit; in Bulgaria vero per plures menses involuntarie detentus, negotium etiam, pro quo minus fuerat promotioni reddidit; pro quibus serviciis rex ei castrum Koarzeg in comitatu hontensi confert.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. p. 163.

CCCCLVII. *1244. 23. Maii.* Bela IV rex notificat, quod propter indeciduae fidelitatis constantiam et innumera probitatum merita, quibus ante oculos regis fidelis Pogomerius comes tam in publicis quam privatis regni negotiis in Polonia, Bulgaria, caeterisque regnorum climatibus excellentissime claruisset, et maxime, quia regi et coronae in impetu Tartarorum servitia grata exhibuit, se et sua omni periculo exponendo, verum etiam quamvis privatus parentibus et cognatis, gravibusque vulneribus opressus, manus impiae gentis Tartarorum vix evaserat, ob hoc tamen non perterritus, confinia per regem ei commissa ab inimicis conservavit, ob haec et alia servitia ei confert terram Pruska in comitatu trenchiniensi.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII, 174.

CCCCLVIII. *In castro* **Gallas** *(Gyala) 1244. 29. Junii.* Bela IV rex praestat juramentum S. Justiniano et P. Dandulo nuntiis Jacobi Teupoli ducis Venetorum, quod firmam pacem cum Venetis velit tenere, sub his pactis: Venetos permittet tenere civitatem jadrensem cum pertinentiis; non permittet ut subditi ejus, specialiter Cacicii et Jadertini, qui exierunt ex civitate et sunt sub regis potestate, praesumant duces Jadrae, et alios Venetos molestare vel aliquam offensam et injuriam inferre; extrinsecos Jadrenses removebit a districtu jadrensi et nonensi ad 4 milliaria; nullam confoederationem faciet contra Venetos, nec impendet auxilium et consilium eorum inimicis; vicissim obligarunt se Veneti, quod, cum fuerint a rege vel eius successore requisiti, velint sicut decet amico impendere consilium et auxilium contra eius inimicos, maxime circa maritima.

Ljubić: Monum. Slavor. merid. I, 65. Farlati: Illyr. sacr. V, 95.

CCCCLIX. *A. 1244. 14. Octobris.* Bela IV rex notificat, quod ab eo missi Dionisius dux et banus totius Slavoniae, Bartholomaeus episcopus quinque-ecclesiensis, Michael comes de Varasdino et File praepositus zagrabiensis, in Dalmatiam ad sedandas dissensiones inter civitatem Spalatum et Tragurium eruptas, iidem reversi viva voce et scripto retulerint 19. Julii e. a., quod dictas

*

dissensiones ita complanaverint. 1. Capitulum et communitas spalatensis juraverunt fidelitatem regi et suo filio, et dederunt nomine observandae fidelitatis pro obsidibus sex e collegio civium suorum. 2. Quod inimicos et infideles regis in civitatem suam non sint recepturi. 3. Comitem eligent solummodo e regno et fidelem regi et non extraneum, quem comitem rex confirmabit. 4. Villam Ostrogh cum tota terra de columna supra versus Tragurium cedent Spalatenses per integrum Traguriniis. 5. Domos, possessiones et vineas, quas Spalatini possederunt in territorio Tragurii, cesserunt Traguriniis; ita reciproce isti illas possessiones, domos et vineas, quas habuerunt Spalati. 6. Item cesserunt Spalatini Traguriniis insulam s. Stephani, quam iidem Tragurini pridem possederunt. 7. Si aliqua pars contra hanc complanationem in futuro litem suscitaret, debebit solvere 1000 marcas argenti regio fisco extra poenam iudicii.

Eodem tempore conclusa est pax inter Stepconem, Nelipcium, Danielem Christophorum et Craynicum, qui fuerunt de parte Traguriensium, ex una parte, et inter Ninoslauum banum (Bosnae), Andream comitem de Chulmia, Brativoy et Vulka, Polizanos, qui fuerunt infideles regi.

Relatio missorum subscripta est per Benedictum cancellarium bani et ducis Slavoniae 19. Julii 1244. Privilegium autem confirmatorium regis 14 octobris 1244.

Lucius: Memorie di Traù in versione italica, p. 54.

CCCCLX. *Apud castrum* **Galas**, *15. Junii 1244.* Bela IV rex agnoscendo, quod grandis eminentium virorum fidelitas grandem apud illustres et magnificos remunerationis gratiam promereatur, ad notitiam omnium vult pervenire, quod Dyonisius banus et dux totius Slavoniae, a tenera adhuc aetate regis et suis pariter in servitiis fidelibus regens et dirigens gressus suos, de virtute multimodae fidelitatis multiplicium operum produxerit in virtutes, pro utilitate regis et regni personam suam et res exponendo fideliter et viriliter dubiis eventibus et fortunis, propter quae in magistrum Agazonum meruerat praefici, ab illo amplius etiam praeferendus, et ut quaedam de multis tanquam in suae fidelitatis deliciis delectando nominetenus exprimat mens regalis, in conflictu generali, quem habuit in Sojow cum gente pestifera Tartarorum in tuitione personae suae sagax et strenus extitit laudabiliter praeliando; postmodum vero cum ad partes maritimas vergeret, nunquam se a regis et suorum familiarium custodia elongavit, pro fidelitate ejus extulerat eum in banum et ducem totius Slavoniae, qui qua talis per diversimoda praelia diversa in corpore stigmata suscepit, vir strenuus, adprime dimicando, specialiter autem in proelio, quod habuit circa partes maritimas, cum traiectum fecerat; quare confert ei quasdam possessiones Deslini sine haerede decedentis, videlicet quae Urbova (Vrbovec) vocatur et Horost in crisiensi comitatu existentes, et Czerova berda in eodem comitatu. Introducitur autem in possessionem per Jaxam banum filium Isaach et Petkonem filium Wlchk de genere Kamancha. Metae terrae Horost sunt: Ab oriente fluvius Glogonicha, et tenet metam cum terra Cruciferorum s. sepulchri de Glogonicha, in meridie ad latus cuiusdam montis, superius iuxta silvam cometatur cum castrensibus de Kemluk, versus occidentem ascendit montem versus castrum Kemluk et vadit in vallem iuxta aquam Kamenchicha, versus septentrionem vinea Sepka castrensis de Kemluk; versus aquilonem pervenit ad magnam viam, quae vadit Varasdinum, et separatur a terra castrensium de Kemluk, et iuxta metam terrae Czerovo-

berdo ac iuxta metas Cruciferorum. Czerovobrdo commetatur cum fluvio Glogovnicza, cum terra Cruciferorum et per montes ascendens et descendens cum magna via, et per varias metas venit ad montem Cremenagorica; deinde ad fluvium Glogovnica, et ubi Criquina vadit in eundem fluvium. Nominatur via, quae venit de villa Cruciferorum, quae Strasischa dicitur, ad antiquum cumulum terrae qui Ettowen Cecewey dicitur. Litterae munitae aurea bulla.

Simplex copia transumpti capituli zagrabiensis de a. 1416. in mea collectione, vide Wenzel: Cod. diplom. Arpad. VII. 152. Metae terrae Urbova ommissae.

CCCCLXI. **Venetiis,** *6 Augusti 1244.* Jacobus Teupolus dux Venetiarum init foedus pacis et amicitiae cum Bela IV rege, promittens juramento, quod omnia capitula nomine etiam communis Venetiarum stricte observare velit; quod non sit recepturus inimicos vel infideles regis; nec aliquod auxilium aut consilium eis daturus; item cum requisitus fuerit a dicto rege vel ipsius successoribus, impendet consilium et auxilium contra eius inimicos et infideles, maxime citra maritima; nullam confederationem aut pactum faciet contra dictum regem, nec fieri permittet, nominatim cum domina Beatrice, uxore quondam Andreae regis et eius filio, nec nuntios ipsorum receptabit; item duas partes cribitti portae ad Jadram permittet regem et eius successores et suos homines nomine regis percipere absque inquietatione, sicut ab antiquo antecessores ipsius regis et ipse tenuerunt et perceperunt.

Ljubić: Mon. Slav. merid. I, 66.

CCCCLXII. **Budae,** *26. Augusti 1244.* Bela IV rex ad petitionem Samsonis episcopi nonensis et civium civitatis nonensis confirmat privilegium Andreae II regis communitati Nonae a. 1205 concessum, et ad omnia Dionisium ducem totius Slavoniae ipsis civibus ad ampliorem firmitatem in pristaldum deputat.

Fejér: Cod. dipl. Hung. T. VII. vol. 5. p. 267.

CCCCLXIII. *A 1244. 25. Septembris.* Bela IV rex notificat, quod comes Jacobus Obusk (Ochuck) cum fratre comite Ambrosio a tempore iuventutis ipsorum ei adhaerentes multa insignia servitia impenderint, maxime eo tempore, quo Tartari regnum hostiliter subintrarunt, in expeditione habita contra eandem gentem, laudabiliter dimicantes; postmodum propriis expensis usque maritima secuti, regiis obsequiis ubique jugiter inhaerentes, porro augendo adhuc bonorum actuum exercitia in congressu, quem contra eosdem Tartaros saepius habuit, in quo Jacobus frater eiusdem Ambrosii est interfectus, Ambrosius vero fere laetaliter vulneratus; quocirca eidem Ambrosio terram castri Quasdi Voislov vocatam in comitatu de Barana donat.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XI. 331.

CCCCLXIV. *Apud monasterium cistercensium de* **Boçan,** *2. Octobris 1244.* Bela IV rex reflectens servitia Ugolini archielecti spalatensis, quae a tenera adhuc aetate regis pariter et sua eidem, maxime circa maritima, exhibuerit, donat ipsi nec non ecclesiae spalatensi totam terram iupanatus de Zetina.

Farlati: Illyr. sacr. III, 268.

CCCCLXV. *Apud* **Segusd,** *5. Octobris 1244.* Bela IV rex notificat, quod cum comes Endre, filius Petri, de partibus Slavoniae prius patri suo (Andreae) et postmodum sibi ac etiam regno suo eximia fidelitatis opera impenderit,

specialiter eo flagelli tempore, cum regnum suum divino judicio fornax succenderat Tartarorum, regio lateri fideliter se coniungens, officiosum exhibuerit totis viribus, cum suis circa regiae custodiam maiestatis stando, quare donat ei terram Dulypchka, quae ad manus regias defuncto absque haerede Petkone de Sclavonia extitit devoluta; inque cuius terrae possessionem facit illum per Dionisium ducem totius Slavoniae introduci. Huius terrae metae sunt: Prima apud radicem rivuli Velika Dulypchka, ubi terra trium generum eiusdem Petconis excepta ab eadem terra Dulypchka et collata in quartam partem suis filiabus segregatur; versus orientem vadit in caput eiusdem rivuli; per varias metas terreas ascendendo et descendendo venit in fontem minor Dulypchka, qui separat terram castri de Rokonuk, ubi comitem eiusdem terrae nomine Vognizlov recipit sibi commetaneum, ascendens in caput minoris Dulypchka Rados vocatum; hinc inter terram comitis Endre et castri de Rokonuk tendit per montem in magnam viam, quae descendit a s. Michaele, et vadit Zagrabiam, ubi terra castri Rokonuk terminatur, et terra castri de Kemluk exoritur, ubi hominem Wolkomer filium Kuplen recipit sibi commetaneum; deinde ad fontem Velika Dulypchka ascendit montem, ubi Wydus iobagionem castri de Kemluk recipit commetaneum, descendens et ascendens ad terram iobagionis Wolkyna, deinde ad fontem Velika vize, et habet commetaneum Wolkynam cum omni sua progenie; per Velikam commetaneum recipit Jaxa bannum, et venit ad metam, ubi sunt commetanei subulci regis et centurio ipsorum Myzluna; et redit ad primam metam ad fontem Welika Dulypchka.

Has litteras confirmat rex Stephanus a. 1270 ad petitionem Lucae, Vydi, Michaelis et Petri filiorum comitis Andreae.

Codex dipl. patrius tom. VII, p. 29. Transumptum cap. zagr. d. a. 1449. in mea collectione.

CCCCLXVI. *Apud castrum* **Zala**, *11. Octobris 1244.* Bela IV rex manifestum facit, quod cum interfecto Muhor per impetus Tartarorum et nepotibus eiusdem in captivitatem ductis possessiones eorum ad manus regias devolutae fuerint, magistro File praeposito zagrabiensi et fratribus suis Thomae comiti et Petro contulisset; postmodum divina providentia liberato et reverso de captivitate filio Jacobi nepote dicti Muhor, diffiniturus esset, quid de eius fieri debeat possessione, mercantibus invicem et imponentibus a magistro Fila et fratribus suis notam infidelitatis praedicto Muhor, tandem habentes inter se amicabilem compositionem praedicti Fila et fratres sui possessionem ad manus regias statuerunt, quas rex reddendas dicto filio Jacobi decrevit, et restituit, exempta terra et silva, quam dictus Muhor ab Abel emerat, quae vicinitati terrae sancti Martini (Božjakovina) adiacet, et quam Alexius frater ipsius Muhor et idem filius Jacobi pro bono pacis magistro File et ejus fratribus bona voluntate remisit. Quod et rex roborat.

Fejér: Cod. dipl. Hung. T. IV. vol. 1, p. 342.

CCCCLXVII. *Apud castrum* **Zala**, *11. Octobris 1244.* Bela IV rex notificans, quod Michael comes de Vorosd, frater Buzad comitis, a primaevo pueritiae regis tempore exhibuerit sibi eminentia opera fidelitatis, adeo ut eius adhuc tenero lateri ardenti desiderio conjunctus, in custodia et tuicione eius personae nulli se et sua periculo exponere formidaret; postmodum autem, cum

regnum eius fornax succenderat Tharthurorum, ex multa fiducia rex ei, cor suum et animam suam, carissimum videlicet primogenitum suum ducem Stephanum duxit commendandum, qui eundem una cum aliis prolibus regis tristi tempore laetos retinens in deliciis convenientibus sanos recondidit et illaesos; demum cum rex partes maritimas adiisset idem comes Michael confinia circa Worosd et Petaviam in tantae turbationis tempore contra malefactores quamplurimos illaesa et indemnia valido brachio conservavit, ipsius quoque generatio fidelis semper extitit coronae regiae et devota, nam barones fidelissimos germinavit; in contrarium vero, quidam de Slavonia nomine Puchuna tot et tanta in regno mala perpetravit, propter quae, per diversa loca suspendi, toto regno contra ipsum reddente testimonium merebatur, clamantibus contra ipsum homicidiis multis et aliis nephandis criminibus, et specialiter sanguine magistri Ochuz filii Ochuz bani, quem inter alios crudeliter interfecit, cuius mors fecit tristiciam toti regno, quae multa et enormia crimina ipsum ad horrendae mortis periculum perducebant; verum diligens misericordiam rex, eodem Puchuna possessionibus suis omnibus iustissime spoliato, personam ipsius libere abire permisit, sub ea conditione, quod laesis per ipsum satisfaceret, cuius possessiones, videlicet Lobur, Velika, Clenovnik et Zlogonam cum omnibus pertinentiis praememorato Michaeli comiti de Worosd et suis haeredibus in perpetuum confert.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII, 157.

CCCCLXVIII. *In* Seguest, *26. Octobris 1244.* Bela IV rex notificat, quod, cum suo quondam fratri Colomano regi et duci totius Slavoniae placuerit possessionem quandam Guestene cum duabus villis Lopud et aliis pertinentiis a nobilibus Ladislao et Johanne Gykow, filiis Bothos, et Stephano ac Martino, filiis Achili de genere Chor, qui illas iure hereditario possidebant, pro sua utilitate recipere et praedio de Seguesd adiungere, in quarum permutationem idem Colomanus terras Bergna et Turnoa in comitatu saladiensi sitas, quae ab Elia filio Laurentii, crimine infidelitatis notato, atque defuncto sine haeredibus in manus suas erant devolutae, assignari faciat cum foro suo antedictis nobilibus, liberas utique ab omni exactione et immunes, ita videlicet, ut nec descensum banatus, nec collectam marturinarum, nec consimiles census solvere teneantur; igitur post mortem ducis praescriptum cambium, praedicto praedio Seguusd ad eum devoluto et sibi necessario, rati habeat, praefetas terras Elyae cum suis marturinis et mancipiis liberas conferat, sicut per fratrem eius fuit ordinatum. Quocirca conscriptae et revisae sunt quoque metae per Johannem filium Zelk, hominem Dionisii ducis et bani totius Slavoniae. Quarum prima terrae Lusa est iuxta Drawam ab oriente et cadit in stagnum, quod Mothwa vocatur, et per varias metas vadit in unam vallem, quae ducit in unam palludem Mulata, et vadit ad nemus et pervenit ad magnam viam paratam de terra; per magnum spatium eundo venit ad aquam Sturve, deinde per quendam fluvium et plures metas arboreas ad fluvium Stinicha, et ad septemtrionem ad magnum montem, in cuius cacumine est meta; et tenet metas cum filiis Christiani et cum filiis Bratke, iobagionibus castri saladiensis, et transeundo per fluvios et metas arboreas atque magnum nemus, cadit ad aquam Pzincha (?), et eundo versus Dravam pervenit ad magnam viam Warosd ad metas Mauricii, et inde versus septentrionem cadit

in Dravam; et ultra aquam tenet metas cum magno Michaele, et per aquam Dravae venit ad portum Pudosi, qui ad nobiles pertinet antedictos, et hic terminatur. Meta autem terrae Bugnae incipit in magno arbore ilyce, et tenet metam cum Cruciferis sancti sepulchri, et pervenit ad aquam Bugnae, ascendit montem et descendit ad unum fluvium, et eundo iuxta silvam ascendit montem et coniungitur metae Georgii filii Lucach, et ad unum fluvium, ubi tenet metas cum Stephano filio Pethey, et per montem descendit ad aquam Bugne et iungitur metae iobagionum castri zaladiensis de genere Mortunus, et per magnam viam ad terram Bnezevch et ad terram Vichen et terram comitis Georgii et per viam ad terminum. Terrae Turnoa, quae est intra Dravam et Muram, incipit prima meta in villa Petrislavi, quae Berzewch vocatur, apud fluvium eiusdem villae et vadit ad locum, ubi exit ad magnam viam, versus partem meridionalem et cadit ad metam, ubi est commetaneus Petrizlov, tendit ad terram magni Michaelis, quae Ledniche vocatur, et pervenit ad aquam Turnoa, et vadit ad magnam viam, et transiens eam tenet metas cum comite Georgio et cum filiis iobagionum castri de Zala, et per planitiem iterum ad aquam Turnoa, et ad magnam viam per montes et silvas ad Berzench et finem.

In transumpto capituli chasmensis de a. 1394 ad petitionem Thomae filii Petri de Seymoucz (Šemovec) et Fabiani presbiteri rectoris ecclesiae s. Trinitatis de Lyudbreg. Originale in mea collectione.

CCCCLXIX. *In* **Žabje** *(Sabya), 17. Novembris 1244.* Bela IV rex ad petitionem Stephconis filii Roberti confirmat ei empticiam possessionem Wstychernewcz (Pusti Črnec), et transmittit ad inspiciendas metas ejusdem terrae Nicolaum praepositum agriensem, ad inquirendum etiam, quo iure eadem terra ad ipsum pertinere noscatur; petito a Dionisio bano et duce totius Slavoniae fidedigno homine, exmissus est cum Nicolao Rodvey de genere Agha comitis a capitulo zagrabiensi Gregorius canonicus pro testimonio, cum quibus inquirens rescivit a vicinis et aliis nobilibus, eandem terram esse in veritate suam, cum illam a Martun, Martunus et Pousa filiis Dragus de Blina, nobilibus servientium regis pro viginti octo marcis emerit. Ejus terrae metae sunt: Prima incipit a littore Sava, ubi rivulus Chernecz cadit in dictum fluvium, vadit ad alium rivum Listouc; per varias metas arboreas venit ad antiquam viam, per quam ad novellam viam, ubi a sinistris fuerunt commetanei Blinenses, quando dictus praepositus has metas inspexit; sed quia terram Blinnensium dedit postmodum rex hospitibus de Scytiz, iidem hospites commetanei effecti sunt; a sinistris commetanei sunt monachi de Toplicha; per viam novellam venitur ad metam terrae eiusdem Stephconis, quam possidet ab antiquo, et itur usque ad fluvium Sava, transit fossatam Prevlakam, et per aquam Scephcina redit in Savam, et terminatur. Rex confirmat ipsam terram Stephconi presente Damasa villico de Scytiz (Sisek).

Tkalčić: Mon. episc. zagrabiensis, I. 82.

CCCCLXX. *Juxta castrum* **Baros** *13 mensis Novembris 1244.* Bela IV rex considerans multimoda servitia filiorum Pribac Chernae, scilicet Prodani, Protuch, Juualk, Hwlynkonis, Borimeri, Kupleni, Marini, Moinari, Hotheni, Chlapene, Sthiburi, Chedomeri, Wlkoy et Thonye, ab inicio iobagionum castri de Podgorya, quae ei et antecessoribus eius praestiterunt, confinia regni contra vicinos duces, videlicet ducem Austriae et Styriae nec non ducem Karanthiae,

laudabiliter defensando; videns etiam eximiam fidelitatis constantiam, qua sub castro Ozul suum sangwinem efiuderunt eo tempore, cum idem castrum comes Stephanus frater Baboneg contra eum (regem) detinere attemptaverat, in remunerationem horum servitiorum, et etiam ut de caetero eadem confinia contra impugnatores quoslibet melius et robustius tueantur, supranominatos quindecim a iobagionatu memorati castri, in terris eorum propriis et emptitiis, quas habent in districtu castri de Podgorja, licet non sint a castro indebite usurpati, sed solempni exinuentione (?) et publica ex regia benignitatis gratia exempti; tribuit illis libertatem, ut inter servientes regis et aulicos honeste computentur, et a debito servitio castri penitus liberati sint.

Documentum hoc transumptum est a rege Ludovico I. in Dubicza a. 1371. ad petitionem Suda et Gozthonya nobilium de generatione Stubaucha et a rege Mathia Corvino a. 1484. ad petitionem nobilis Georgii filii Nicolai Baxich de Prybych in causa habita contra nobilem Nicolaum filium Michaelis Japrycza de Japra. Mathiae litterae datae sunt Zagrabiae sub sigillo Petri Bochkay de Rasyna Kerezthur.

Originale chartacaeum in mea collectione.

CCCCLXXI. **Lugduni,** *16. Decembris 1244.* Innocentius IV papa archidiacono syrmiensi, bachiensis diocesis, ad eius preces, ut cum archidiaconatus syrmiensis redditus adeo sint tenues et exiles, quod ex eis nequeat commode sustentari, praeter ipsum archidiaconatum aliud beneficium recipere valeat.

Eandem indulgentiam concedit archidiacono budrugiensi, cum redditus sui propter saevitiam Tartarorum sint diminuti.

Theiner: Mon. Slavor. merid. I, 191. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. II, 161.

CCCCLXXII. *A. 1244.* Bela IV rex confert iobbagionibus castri Podgorya privilegium super exemptione a iobbagionatu et contributione.

Orig. in archivo comitum Drašković. Fasc. XLV. N. 1.

CCCCLXXIII **Zagrabie,** *1244.* Capitulum ecclesiae zagrabiensis significat quod cum Tristan comes ex una parte et Petrina iobagio castri de Sala ex altera, una cum Ezen curiali comite Georgii comitis zalayensis, et cum Ivan comite terrigena, ad eius praesentiam accessissent, idem Petrina fassus sit, se terram suam valentem ad V. aratra, quae sita est inter Dravam et Muram, Tristano comiti, cuius vicina est, pro 12 marcis vendidisse. Meta autem incipit de fluvio Mura ab aquilone in Popova, inde per magnam silvam contra meridiem ad fluvium Regnet, inde ad arborem jagned, deinde per campum ad magnam viam contra meridiem, et vadit ad terram filii Cachelin, inde ad terram Damasa et per terram Tristani ad Muram, ubi terminatur. In testimonium subscripti: Fila zagrabiensis praepositus, Petrus cantor, Baranus lector, Gregorius custos, Petrus decanus et caeteri fratres.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad VII. 184.

CCCLXXIV. *A. 1244.* Farcasius praepositus quinqueecclesiensis et totum capitulum notificat, quod Alexius filius Petri de genere Vya confessus sit, se terciam partem terrae Holmos cum tercia parte silvae usque aquam Hoscha Phileto praeposito zagrabiensi Petro et Thomae fratribus eiusdem pro 10 marcis argenti vendidisse et pretium recepisse.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XI, 337.

CCCCLXXV. *A. 1244.* Stephanus episcopus zagrabiensis notificat, quod cum Gregorius filius Vecheslav de genere Marc, filii Brochua de Brochina, quemdam hominem, cujus terram violenter eccupaverat, sub protectione Andreae quondam comitis de Gora regia auctoritate constitutum, in propria domo sua combussisset, ac insuper hominem regis dehonestans verberasset, pro tantae infidelitatis excessu esset ad mortem condemnatus, et laqueo suspensus, nec non et quaedam ipsius terra Drenchina praedicto Andreae comiti a rege collata fuisset, quam terram idem comes fratribus et filio dicti infidelis redimendam exponebat, nec iidem redimere valuissent, tandem emit illam S. episcopus pro 130 marcis presentibus filio eiusdem et omnibus fratribus et cognatis, donavitque Marco comiti pro fidelibus serviciis.

Ex actis e regni archivo Pestinum transmissis. N. R. A. Fasc. 1531 N. 4.

CCCCLXXVI. *A. 1244.* Erney villicus Fridericus, Marcellus, Laztisa ac omnes hospites liberae villae de Dobicha significant, quod Colomanus dux totius Slavoniae Croatiae et Dalmatiae, qui dum robore privilegii eis ab eo irrevocabiliter stabiliti, essent insimul congregati, eos rogaverit, ut religiosis viris haeremitis concederent locum in terris suis pro congregatione et residentia, eis terram et locum contulerunt, ubi vivere valeant. Cujus terrae metae hae sunt: Ab oriente super pontem Bychcha, magna via, et per cam ascendendo juxta sylvam circuit ecclesiam S. Dominici, in qua suas orationes solvere consveverunt; abhinc super montem, ubi finitur sylva, et per viam vadit versus occidentem ad longitudinem 24 ulnarum ligaturae, et versus aquilonem ad caput cujusdam aquae erumpentis, per cursum aquae in fossam usque ad nemus Chereth, dehinc iuxta nemus ad pontem Bychcha.

In Transumpto regis Stephani de A. 1270. Ex actes monasterii Dubica Fasc. I. cr. 1. e regni archivo Pestinum transmissis.

CCCCVXXVII. *A. 1244.* Bela dux et banus tocius Slavoniae, manifestum facit, quod cum Adrianus terram quandam de suis cognatis de generatione Grobie, videlicet Dragoila, Bracha, Zulupco et Milco comparasset, ipsos venditores coram duce et bano statuerit, qui viva voce veritatem facti confirmarunt; quare misit hominem suum ad terram conspiciendam et metis separandam. Quarum metarum prima incipit iuxta fluvium Lyscouch, procedendo per viam venit ad quemdam rivulum, et per varias metas terraneas redit ad dictum fluvium. Datum per manus notarii ducis et bani Benedicti.

Codex. dipl. patrius. T. III. p. 7. et T. VII. p. 31, ex archivo comitum Erdödi in Galgócz.

CCCCLXXVIII. *A. 1244.* Bela IV. rex confert Corrado filio Harmeth de gente Teutonicali pro fidelibus servitiis terras Prodawyz et Bozova ad castrum simegiense pertinentes et terram Glavatuch et Barathinth ad decem aratra exceptam de terra castri de Vord(? Vorosd?) vacuam cum marturinis eorundem. Metae harum terrarum sunt incipiendo ab arbore ilicis ad fluvium Zemerdek, deinde penes diversas arbores ad unam viam, et ad veterem viam ad partem orientis inter terras Jacobi et Nicolai, de dextra parte Corrardi, deinde ad nigram Malakam, et per varias metas arboreas exit de Kamartha et de Sa-

litha, et vadit inferius per aquam ad Grogh, inde juxta Gubylyche in Zemerdek ad Kapruntha.

Et transumpto Nicolai palatini de anno 1366. ad petitionem filiorum Jacobi filii Andreae de Kamarcha contra magistrum Stephanum filium Micuk condam bani, qui terram ipsorum Kamarcha occupaverat. Fejér. cod. diplom. Hung. T. IX. vol. VI. 289.

CCCCLXXIX. *A. 1244.* Capitulum ecclesiae quinqueecclesiensis notificat fassionem Alexii filii Petri de genera Vya super tertia parte terrae suae Halmas iuxta terram praepositi zagrab. Phile et Petri et Thomae fratrum ejus sitae, cum tertia similiter parte sylvae usque ad aquam Doscha iisdem dictis fratribus pro 10 marcis vendita.

In regni archivo. Mixta, transumpta.

CCCCLXXX. *A. 1244.* Bela IV. rex praebet suum consensum perennali fassioni Marthae viduae ac Ladislai Philipi et Gregorii, filiorum olim comitis Cleti, qua praedium suum Oryava in comitatu Posegano pro 160 Marcis magistro Bencentio filio comitis Urbaz, praefati comitis Cleti genero iure perpetuo vendiderunt, coram capitulo Quinqueecclesiensi anno 1243. celebratae.

Ex actis regni archivi Pestinum translatis. N. R. A. Fasc. 1501. N. 11.

CCCCLXXXI. *A. 1244.* Bela IV. rex confert Dionisio bano totius Slavoniae terram Worboua, quam nobilis vir Dezen sine haerede decedens tenebat. Prima meta terrae incipit a parte septemtrionali in capite fluvii Rogozna, in longo eundo venit ad pontem Nadez, deinde ad arborem Gromulchy, inde ad Bukovina, ubi cadit in fluvium Chormosna, abhinc per multas metas eundo ad fluvium Zombath, et per verticem montis ad Zobochyna. Privilegium aurea bulla munitum.

In transumpto Nicolai de Zech iudicis curiae de a. 1356., in quo multa privilegia et sententiae judiciariae de annis 1191, 1335, 1345, 1346, 1355 et 1358 de eodem terra Verbova continentur. Nova copia in mea collectione.

CCCCLXXXII. *A. 1245. 1. Januarii.* Ugolinus archielectus et comes spalatensis jurat ad honorem d. Belae regis, se retenturum cum Tragurinis veram amicitiam et societatem contra omnes homines et futuros inimicos eorum, et servaturum eorum libertatem et omnia privilegia eorum, salvo diplomate, quo rex confirmavit compositionem pacis inter eos et spalatenses. Actum in praesentia comitis Butconis et Alexandri collateralis eiusdem archielecti.

Farlati: Illyr. sacr. III, 270.

CCCCLXXXIII. **Tragurii,** *7. Januarii 1245.* Temporibus Treguani episcopi Traguriensis, Stepconis comitis, Stephani de Picica potestatis Traguriensis. Sira archipresbiter, Gausinna primicerius, Thomas filius Dabren, Vita Kerne, Bive Pelegrini, Marinus Prodani, Petrus nepos Duchiae, Dabragna filius Matichae, Cassa major, Desa filius Mile, et Joannes Kilb, orti de cognatione olim Vitacae, cum reliquis propinquis et fratribus, confitentur, se pura voluntate contulisse terram suam sitam infra territorium praedii Drid apud Rastinicium monasterio s. Domnii et Nicolai jure perpetuo possidend m pro remedio animarum omnium eorum, qui in praedicta terra sortem aliquam habuerunt. Facta est haec concessio cum domina Dessaza filia Gregorii, abbatissa. Praesentibus Urso archidiacono, Marino Petri sacrista, Innocentio

et Prodac presbyteris, Jacobo Ditigo et magistro Gregorio diaconibus et canonicis ecclesiae S. Laurentii, Petro de Luca, Nicolao Stocca Matiza, Paulo filio Dragani, Cibrae Cassarizzae dictae domus iupano, Jacobo Dabranae, Marino Rugae, Donato Saladini, Sabae Husmaro, et pluribus aliis tam clericis quam laicis. Gausinna primicerius et notarius scripsit.

Lucius. Memorie di Trau. p. 491.

CCCCLXXXIV. **Almissae,** *5. Martii 1245.* F[redericus?], Nicolaus filius Chodimiri comes Almisi de voluntate totius communitatis Almisii, videlicet comitis Pribislavi, Osor, Jurae Rados filii Bogdanci, Slomiri, Prodani filii Dragani et aliorum — iurant tenere bonam pacem cum Ragusinis et omnibus, qui sunt sub Archiepiscopatu eius, usque ad nonam generationem, et qui sunt sub comitatur ejus, et salvare et manutenere illos cum omnibus rebus ubicunque eos invenient super mare et super terram. Et ubicunque invenirent lignum de Ragusio, venient ad illos cum puppis et accipient ab illis quaecunque voluerint dare super terram. Si aliquis de Almissa fecerit damnum Ragusaeo et iste venerit Almissam quaerendo justitiam et Almisanus ceciderit, omnes despensae, quas fecerit Ragusaeus, componantur ei cum toto damno. In omni ligno de Ragusio sit extraneus salvus sicut Ragusaeus. Et si fuerit Ragusaeus cum extraneis, debet esse sanus cum omnibus rebus suis. Et si pyrata captaret aliquod lignum de suis inimicis, portet eum foris et non ante Ragusium. Et si lignum extraneum steterit in Zaro cum austro, erit salvum; et si steterit in Malonto cum borra, erit salvum, et similiter de porta Stannu usque Ragusium. Et si rex Ungariae venerit super Ragusium et praeceperit Almisanis ire secum, illi venient, cum aliud facere non possunt. Juravit comes Nicolaus filius Chodimiri cum 100 hominibus de Almissa, et insuper juravit Desco pro commune Almissi. Et hoc sacramentum fecerunt cum capitaneis exercitus Ragusiensis, nomine totius exercitus et communis Ragusii. Nomina capitaneorum: Petrus Ballislavae, Bubania Petri, Dobrana Lampredii, Calenda Cernechae, Teodorus Bubatiae. Nomina comitum galeae: Russinus Bayslavae, Grubessa Ballislavae, Petrus Mathaei, Petrana Bunde, Diaconus Ceperna jur. notarius Almissi scripsit (in stylo barbaro).

Ljubić Mon. Slav. merid. I. p. 67.

CCCCLXXXV. **Almisii,** *5. Martii 1245.* Nicolaus filius Chodimiri comes Almisii voluntate omnium parentum et totius communis, videlicet comes Pribislavus, Osor, Jura, Rados, filii Bogdanec, Slomiri, Prodan filius Dragani, et aliis iurant, se velle observare firmam pacem cum omnibus hominibus Ragusii usque in nonam generationem. Insuper iurat Desco pro toto corpore Almisii; et sacramentum faciunt cum capitaneis Ragusii. Et hi sunt capitanei: Petrus Ballislave, Bubania Petri, Dobrona Lampredii, Calenda Cerneche, Theodorus Budaziae. Et haec sunt nomina comitis(um) galeae: Russinus Gayslave, Grubessa Ballislave, Petrus Mathaei, Petrana Bunde, Cernocae, Josda, Dobrona, Nerina, Milos, Crela, Drasco, Cranissa, Bela, Miloje, Gledavec, Matheis, Vassemir, Velcoslav, Cibram, Radoie, Velcoslav, Perven, Juni, Ceperna, Pousca, Desses, Bogdan, Alexi, Velce, Radomir, Bodam, Dobroit, Dobrina, Cectico, Petrus, Mirsa, Vsemir, Dragan, Petrus, Dragovan Georgii, Buden, Grubessa, Grisogonus, Bitos, Gradina, Velicna, Bellem, Radoslav, Radoie, Budina, Slavomir, Desimir, Osriona, Gostissa, Cranut, Dessirad

Pupec, Radoslav Georgii, Milen, Qualec, Lubimir, Raddovan, Desco, Radonec, Damian, Radun, Vlcoslav, Calota, Dragotin, Lutec, Mica, Raden, Dragebrat, Michael, Pascha, Stanec, Dragoslav, Crevatin, Ozicha, Dradicin, Millessa, Belen, Bellos, Budina, Dragoj, Minsa, Valtos, Jacobus, Volcina, Belco, Zancul, Dobren, Raden, Desco. Diaconus Ceperna juratus not. Almissii scripsit

Ex archivo aulico vindobonensi. Acta Ragusana.

CCCCLXXXVI. **Zagrabiae,** *22. Martii 1245.* Capitulum ecclesiae Zagrab. testificat, quod Martin, Pousa et Martinus filii Dragos, item Jacou Stephcou, Jakus et Gerdona, filii Predislai, ab una, altera autem ex parte magister Stepco filius Roberti comitis, haeres Martini, possessionem ipsorum Chernehtu cum omnibus pertinentiis vendiderint eidem Stepconi et eius haeredibus pro LXXXX. marcis denariorum. Astiterunt huic venditioni: Ivan, Jurk et Milona filii Orkun, Martum filius Vlkoy, Wlkovay fiilius Wlk, Dotlesyn, Donether, Prehizda filii Hertesa, Chernel, Lecuchin, Borilo filii Cherneht, Grobez, Radizlav filii Odola, Zurian, Borislav, Thomas filii Zurislav, Wlkoyna filius Wlcheta, Jurk filius Merge, Gerdesa et Georgius filii Gerdimer, Mathe filius Wlk, Junk filius Junasa et Myco filius Borz, qui venditionem ratificarunt. Metae: rivus Chernehtun, ubi cadit in Zavam, fluvius Lyztouz ad quodam nemus paludosum et per varias metas arboreas et per viam ad fluvium Chernehina ad silvam Megnaknea, per unum potok usque ad Piavihcna lacum, et ad fluvium Corita intrat unum chret et per unum Strusez ad fluvium Savae.

Tkalčić Monum. episc. zagrab. I. 83. Wenzel. Cod dipl. Arpad. VII. p. 202.

CCCCLXXXVII. *1245. 23. Martii.* Bela IV. rex notificat, quod cum arduis quibusdam impulsus negotiis ad partes accessisset maritimas, et ad civitatem Tragurii venisset, Treguanus episcopus loci cum clero suo, nec non Cherne Carbonis rector et iudex civitatis et universi cives occurerint cum omni apparatu laudis et solemnitatis, et obtulerint ei omnia, suscipiendo eum honorifice una cum eius pluribus, qui de regno Hungariae et Slavoniae a facie Tartarorum effugerant, diutius eum detinentes, multa deliciarum genera administrantes, quod iam merito non solum fideles sed fidelissimi possint appellari, quapropter eis non tantum antiqua privilegia confirmat, sed et metas terrarum civitatis specificat. Quarum nomina sunt haec: monasterium s. Petri de Clobouzo cum pertinentiis, villa Biacy cum toto territorio, ecclesia s. Georgii cum territorio, pascua Bivuli, campus Tragurii cum omni introitu et exitu et totum Mezolinum usque ad Smoquize. Inter subscriptos: Dionisius banus Slavoniae et maritimarum et Stephanus episcopus zagrabiensis.

Ex archivo dei Frari Venetiis. Libri commemorialium II. 430.

CCCCLXXXVIII. *In* **Berberio,** *11. Aprilis 1245.* Bela IV rex ad petitionem civium et comitis de Sebenico confirmat privilegium patris sui regis Andreae a. 1221 eis concessum, praesentibus Benedicto archiepiscopo colocensi et aulae cancellario, Ladislao bano totius Slavoniae, Dionisio palatino et comite syrmiensi.

Fejér: Cod. dipl. T. IV, vol. I, p. 394.

CCCCLXXXIX. *Apud monasterium cistercitarum in* **Toplitz,** *20. Aprilis 1245.* Bela IV rex notificat, quod considerans multimoda servitia comitis Prinz, filii comitis Regnaldi, quae a primis pueritiae suae et regis temporibus

continuata fidelitate impendit, tam in corpore regni quam in partibus Russiae et in terra Aszani, ac in terra etiam Teutonica, nec non circa partes maritimas strenue dimicando sub regio vexillo, confert ei terram Bille commetaneam terrae suae Knysa, quae habitatoribus eius e medio sublatis vacua mansit, in comitatu zaladiensi, quam pater eius Andreas patri ejusdem Prinz Regnaldo contulerat, et per comitem Marcum filium Lucae comitis de novo introduci fecit.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. T. VII. p. 191.

CCCCLC. **Lugduni,** *22. Aprilis, 1245.* Innocentius IV papa episcopo zagrabiensi specialem tribuit favorem, ut nullus delegatus vel subdelegatus, executor aut conservator, auctoritate sedis apostolicae vel legatorum ipsius, in illum vel ecclesiam suam, excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententias valeat promulgare, absque mandato sedis apostolicae speciali.

Tkalčić: Mon. episc. zagr. I, p. 84.

CCCCLCI. *1245. 26. Aprilis.* Bela IV rex notificat, quod comes Hudina, a multo tempore grata ei impendens servitia, se et sua ad regis beneplacitum exponendo, de virtute in virtutem gradiens, eo maxime tempore, quo subita Tartarorum irruptio grave dispendium regno ingessit, regi cum suis ultra Dravum profectis pro suo posse per omne temporis spatium, quo moram rex ibidem traxerat, fideliter affuit, non pensatis laboribus et expensis, tandem regi versus maritima progresso, idem comes personam suam viribus contra Tartaros antedictos saepe ac saepius exponere non expavit, laudabiliter praeliando, ubi etiam inito conflictu cum iisdem post multorum cognatorum suorum necem, et post multiplicem cruoris sui effusionem maximam regis multitudinem ab hostili impetu defensavit; porro cum rex de maritimis rediret, idem comes eundem et suos honestate acceptans effudit largiter quidquid erat opportunum, pro istis obsequiis rex illum cum quatuor consanguineis suis Petro, Bogdano et Potochirio in aulicos et servientes recipit speciales, et terram illis Vyscuz ultra Dravam in comitatu simigiensi donat, et per Ladislaum palatinum et comitem simegiensem introduci facit. Metae terrae: aqua Ribinac versus orientem ad aquam Ratcha, ubi tenuit metas cum Alexandro filio Moys, in parte orientali cadit in aquam Chasma, et tenet metas cum populis de Garig; inde per Chasmam ad pontem, ubi est magna via et tenet metas cum episcopo zagrabiensi deinde a Chasma ad aquam Churnuc (Černec), et tenet metas cum populis Chesmicze, versus septemtrionem tenet metas cum Dionisio bano, deinde de Churnuc tendit ad aquam Musina et pervenit ad campum et ad magnam viam, versus orientem tenet metas cum filio Borich bani, et de via versus meridiem ad campum, et ad caput Ribinac, ubi tenet metas cum dicto filio Borich bani, et ibi terminatur. Dutum per Benedictum archiepiscopum colocensem et aulae cancellarium. Inter magnates: Stephanus episcopus zagrabiensis, Dionisius banus totius Slavoniae, Stephanus magister agazonum et comes de Vrbaz.

Mikotzi: Series banorum. Tkalčić: Monum. episc. zagr. I, 84—6.

CCCCXCII. **Lugduni,** *2. Maii 1245.* Innocentius IV papa tribuit episcopo et capitulo zagrabiensi indulgentiam, ut ad receptionem seu provisionem alicuius per illius litteras generales seu legatorum apostolicae sedis non possit invitus cogi.

Tkalčić: Mon. episc. zagr. I, p. 86.

CCCCXCIII. *1245. 13. Maii.* Frater J. de Metis, magister militiae templi per Ungariam et Sclavoniam, notificat, quod terram quam sanctus Georgius (monasterium) in Geçka habet, emendaverit (in metis): Prima meta est arbor fagus in Tepte; inde progrediens ubi dividitur una via ad Goriçam, alia ad curiam eiusdem monacis (sic); inde ad arborem plathanus sclavonice topol; inde ad stagnum aquae; inde, ubi jungitur terra de Goriça cum terra monacis, in capitibus; inde per viam ad Miscinam Coriçam ad putheum; inde per cursum aquae, cujus dimidia pars templariis, dimidia monacis pertinet; in media aqua est lapis; inde usque ad montem ad primam metam; in monte autem debent pascere et seminarc monaci tanquam soli patroni. Actum per consilium fratrum illius temporis praeceptorum, et quidem fr. Johanne praeceptore segniensi, fr. Bernardo praeceptore de Gaçka, fr. Petro milite de Borgona et tempore abbatis Johannis Pristaldus est Vel filius Dragosci et Dimnoslau filius Chrançi. Temporibus quoque regis Belae et L(adislai) bani. Sigillum magistri templi pendens.

Originale in mea collectione.

CCCCXCIV. **Tragurii**, *15. Maii 1245.* Temporibus Treguani episcopi traguriensis, Stepconis comitis et Stephani de Picica potestatis traguriensis, Stana relicta quondam Helye filii Grubessae comitis confitetur, se dedisse Michaeli filio Bratossy, Choteno filio Voykonis, Radossio filio Dragovani et Bratossio filio Cricae de Clissa de voluntate Gregorii sui filii ad reparandum duo molendina quondam viri sui, posita in una domo apud Salonam, sub specificatis in documento condicionibus. Testes: Stephanus potestas, Jacobus Dabranae et Valentinus filius Petri de Luca. Nicolaus Alberti examinator manum mittit. Causina primicerius et notarius tragurinus scribit.

Originale in mea collectione. Carta parva in pergamena.

CCCCXCV. ***Apud* Albam**, *19. Maii 1245.* Bela IV rex ad petitionem fratris Arnoldi magistri domus s. sepulchri de Glogoncha (Glogovnica) confirmat privilegium Andreae II regis, patris sui, de a. 1223. super donatione terrae Laga.

In archivo regni Croat. Acta soc. Jesu de Zagrabia. Fasc. VIII. N. 1.

CCCCXCVI. **Spalati**, *5. Junii 1245.* Ugolinus archiepiscopus et comes spalatensis iurant supra s. evangelia, ad honorem Belae regis, tenere in futurum veram amicitiam cum Tragurinis et fraternitatem contra omnes homines; et erunt amici amicorum et inimici inimicorum eorum, et firma habere volunt privilegia eorum. Factum in praesentia comitis Butconis et Alexandri colateralis dicti archiepiscopi.

Lucius: Memorie di Traù, p. 64.

CCCCXCVII. *A. 1245. 8. Augusti.* Bela IV rex confert iure perpetuo Moys filio Moys palatini terram Zdench ultra fluvium Drawa in comitatu simigiensi iuxta Garig et Gordova existentem, sub metis declaratis.

Fejér: Cod. dipl. Hung. T. VII. vol. 3, p. 27.

OCCCXCVIII. **Lugduni**, *18. Augusti 1245.* Innocentius IV papa mandat archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus etc. per regnum Hungariae et Ystriae, Slavoniae, Croatiae et Dalmatiae, ne fratres minores amplius mo-

lestent et gravent; strigoniensi autem et colocensi archiepiscopis et zagrabiensi episcopo mandat separatim, ut ad omnia praedicta servanda quemlibet compellant.

Theiner: Monum. vet. Hung. I, p. 198.

CCCCXCIX. **Lugduni,** *17. Septembris 1245.* Innocentius IV papa injungit archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus etc. per regnum Hungariae, Serviae, Gallitiae, Slavoniae, Croatiae et Dalmatiae constitutis, ne amplius molestent fratres praedicatores et gravent.

Theiner: Mon. vet. Hung. I, p. 200.

D. *1245. 12. Decembris.* Bela IV rex manifestat, quod cum Abraam et Nicolaus filii comitis Nicolai, Thomas et Bartholomaeus, filii Thomae comitis, ab eadem consangvinitatis linea descendentes, a flore pueritiae, et tempore juventutis ipsius regis Belae et suae fidelitatis obsequia ei impendissent, variis casibus se et sua pro illo exponendo, tum legationes in remotis partibus ultra terminos regni apud amicos et extraneos studiose exequendo, tempore porro persecutionis Tartarorum in bello campestri cum praefata gente inito vulnera laetifera recaptando, tandem circa maritima, multis recedentibus, de quibus rex firmam gerebat spem, eundem secuti, virtutem virtutibus cumularint, et propriis laboribus et expensis non parcentes, continua fidelitatis opera exercere non cessarint, quia complures regni nobiles et plebeios ab incursibus praedictae barbarae gentis enormibus suorum effusione sanguinum deffensantes, utpote fideles et experti, laudabiliter conservarint: in recompensationem tantae fidelitatis ipsis terram Rokonuc (Rakovec) in ducatu Slavoniae sitam confert, et eos per magistrum File praepositum zagrabiensem introduci facit. Ipsa siquidem terra vacua quondam et deserta Martino bano filio Waic ex donatione regia fuit collata, postmodum ad Robertum quondam archiepiscopum strigoniensem, abhinc ad Posam banum, a quo ad Ocuz (Okić) banum, et ab illo ad fratrem regis Colomanum, regem et ducem Slavoniae, emptionis titulo extitit devoluta; tandem Colomano mortuo ad manus regias reducta. Metae autem terrae sunt: a fluvio Lana (Lonja), ubi cadit in fluvium Crachous, et per vallem ad unum Berch, per quod egreditur ad vallem, quae vadit in parvum rivulum; unde cadit ad flumen Priscisna, et per unam vallem ascenditur iterum ad unum Berch et cadit ad flumen Rodovicsa, et per plures metas ad terram populorum castri Kemluk ex una parte, ex altera ad aliud Kemluk populorum dominae reginae et conterminatur terrae Rokonuk; iterum ad viam, per quam vadit in vertice unius Berch descendendo cadit ad magnam viam, et continuatur ex parte Dubluzca populis Endre filii Petri, et ex altera Volomer, et iterum ed Rokonuk; porro transiens eandem viam ad Berch, et per sylvam cadit in vallem Scuha Dublizca, quae cadit in magnam Dublizcam, et conterminatur populis Endre et populis dominae Bentichec; et iterum ad Ruconuk; et per fluvium Dubluzca inferius in eadem aqua tenet metas cum Petro et cum populis castri crisiensis; et per eandem aquam ad Gustovig, et per eandem aquam Dubluzca ad viam exercitus usque orientem, ubi conterminatur terrae subulcorum domini regis; hinc vadit ad flumen Scolnuk, et vadit per caput in medium campi et hinc ad Roconuk; porro vadit ad fluvium Lana et conterminatur terris cruciferorum, et iterum terris comitatus Moravcha. Litterae hae sunt aurea bulla roboratae. Per manus Benedicti archi-

episcopi colocensis aulae cancellarii. Inter praelatos et magnates: Stephanus episcopus zagrabiensis, Ladislaus banus et dux totius Slavoniae, Bogomiro comite de Zala etc.

Ex actis e regni archivo Pestinum ablatis N. R. A. 1501. N. 13.

DI. Lugduni, *22. Decembris 1245.* Innocentius IV papa commendat archiepiscopo et clero jadrensi fratres ordinis praedicatorum, qui Jadrae nondum locum congrum potuerant obtinere.

Farlati: Illyr. sacr. T. V. p. 76.

DII. *Juxta* Bors *super* Granum, *1245.* Bela IV rex notificat, quod comes Stephanus, aulae regiae iudex, a tempore adhuc pueritiae suae patri eius Andreae regi et fratri Andreae duci Galitiae, ac ipsi regi digna impenderit obsequia tam in pestifero Tartarorum adventu circa partes maritimas quam ubique locorum penes regem, exhibuitque se fidelem, propter quae in magistrum Agazonum et nunc in iudicem aulae provehi meruit; in plenam autem recompensationem servitiorum confert ei terram Halasz, ubi quondam fuerant castri piscatores, terram porro Timor et magnam villam, a castro Szobolch exemptas.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. T. VII. p. 187.

DIII. *A. 1245.* Stephanus episcopus zagrabiensis ad petitionem capituli chasmensis statuit firmiter, ut canonici dicti capituli, sive sani, sive in articulo mortis, testamento liberam de suis facultatibus et rebus habeant disponendi facultatem; si tamen aliquis intestatus decesserit, ipsius res et facultates in episcopi cedunt dispositionem; redditus etiam decessi canonici, qui infra triginta dies percipi debent, ad usum familiae eiusdem de medio sublati integraliter administrentur.

E transumpto et confirmatione Jacobi episcopi de a. 1346. et Eberhardi episcopi a. 1401. In archivo capituli chasmensis Varasdini.

DIV. *A. 1245.* Stephanus Pakosy fatetur coram capitulo quinqueeclesiensi. se duas sessiones iobaggionales in possessione Ujlaki (Ilok) Joanni Vardy vendidisse.

In archivo comitum Drašković. Fasc. XXII. Nr. 1.

DV. *A. 1245.* Bela IV rex, ad instantiam Arnoldi magistri domus s. sepulchri de Glogoncha, confirmat donationales litteras Andreae II regis de a. 1223 elargitas fratribus s. sepulchri de Polonia super terra Laga (Tkalec), in Slavonia, pertinentiisque castri Kriss sita.

In actis soc. Jesu colleg. zagr. Fasc. VIII.. N 1.

DVI. *1246. 15. Januarii.* Bela IV rex notificat, quod magister Iwan et Lyter filius Lyter a primaevis pueritiae suae et regis temporibus fidelia ei opera impenderint, maxime eo tempore, quo Tartari regnum acerbe flagellarunt, adhaerentes tunc Benedicto archiepiscopo colocensi et aulae cancellario; procedenti etiam regi versus partes maritimas regni praestiterunt fidelia servitia, quocirca ipsis, cum copiam terrae non haberent, medietatem terrae speculatorum regis de Wolcov, quae Mihali appellatur, in perpetuum confert, et per Eduardum comitem de Wolcov, in possessionem introduci facit. Comme-

taneus ipsorum terrae est ab oriente Emsa konesius, abhinc a capella b. v. Mariae procedit superius iuxta Scoham et medietatem terrae Mihali, unde revertitur ad primam metam.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. p. 209.

DVII. *1246. 9. Aprilis.* Bela IV rex notificat, quod Hudina comes, cum suis cognatis Gurka, Peter, Bogdan et Bothochin, coram illo conquesti sint, quod pro terra Wyskust (Vizköszt) in comitatu simegiensi sita, quam eis rex ob fidelitatem et multimoda servitia contulerat, banus unumquemque ipsorum singulariter compelleret, tam suo exercitui, quam regio, officium exercitus exhibere; sed cum terrae dictae utilitas tanti servicii laboribus et expensis non suppetat, praebet illis gratiam, quod de dictis quinque iobagionibus regio et bani exercitui, unus eorum cum equis et armis decentibus servire teneantur.

Liber privileg. in archivo archiepiscopatus zagrabiensis, p. 57. Tkalčić: Monum. episc. zagr. I, 87.

DVIII. Lugduni, *7. Julii 1246.* Innocentius IV papa scribit episcopo traguriensi, se recepisse querelam cleri et populi sibenicensis, tragurensis dioecesis, quod spalatensis electus (Hugrinus) ante confirmationem obtentam, propria temeritate in eos excommunicationis sententiam promulgaverit, unde mandat ei, si ita est, ut promulgatam sententiam denunciet esse nullam.

Farlati: Illyr. sacr. T. III. 270.

DIX. Lugduni, *19 iulii. 1246.* Innocentius IV. papa, cum ei per episcopum bosnensem esset propositum, quod cum dudum ecclesia eius bosnensis lapsa sit in haereticam pravitatem et . . . ragusinus archiepiscopus, eo tempore ipsius ecclesiae metropolitanus, quemdam haereticum in episcopum praefecisset ibidem, quodque in ecclesia nonensi dioecesis officia non celebrarentur divina, quod ille scienter tolerasset, eumdem praenestinus episcopus tunc sedis apostolicae legatus, cognito archiepiscopi excessu, praefatam bosnensem ecclesiam ragusiensi ecclesiae subtraxerit, et archiepiscopo colocensi subiecerit, qui pro extirpatione haereticorum magno expensarum onere laborabat; unde idem colocensis archiepiscopus et rex Ungariae supplicarunt a pontifice, ut ille quoque praedictam ecclesiam bosnensem ecclesiae colocensi subiicere curaret; quare mandat abbati s. Martini de Monte Pannoniae et decano thesaurario ecclesiae vesprimiensis et jauriensis, quatenus inquirant super veritatem rei et ei rescribant.

Farlati: Illyr. sacr. T. VI, p. 98.

DX. Lugduni, *3. Augusti 1246.* Innocentius IV. papa mittit archiepiscopo colocensi signum crucis contra haereticos bosnenses, conceditque ei, ut possessiones haereticorum occupatas possit concedere fidelibus et eorum haeredibus.

Theiner: Mon. vet. Hung. I, p. 202.

DXI. Tragurii, *5. Augusti 1246.* Temporibus Treguani episcopi, Stepconis comitis, Petri Lucae et Nicolai Albertini, iudicum traguriensium, praedictus episcopus fecit cautionem, quia cum suae sedis honorem non debeat minuere aliquatenus sed augere, idcirco profitetur, quod sententiam, quam dudum Ugolinus archiepiscopus et comes spalatenses super institutione et destitutione archipresbiteri et abbatis sibenicensis, quos in eodem oppido constituerat, absque consilio et assensu ejus promulgaverat, ratam sit habiturus in perpe-

tuum. Testes: Sisa archipresbiter, Dragus et magister Georgius canonici traguriensis, Petrus et Nicolaus iudices et Valentius Casarizzae. Joannes Casiotti examinator manum misit, Gausinna primicerius et iur. notar. scribit.

Farlati: Illyr. sacr. IV. p. 342.

DXII. *6. calendas Decembris 1246.* Bela IV. rex Hungariae, Dalmatiae Croatiae, Sclavoniae etc. manifestat, quod considerans multiplices fidelitates et servitia, quae Alexander comes, filius Demetrii, de genere Aba, immo primo pater eius praefatus Demetrius, patri suo regi Andreae exhibuit in eo, quod, quando pater eius cum quibusdam christianissimis regibus ultra mare magnum ad expugnandos Saracenos pro recuperatione s. sepulchri Salvatoris accessisset, idem Demetrius, tunc magister regis et dapiferorum suorum existens, cum eodem rege solemniter et honeste transmeaverit, ubi coram oculis patris regis in primo conflictu cum Saracenis, prae omnibus et ante omnes in turmam Saracenorum irruens, fratrem Suldani Babiloniae, ducem exercitus, lancea transfixit, cuius caput amputando coram caeteris regibus sociis suis cum patre regis existentibus solemniter praesentaverit; idem in secundo conflictu duos milites Suldani manu propria sagittis penetraverit; praeterea in tertio bello, cum rex inire voluisset, custodes exercituum eorum, qui vulgo Eur dicuntur, quosdam ex ipsis patris regis captos adduxerit, quosdam vero occiderit; exhibuit etiam alia servitia, quemadmodum rex Andreas regi Belae et praelatis ac baronibus regni sui recitabat oraculo vivae vocis de gestis et obsequiis magistri Demetrii; exhibuit etiam filius eius ipsi regi Belae multa servitia. Primum quando Tartari innumeri regnum invaserunt, praefatus Alexander comes tamquam fidelissimus custos viriliter adstitit regi, et nisi inibi ipse fuisset, forte rex vitam finivisset; et quando rex ante Tartaros iter ad partes maritimas recepisset, idem Alexander regem non reliquit; et cum ipsi Tartari regem usque ad mare investigassent, idem Alexander cum eisdem diligenter bellum propter tuitionem regis inchoavit, et sic rex per ipsorum bella ab ipsis Tartaris evasit; quorum Tartarorum Vul, qui capitaneus ipsorum esse dicebatur, idem Alexander, rege intuente, sagitta penetravit, et ibidem multa gratiosa obsequia exhibuit. Rex igitur ei pro remuneratione quasdam possessiones donat, scilicet terram castri sui de Valko, Adrian vocatam, et aliam castri de Budologh Csatar in comitatu de Baranya. Datum per manus Benedicti archielecti colocensis aulae cancellarii; existentibus Ladislao palatino, comite simegiensi, Dionisio bano totius Slavoniae.

Fejér: Cod. dipl. T. IV, vol. I, p. 117.

DXIII. **Venetiis,** *7. Octobris et 7. Decembris 1246.* Ordinatum fuit in consilio maiori, quod dux cum suis consiliariis non possit dare licentiam comitibus et consiliariis de Dalmatia standi vel morandi extra comitatum, nisi de voluntate et consensu maioris partis consilii maioris.

Ljubić: Mon. Slav. merid. X, p. 68.

DXIV. *A. 1246.* Stephanus episcopus zagrabiensis, cum ecclesiam b. Mariae in villa Ivanich construxisset et in eandem moniales convocasset, eaedem donationes factas inutiliter dissipantes, non habita ab eo licentia, recesserunt; tum ad petitionem Belae regis et reginae adduxit in eandem ecclesiam alias sanctimoniales, quibus omnes decimas populorum novae villae Ivanch (Ivanich), tam segetum quam vini et porcorum et agnorum et hedorum, ac apum et

*

gallinas, et decimas lini, quae kitta vocantur, et tributum fori concedit; praeterea dat illis eandem terram, quam priores dominae in Iwanch possidebant. Cujus metae prima terra iobagionis episcopi Povk, per varias metas ad fluvium Chemernicza ad locum, ubi est molendinum Radomerii, inde ad molendinum Scytk super eundem fluvium, et penes quosdam rivulos et metas arboreas ad primam metam. Item dat illis duo mancipia cum filiis et filiabus et curiam cum domibus et aedificiis prope ecclesiam S. Mariae. Datum per manus magistri Petri archidiaconi de Kemluk.

Tkalčić: Monum. episc. zagrab. I. p. 88.

DXV. *A. 1246.* Bela rex IV. declarat, quod, quia pater ejus Andreas rex Bohma filium Gyurk, cuius attavum similiter Bohma pro fidelitatibus exhibitis progenitoribus suis, Petrus, qui quondam regni gubernaculum obtinens, nomen regis usurpaverat sibi, et terram Turuch ipsis auferens cum suis proximis expulerat, dum pro defensione terrae sanctae cum caeteris regibus et ducibus christianis mare transivissent, in acie et sub vexillo ducis Poloniae per sua acta virtuosa et fidelia servitia, suos progenitores sine eorum excessibus de regno Hungariae expulsos extitisse, recognoscens in regnum suum reduxerit, et terram Turuch ei restituit; sed cum populi in ipsa terra existentes, defuncto ipso Bohma in partibus Slavoniae in servitiis regis, contra Leustach filium Bohma et suos proximos querimonias frequentius porrexissent, confert rex in concambium alias terras dicto Leustach et illius haeredibus, et suis proximis, ex quorum gremio aliqui in proelio cum Tartaris commisso extiterunt interempti.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. T. VII. p. 207.

DXVI. *1247. 7. Januarii.* Capitulum chasmensis ecclesiae significat, quod dum possessiones Machariae filii Stephani, eodem Macharia et filiis suis iam viam universae carnis ingressis, ad manus suorum consanguineorum Gregorii et Thomae filiorum Thomae, Petri pueruli, filii quondam magistri Petri et Andreae fratris eiusdem fuissent devolutae, iidem pacificam fecerunt inter se divisionem. Terrarum prima meta est iuxta fluvium Chasma, in priore divisione Thomae bani et Stephani, et tendit ad metas orientales usque ad metam filii Petri, et transiens in inferiorem partem fori intrat in fluvium Ebsev; item terra existens inter fluvios Zova et Lana, quae contigit Thomam et Andream; item quarta pars terrae ultra Zovam versus ecclesiam S. Martini, quae contigit eisdem T. et A. et tres partes terrae ultra Zovam versus meridiem contingunt Gregorium et Petrum filium Petri; item quarta pars Patka in Hungaria existens ad partem meridionalem contigit Gregorium et Petrum filium Petri. Et haec divisio facta est super terram de Munuzlov. Existente Philippo episcopo zagrabiensi, Zozima praeposito, Paulo lectore, Jacobo cantore, Lucha custode.

Cod. dipl. patrius t. VIII. p. 33. Ex archivo comitum Erdődi in Galgocz.

DXVII. Lugduni, *29. Januarii 1247.* Innocentius IV. papa monet regem Hungariae, ut contra haereticos bosnenses procedat, promittens ei, se super facto terrae bosnensis nil penitus decreturum, nisi de suo consilio et assensu.

Theiner: Monum. vet. Hung. I, p. 202.

DXVIII. *In* alba Regia, *9. Februarii 1247.* Bela IV. rex mandat capitulis chanadiensis et orodiensis ecclesiae, ut ad petitionem comitis Pongracii, filii

Kelemenus bani, de genere Chanad, metas terrarum eiusdem in comitatibus orodiensi, chanadiensi, temesiensi et syrmiensi revideant, et circumscribant. Inter caeteras terras Narad in Syrmia.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. p. 220.

DXIX. *1247. 11. Februarii.* Odola filius Preden e Krajina promitit suos Krajinenses cum Ragusinis aeternam habituros pacem, Almissanis contra Ragusinos auxilium non daturos; Ragusini iurant se Krajnensibus iniuriam non factures. Krajnensis vero comes Držimir, cum generatione Djedomirić, cum Ježebodec et Tvrdjenić et Bjelimir et Stojanić et Gradiša Hodimirić et nepos eius Razmjen Vlkasić, confirmant nomine communitatis suae juramentum Odolae.

Miklosich: Monum. serbica p. 31.

DXX. **Lugduni,** *13. aprilis 1247.* Innocentius IV. papa confirmat praeposito et capitulo Csasmensi ecclesiae zagrabiensis possessiones ab episcopo zagrabiensi eis donatas.

Theiner: Mon. vet. Hung. I. p. 204.

DXXI. **Lugduni,** *17. Aprilis 1247.* Innocentius IV. papa intimat spalatensi, jadrensi et ragusino archiepiscopo, quod diaconum cardinalem S. Mariae in via lata ad partes eorum cum plenae legationis offitio miserit; unde eis mandat, ut eum honorifice et devote suscipiant.

Ex transumpto bullario archivi Ragusini. MS. p. 430. in mea collectione.

DXXII. **Lugduni,** *11. Julii 1247.* Innocentius IV. papa archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus etc. per Slavoniam, Dalmatiam et Histriam constitutis iniungit, ut episcopo aretino marchiae anconitanae in procurationibus subvenire curent.

Theiner: Monum. Slavor. merid. I. p. 77.

DXXIII. **Spalati,** *27. Julii 1247.* Tempore Hugunis archielecti et comitis spalatensis, nobilis viri Butich potestatis, Slava, relicta Andreae Segarelli, pro anima viri sui et sua tradit monasterio S. Benedicti post obitum suum mediam terram positam ad callem strictum in perpetuum; sed ut vita sua ipsa terra remaneat in illius potestate. Testes: Desa Broce, Clodimir filius Bogo...... Travalia. Martinus Crisogoni examinator manum mittit. Gregorius spalatensis notarius scribit.

Ex archivo aulico viennensi. Acta spalat. XVI. 1, 188.

DXXIV. **Venetiis,** *1. Augusti 1247.* Nuncii Jadretinorum post factam rebellionem ineunt valde extensum pactum cum Venetis.

Ex libris pactorum. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XL. p. 349.

DXXV. **Venetiis,** *1. Augusti 1247.* Papo de Petrona et Grisogonus de Mauro, nuntii, syndices procuratores et actores Stephani de Piciga, iudicis et rectoris Jadretinorum, Nonae commorantium et praesentium, asserunt, quod, cum in civitate Jadra rebellaverint contra ducem Venetiarum Jacobum Tiepolo et contra famosissimam et magnificam provinciam Venetiarum sine causa; et capta civitate jadretina ab exercitu ejecti et expulsi fuerint de eadem, confisi de clementia ducis et communis Venetiarum missi fuerant ad petendum misericordiam; dux et consilium respectum habens ad misericordiam, omnes Jadretinos ad suam gratiam revocavit sub his conditionibus: Jadertini semper

eligent archiepiscopum de Venetiis, ejusque electionem praesentabunt gradensi patriarchae; archiepiscopus tamen habebit omnia antiqua iura et introitus; clerus bis in anno laudes cantabit duci, patriarchae, archiepiscopo et comiti; comitem habebunt Jadretini semper de Venetis cum consveta a Venetis data auctoritate et iurisdictione; illique solvent annue libras denariorum venet. 2000; ipse habebit omnes consuetas honorificentias et domum, quae fuit olim Damiani Varicassi, in qua tunc habitabat Angelus Maurocenus comes Jadrae; de descensu ducis et ejus nuntiis, sicut et de exercitu, de dacia portarum, maneant pacta antiqua. Item Jadretini parentelas non audeant contrahere cum Slavis, nec eos inter se recipere ad habitandum, nisi secundum voluntatem ducis; abjurabunt omne fidelitatis juramentum alteri datum; obsides dabunt 40; solutionem 100 yperperorum praestent solitam, muros civitatis destruent; laborabunt staream usque ad voluntatem ducis, mercationes et datiae maneant antiquae. Quindecim auctores rebellationis stabunt per quinque annos Venetiis, familiae manebunt Jadrae in suis possessionibus; Joanni Michaeli quondam comiti Jadrae reddent pro satisfactione iniuriae 500 libras denariorum veneticorum, et pro damnis de Pago satisfacient; et comiti Michaeli insuper omni anno 200 libras etc. Sunt quoque conscripta omnia nomina jadretinorum exulum.

Ljubić: Mon. Slav. merid. I. p. 73.

DXXVI. **Lugduni**, *26. Augusti 1247.* Innocentius IV. papa mandat episcopo jauriensi et collegis suis, ut ad propositionem regis Hungariae, archiepiscopi colocensis et episcopi bosnensis episcopatum bosnensem subiiciant archiepiscopatui colocensi; cum ecclesia bosnensis, quae ad romanam ecclesiam nullo modo pertinet, totaliter lapsa sit in perfidiam haereticae pravitatis; licet idem archiepiscopus et praedecessor eius ad extirpationem huius vitii non sine magna effusione sanguinis, strage hominum et dispendiis rerum colocensis ecclesiae, magnam partem illius terrae, abductis inde haereticorum multis millibus, expugnarit. Quia tamen ecclesiae munitiones et castra non fuerunt ibidem ita firmata, quod possent ab aggressionibus et obsidione defendi, terra illa in puritate fidei non potuit retineri.

Theiner: Mon. vet. Hung. I. 204.

DXXVII. **Lugduni**, *28. Augusti 1247.* Innocentius IV. papa scribit comiti et aliis nobilibus et populo aragusiensi, quod cum inter eos et cives antivarenses gravis discordia exorta sit, ducat universitatem eorum rogandam et monendam, quatenus a praedictorum civium iniuria desistant, et veram concordiam habeant.

(Extra in membrana: frater Joannes de Plano Carp. antivarensis archiepiscopus.)

Ex transumpto bullarii archivi ragusini MS. p. 14. in mea collectione.

DXXVIII. **Cattari**, *2 Septembris 1247.* Deodatus episcopus ecclesiae S. Triphonis de Cattaro, ad petitionem capituli ecclesiae eiusdem et communitatis civitatis ac Georgii abbatis coenobii S. Georgii, dedicat ecclesiam S. Georgii ad laudem dei et S. Mariae et aliorum sanctorum, quorum reliquiae ibidem continentur, quae ecclesia erat praedecessorum totius communitatis cattarensis. Ecclesiam dei gubernante Innocentio (IV), regnante autem domino rege Urosio. Diaconus Micha de Gigna notarius civitatis scribit.

Ex collectione MS. Papafavae. Farlati: Illyr. sacr. T. VI. p. 439.

DXXIX. **Zolumii**, *11. Septembris 1247.* Bela rex IV. ad petitionem Philae praepositi zagrabiensis, magistri Job praepositi bachiensis et canonici zagrabiensis Zoym praepositi chasmensis, Petri cantoris archidiaconi zagrabiensis, Michaelis lectoris et Ladislai decani, Petri kamarcensis et Petri de Kemluk archidiaconorum confirmat capitulo zagrabiensi privilegium tempore sui ducatus concessum et ducali sigillo munitum, in quo extat donatio per matrem Mutimiri ecclesiae zagrabiensi facta.

In archivo cap. zagr. Acta antiqua. Fasc. 52, N. 6.

DXXX. **Zolomi**, *11. Septembris 1247.* Bela IV. rex accedentibus ad eum File praeposito zagrabiensi magistro Job praeposito bachiensi, comite capellae regis et canonico zagrabiensi Zoym praeposito chasmensi, Petro cantore archidiacono zagrabiensi Michaele lectore, Ladislao decano, Petro camarcensi et Petro de Kemluk archidiaconis, et nomine aliorum etiam capituli zagrabiensis privilegium tempore sui ducatus concessum et suo ducali sigillo inpressum, ad petitionem praefatorum et totius capituli de novo confirmat. (vide a. 1225.)

Acta antiqua cap. zagr. Fasc. 52 N. 5.

DXXXI. **Zolomi**, *11. Septembris 1247.* Bela IV. rex notificat, quod ad preces File praepositi zagrabiensis, magistri Job praepositi bachiensis comitis capellae regiae et canonici zagrabiensis, Petri cantoris et archidiaconi zagrabiensis, Zoym praepositi chasmensis, Michaelis lectoris, Ladislai decani, Petri camarcensis et Petri de Kemluk archidiaconi et aliorum canonicorum capituli zagrabiensis, ut cum formido, quam specialiter ex terribili saevitia Tartarorum seu aliorum hostili incursu ipsos in futurum imminere timent, munitionem aliquam pro recipiendis et tuendis suis et suorum personis ipsos condere compellat, eis montem quemdam Gradyç iuxta Zagrabiam, cuius pars quaedam ad villam hospitum de Greç, quaedam ad Vanlegen pertinet, conferre dignaretur, illis dictum montem cum terra circumadiacente, sufficiente usui et commoditati unius magnae villae, in perpetuum confert; hoc expresso, quod in eodem monte dictum capitulum assumat pro se, hoc est pro communitate decentem portionem, quae muniatur optime per expensas capituli, cuius munitionis septa, tempore discriminis venturae, illis pateant, illosque suscipiant, qui sibi per se specialiter hedificare noluerint vel fuerint impotentes; personae vero supradictae, aut aliae de eodem capitulo, quae potentes fuerint hedificare sibi turres speciales, assumant ex voluntate et collatione capituli loca arearum et turres, in quibus edificent turres et muros pro suis specialibus familiis atque rebus, secundum quod uniuscuiusque portionem contingit, quae etiam suis haeredibus legare poterunt, dominio tamen ipsius castri dicto capitulo per omnia reservato. In cuius montis possessionem facit illos rex introduci per Abraam comitem de Morovcha.

Privilegia episc. zagr. in archivo archiepiscopatus. Tkalčić: Mon. episc. zagr. I. p. 88.

DXXXII. **Lugduni**, *18. Septembris 1247* Innocentius IV. papa archiepiscopo colocensi et episcopis ultrasilvano et chanadiensi, cum ex parte episcopi et capituli ecclesiae de Keu (Sirmiensis) supplicatum esset, ut cum ipsi, destructis penitus partibus illis per Tartaros, non habeant locum ubi necessitatis tempore valeant se tueri; archiepiscopus autem praedictus habeat in eorum

dioecesi S. Gregorii et S. Demetrii monasteria ordinis S. Benedicti, ad castra in eis construenda idonea, transfere ipsorum episcopalem sedem licentiam concedere, mandat, quatenus, an hoc expediat, inquirant et rescribant.
Fejér: Cod. dipl. T. IV. vol. I. p. 475.

DXXXIII. *1247. 3. Octobris.* Bela IV. rex considerans, quod Macov comes, filius Daria, a primae regis et suae iuventutis temporibus grata obsequia exhibuerit, tam legationibus in regno et extra regnum perferendis assistendo; ad haec dum tempore persecutionis Tartarorum regem ad partes maritimas poposcisset declinare, idem spreta cura rei familiaris, tamdiu regem secutus extitit, omnibus eventibus circa eius personam se exponendo, donec in tutum locum venit ultra Dravam; quare ipsi pro his meritis terram Strugar in comitatu Neogradiensi confert in perpetuum.
Fejér: Cod. dipl. Hung. T. IV. vol. I. p. 473.

DXXXIV. **Venetiis,** *7. Novembris 1247.* Jacobus Theupulus dux Venetiarum iniungit Angelo Mauroceno et eius consiliariis Marino Mauroceno Stephano Justiniano et Joanni de Canali ambasciatoribus suis, ut fratribus praedicatoribus quasdam possessiones a duce eis concessas, a Jadertinis autem impeditas, restituant; aut vero, si iustae fuerint querellae Jadertinorum, super illis inquirant, et nobiles viros Papum de Petrogna et Grisogonum de Mauro in hac re consulant.
Farlati: Illyr. sacr. T. V. p. 76.

DXXXV. **Jaderae,** *1247.* Leonardus Quirinus comes Jadrae cum suis consiliariis Marco Bragadino et Philippo Donato accepto a duce venetorum mandato, ut Fratribus praedicatoribus Jadrae commorantibus, nondum tamen locum deputatum habentibus, infra muros in loco competenti provideant, cum assensu communitatis, domum Petri Calchinae cum curia sua et loculum Malfredii praedictis fratribus conferunt.
Farlati: Illyr. sacr. T. V. p. 75.

CXXXVI. *A. 1247.* Acus soror Dyonisii, magister Philippus de S. Gerardo et Besseneu de S. Georgio tribuunt donationes monasterio et abbatiae de Turje, fundatae a bano Dyonisio de S. Gerardo (1183).
Fejér: Cod. dipl. Hung. T. IV. vol. I. p. 479.

DXXXVII. Capitulum ecclesiae zagrabiensis notificat, quod Michael comes, frater Buzad comitis, ex una parte, et Martinus filius Nezdese ex altera accedentes in persona, idem Michael protestatus sit, quod terram suam Obris in privilegio regali sub bulla aurea existentem, sitam iuxta terram dicti Martini, ut removeantur omnes controversiae, eidem Martino pro 20 marcis argenti vendiderit in perpetuum sub conditione, ut eam nullo extraneo vendere possit sine insinuatione prius facta. Meta prima incipit ab oriente in monte, ubi sunt tres metae Michaelis comitis, Lodomerii et Martini, inde per viam usque ad vineam Ztrelk; inde per varias metas ad paludem Chernyz, dicta vero Chernyz tempore pluviali est aquosa, tempore aestivo inaquosa; inde per vallem Chernyz vadit per longum spatium et per metas arboreas et per aridam cadit in Plytvicham, et vadit usque ad pontem Wychen.
Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. p. 249.

DXXXVIII. *A. 1247.* Capitulum bachiense insinuat, quod Ambrasius filius Seveguyl et Benedictus filius Modorod confessi sint, se terram suam haereditariam in comitatu de Wlcov cum onibus pertinentiis suis commetaneo suo Ivan, magistro tavernicorum Benedicti archiepiscopi colochensis, pro decem marcis argenti vendidisse. Huic venditioni consenserunt vicini: custos et conventus monasterii S. Demetrii per officiales suos Tenkev et Thomam fratrem Fuka; item Emsa Quenesius (knezius) populi de villa Yelun, et Thomas frater Fulla. Inter canonicos subscriptos Symon archidiaconus syrmiensis.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII, 241.

DXXXIX. *A. 1247.* Bela IV. rex notificat, quod Farcasio filio Thomae de Zagoria, cum multiplicia illi servitia impendisset, et maxime tempore Tartarorum maiora fidelitatis opera ei exhibuisset, concesserit, ut castrum (de Zagoria), quod in terra sua aedificare inceperat, edificet, et ut iddem tam ipse quam sui successores possint in perpetuum possidere.

Idem documentum confirmatum a. 1342 a Carolo Roberto rege ad petitionem magistri Ectoris filii Vitoslavi et comitis Punek et Johannis filii Gardun, nomine fratrum suorum. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. p. 224.

DXL. *1248. 25 Februarii.* Bela IV. rex attestatur, quod cum Hudina ad praesentiam regis a Benedicto comite musuniensi citatus esset sub praetextu, quod terram Wizguz ad comitatum Kordua asseruerit pertinere, haec terra ad praedictum comitatum non pertineat, tamen, quia rex praedictam terram Hudinae antea donavit, quam comiti Benedicto comitatum Kordua, velit, ut idem Hudina super quaerimonia Benedicti sit penitus absolutus, Benedicto autem silentium impositum.

Ex libro privileg. archiepiscopatus zagr. p. 58. Tkalčić: Monum. episc. zagr. I, 90.

DXLI. **Lugduni,** *9. Martii 1248.* Innocentius IV. papa scribit episcopo scardonensi, quod ad instantiam Ugrini electi spalatensis miserit ei pallium de corpore b. Petri sumptum, mandatque, quatenus illud ei consignet et ab ipso fidelitatis iuramentum accipiat.

Farlati: Illyr. sacr. T. III, p. 272.

DXLII. **Lugduni,** *27. Martii 1248.* Innocentius IV. papa episcopo segniensi et ministro fratrum minorum spalatensi mandat, quatenus de vita, fama et conversatione nobilis viri Ninoslai bani de Bosna sollicite inquirant, et quod super his invenerint, suis litteris fideliter intiment.

Sub eodem dato mandat idem pontifex archiepiscopo colocensi, ne contra Ninoslaum banum Bosnae procedat, cum a fide nequaquam deviet orthodoxa sed tanquam catholicus vivat.

Theiner: Mon. vet. Hung. I, p. 205—206.

DXLIII. **Lugduni,** *29. Martii 1248.* Innocentius IV. papa ad petitionem episcopi segniensis, quae continebat, quod in Slavonia est littera specialis, quam illius terrae clerici se habere a beato Hieronymo asserentes eam observant in divinis officiis celebrandis; quare ut sit illis conformis, et ut conservet consvetudinem terrae, postulat licentiam secundum dictam litteram divina celebrare, attendens ergo quod sermo rei, et non res sit sermoni subiecta, licentiam ei in illis partibus, ubi de consvetudine observantur praemissa, dummodo sententia ex ipsius varietate litterae non laedatur, concedit.

Theiner: Mon. Slav. merid. I, p. 78.

DXLIV. *In* **Waska**, *3. Aprilis 1248.* Bela IV. rex confirmat litteras Stephani bani totius Slavoniae ejusdem anni, huius tenoris: Quod cum Jaxa filius Jacob, Joann filius Chakan, Preusa, Adrianus et Tyburtius filius Tyba cum fratribus suis, coram illo constituti essent, dicti Jaxa, Joannes, Tyburtius et Preusa et Adrianus ex una, Nicolaus vero et Abram comites ex altera parte litigarint inter se pro terra minori Kemluk; primaque pars affirmaverit, ipsam terram esse ipsorum haereditariam, et a Nicolao et Abram comitibus indebite emptam et detentam, praesentando litteras Ochuz comitis crisiensis, qui illam eis adiudicavit; ad quod comites Nicolaus et Abram responderunt, quod ipsam terram a comitibus Philippo et Detrico emissent et coram rege pretium persolvissent, nemine contradicente, tandem partes ad compositionem pacificam condescenderint in hunc modum: Quod Jaxa, Joan, Tyburtius et fratres sui Preusa et Adrianus memoratam terram dictis comitibus Nicolao et Abram relinquere velint, hi tamen octo marcas eis solvere debeant. Quo facto Jaxa et fratres litteras etiam Ochuz comitis dictis comitibus tradiderunt. Meta autem terrae incipit retro domus Wlcozlai sacerdotis; inde vadit per varias metas arboreas, silvas, unum quadruvium, siccam vallem et tenet vicinitatem cum Descyla et cognatione ejus; inde tendit ad finem minoris Kemluk, ad magnam silvam, ad verticem unius monticuli et in occidente ad puteum Guba vodice usque ad terram Tosmiri.

Ex collectione comitis Keglević in archivo accademiae scientiarum Zagrabiae.

DXLV. *In* **Waska,** *4. Aprilis 1248.* Bela IV. rex scribit civibus civitatis traguriensis, quod cum dignum duxerit eis gratiarum actionibus et operibus occursare, transmitat praedilectum suum Stephanum banum totius Slavoniae, quem profecto virum secundum cor suum invenit, ad partes maritimas, dans ei plenam auctoritatem reaedificandi et plantandi honestos et probos ac etiam reprobos destruendi, cui, tamquam regi, in omnibus pareant. Insinuat eis una, quod circa partes confinii moram trahere velit, et Stephano bano, qui iam nunc est eis proximus, expediverit ei pergrata subsidia exhibere.

Lucius: De regno Dalm. et Croat. Lib. IV. c. IX.

DXLVI. **Jadrae**, *8. Aprilis 1248.* Laurentius jadrensis ecclesiae electus notificat, quod cum fratres ord. praedicatorum jam dudum per Dominicum Francum, praedecessorum ejus, Jaderam advocati, propter diversos eventus, locum congruentem hactenus non fuissent assecuti, idcirco Jacobus Theupulus dux Venetiarum et L. Quirinus Gradensis electus et Dalmatiae primas petierint et mandarint, ut eisdem fratribus in loco competenti infra muros civitatis providere debeat, quare consilio sui capituli et comitis, consiliariorum fundatorum et aliorum civium ecclesiam S. Platonis, in qua paucae moniales residebant, ipsis sponte cedentibus, et alibi collocatis, praedictis fratribus conferat; renuncianti autem omni juri, solvent ei iidem fratres singulis annis in festo s. Anastasiae quinque libras incensi, et duos cereos unius librae, et duas angastarias vini puri. Testes: Justinianus comes Jadrae, Johannes Gradenico et Mathaeus Cornarius consiliarii, Marinus Bonus miles dicti comitis et alii. Petrus Scandalarius presbyter S. Appollinaris Jaderae notarius, scripsit.

Farlati: Illyr. sacr. T. V, p. 608.

DXLVII. **Venetiis,** *25. Aprilis 1248.* Jacobus Teupolo dux Venetiarum init concordiam cum fratre Jacobo de Turisellis, nuntio fratris Guilelmi de Sonar magistri domus militiae templi, consentientibus fratre Hermano de Burgo praeceptore in Campania et marcha Tarvisana, et fratre Iordano praeceptore Vranae et Senniae, pro satisfactione et restitutione damnorum, quae illata fuerunt mercatoribus venetis, veglensibus et arbensibus in civitate Sennia olim tempore captionis et combustionis ipsius civitatis, ad summam librarum 5250 denariorum veneticorum parvorum se extendentium, quas Templarii pe tres annos solvere se obligarunt; et dux nomine communis facit finem et remissionem de omnibus damnis et injuriis, quae peti possent, occasione facti damni in civitate Segnia, quando capta et combusta fuit tempore fratris Rambaldi de Corono magistri Hungariae currente anno 1239 mense Decembris. E converso frater Jacobus nomine et vice magistri et domus templi fecit finem praefato duci et comuni Venetiarum et hominibus Veglae et Arbae de omnibus damnis factis domui militiae templi usque ad praesentem diem, exceptis damnis datis per homines Beskae fratribus, qui fugiebant a Tartaris ex monasterio S. Georgii, de quibus dux recipiet juramentum comiti Veglae et consiliariis, ut agnoscant et ut ius faciant.

E manuscripto bibliothecae marcianae MS. cod. Lat. 71. class. XVI fol. 20.

DXLVIII. *1248. 1. Maii.* Bela IV. rex notificat, quod animo revolvens comitis Herbordi, filii Osl comitis, continuae fidelitatis obsequia, quae a tenera adhuc aetate sua ac regis, in regia curia educatus, sine intermissione exhibuit, dimicando laudabiliter in Russia sub magna porta Galliciae, quae vocatur ungarica, dehinc etiam super fluvium Denisztur (Dnister); reversus autem saepius legationes detulit extra regnum; cum autem regnum invaderet gens pestifera Tartarorum, ipse tam possessiones quam omnes fratres et consanguineos suos relinquens in regis servitio ad partes maritimas transivit, ubi cum regis lateri per suum continuum servitium adhaesisset, custodiae primogeniti filii ejus Stephani regis deputatus fuit; eumque in castro Clyz conservavit, ubi fidelitatis ejus nitor praecipue claruit coram rege, qui tam in terra quam mari ei laudabiles famulatus impendit; redeunti autem regi de partibus maritimis deservivit in exercitu contra ducem Austriae in pluribus conflictibus, et demum sub castro Kwszug (Kiseg), ubi cum suis commendabilibus actis extitit triumphator, et decem de suo consorcio vulnerati fuerunt, castrumque redditum regi; in cuius recompensatione rex ei possessionem Raszna (Rasinja), ultra Dravum in comitatu zaladiensi existentem, confert, cum omnibus pertinentiis, quibus fratri suo quondam Benedicto episcopo jauriensi concessa fuerat. Metarum, quas Dionisius Palatinus, tunc banus totius Sclavoniae, circumscripsit, prima incipit ab oriente ex parte terrae Borivoy, ubi duo fluvii Ilseuch iunguntur; inde tenet metam cum Berivoy filio Vidus, descendendo ad terram Opoy vadit ad rivulum Mortunpotok, et ad alium rivum Colbaznuk, tendit in minorem Razyna et per varias metas ad magnam Razynam, ubi tenet metas cum Cornomero; inde superius ad metam cruciferorum S. Sepulchri, et per Razynam eundo superius ad metas castri crisiensis, ubi est demus Zobislov et venit ad caput Razyna, et ibidem rivulus Vepernuk, et tenet metas cum Cercaburda ad montem et ad metas magni Mothmari in

Thoplica; inde ad rivum Vernouch et ad metas Zlauna, inde ad magnam viam in monte terra Stephani filii Pathay; per viam in caput Zeguna tenet metas cum Wulchuch et cum Georgio comite filio Lukach et magna via.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. p. 262. antiqua. Copia ex archivo comitum Sermage in mea collectione.

DXLIX. **Venetiis,** *3. Maii 1248.* Dux Venetiarum cum suo consilio ex una parte, ab altera autem frater Jacobus de Turisellis, nuntius fratris Guilielmi de Sonar, magistri domus militiae templi, faciunt duas cartas concordiae, initae inter eos, super damnis datis mercatoribus venetis, veglensibus et arbensibus, in civitate Senia, olim tempore captionis et combustionis ipsius civitatis, tempore fratris Rambaldi de Corone, magistri domus per Hung. et Slav. Dedit quoque dux quandam litteram, quam direxit comiti et consiliariis Veglae praecipiendo, ut fratribus militiae templi, qui fugiebant a Tartaris e monasterio s. Georgii, damna illis per homines Bescae illata cognoscant et ius faciant tali modo: ut, si a festo s. Petri proximi usque ad aliud festum s. Petri dictus magister templi miserit procuratoribus Veglae cartas nomine ducis sigillo domus militiae templi sigillatas, continentes formam concordiae, tunc procuratores unam ex supradictis cartis et dictam litteram ducis dicto magistro vel eius successori aut nuntio, qui cartam sigillatam apportaverit, dare et consignare debeant; si autem magister cartam et litteras non miserit, tunc procuratores dictas duas cartas et litteram praedictam ad voluntatem ducis ei consignare debent.

Ljubić: Monum. Slavor. merid. I, p. 79. Cf. nr. DXLVII.

DL. **Jadrae,** *16. Junii 1248.* **Bona abbatissa monasterii s. Platonis de Jadra, praesentibus et consentientibus monialibus suis, resignat ipsam abbatiam atque locum cum horto et omnibus adiacentiis suis in manus Laurentii jadrensis electi et eius capituli, quam cessionem dictus electus acceptat et sigillo suo et capituli communit. Testes: Nicolaus abbas s. Grisogoni, S. Marinus de Calcina et Petrus frater Bene praesbyteri s. Petri Novi de Jadera. Petrus Scandalarius notarius.**

Farlati: Illyr. sacr. T. V, p. 607.

DLI. **Vegliae**, *10. Julii 1248.* Quum esset discordia de nobilibus viris de Vegla et de sua nobilitate, Marcus Contarenus comes Vegliae et ejus consiliarii: Joannes Fuscarenus et Jacobus de Canali, ponit in praesentia Joannis Teuplo comitis arbensis, filii d. ducis Venetiarum, quinque nobiles viros ad sacramentum, qui iurant ad s. evangelia, se dicere et inquirere omnes nobiles de Vegla. Hi quinque sunt: Branicius de castro Muscho, Stephanus de Bano, iudex Bora, Sprezia de Dominico et Sprezia de Nicola. — Et dixerunt: de progenie Doganich (aut Dognanis) sunt nobiles: Blasius de Clissa, Rabaldus nepos Branicii, Lassinus frater Branicii et Petrus nepos Branicii; de progenie Subinich sunt nobiles: Stephanus de Bano, Banus filius Bore, Nicola filius quondam Nicolae, filius Mile, Vido filius quondam Joannis Bore; de progenie Tugomorich sunt nobiles: iudex Bora, Dominicus ejus frater, Petrus ejus nepos, Jarislaus nepos et Andreas nepos dicti Bore, Sprecia de Nicola, Lassinus filius dicti Sprecia, Andreas de Syzo, Milogne de Syzo; de progenie Zudinich sunt nobiles: Smina uxor quondam Simonis, Mathaeus de Perano, Dominicus de Suzura et Jaroslaus filius Sclauogosti; sunt etiam nobiles Vlcina de Domcha, Nicola eius frater, Dessa quondam filius Rambaldi, Petrus Romanus, Barbanus de dicto Dessa, Priboslaus filius Jurislavi de Bescha, et Amicus de Martinusso, praeterea Branicius et Stephanus de Bano et iudex Bora et Sprecia de Dominico et Sprecia de Nicola. — Hi omnes nobiles nunquam dederunt aliquod tributum nec datia comitibus, qui fuerunt retro in Vegla, specialiter tempore comitum Joannis, Vidonis et Emerici de Vegla. Praeterea fuerunt accepti pro nobilibus magister Lucianus, Andrea de Barba de Stragogne, Ortobello, da Domo, de Bunici de Tragomiro. Auditis his absoluti sunt omnes praedicti ab omni datio et tributo. Subscripti: Joannes Matei de Ordano de Padua imp. aulae notarius, rogatus scripsit et corroboravit, Andreas Bragadinus comes Auxeri testis manum mittit. Magister Joannes de Monte imp. aulae notarius et cancellarius Chersi, subscripsit. Bartholomaeus notarius et cancellarius Veglae exemplavit et subscripsit.

Arkiv za jugosl. povjest I. p. 55.

DLII. **Venetiis**, *15. Augusti 1248.* Jacobus Teopolus dux Venetiarum, communicans S. Justiniano comiti Jadrae, ad expositionem Joannis Michaelis comitis quondam Jadrae, quod uxor quondam Desae de Picica quandam vineam in pertinentiis Babici, quae olim fuit dicti Desae, et Cosa filius Cerne de Menza quandam aliam vineam, quae fuit eiusdem Cerne, positam super maceriam, quae (vineae) sunt iuris praedicti Johannis Michaelis, intromiserit (se) indebite his diebus, id circo mandat ei dux, quatenus dictas vineas nuncio dicti J. Michaelis restitui faciat.

Ljubić: Mon. Slav. mer. I. p. 79.

DLIII. **Lugduni**, *28. Augusti 1248.* Innocentius IV. papa monendo et rogando mandat comiti, nobilibus et populo Ragusiensi, ut cum inter eos et cives antivarenses gravis sit exorta discordia, desiderans effectare pacem, a molestia et injuria civium desistant, et cum eis pacem et veram concordiam habeant.

Farlati: Illyr. sacr. VI. 101.

DLIV. **Lugduni**, *1. Octobris 1248.* Innocentius IV. papa Chanadiensi et Sirmiensi episcopis et abbati de Pelis cisterciensis ordinis vesprimiensis dioecesis communicat, quod Albertus archidiaconus Zagrabiensis in eius praesentia constitutus proposuerit, quod cum capitulum pastore vacante haberet de pontificis substitutione tractatum, sciens nonnullos de capitulo fore maioris excommunicationis sententia inodatos et considerans, quod propter eos scienter ad eligendum admissos fieret electio vitiosa, eos in commune diligenter admonuerit, ne illi deberent ad eligendum admitti; sed ipsi admonitione contempta ipsum archidiaconum de capitulo turpiter ejecerunt, eoque contempto, Philippum reginae Hungariae cancellarium, patientem in aetate defectum, per laicae praesumptionis abusum, contra libertatem canonicam in episcopum elegerint, absolutionis beneficio non obtento, qui cum huiusmodi eorum processum a Colocensi archiepiscopo loci metropolitano peterent confirmari, ille id facere de jure non debuisset, verum tamen idem archiepiscopus, contempta appellatione ad sedem apostolicam, electum confirmavit et consecravit; mandat ergo praedictis episcopis, ut in rem inquirant et suam relationem super eo eidem praestent.

Farlati: Illyr. sacr. T. V. p. 370. Theiner: Mon. vet. Hung. I. 206.

DLV. **Venetiis**, *12. Octobris 1248.* In consilio majori fuit ordinatum, ut S. Justiniano comiti Jadrae notificetur, quod de mercibus et rebus, quas Jadretini a modo Venetias detulerint de regno, tam de his, quam de partibus ultramarinis, Romaniae, Tunixi et Barbariae, quam de regno et Sicilia sive Apulia, tantum dacium Venetiis solvere debeant, quantum homines Veneciarum solvunt Venetiis.

Ljubić: Mon. Slav. mer. I. 49.

DLVI. *In insula Leporum 26. Octobris 1248.* Maria regina Hungariae et Croatiae hospitibus suis de Vereuche eandem libertatis conditionem ordinat, quam hospites de Sugust (Segesd) a rege obtinuerunt, ita tamen, ut ipsi singulis annis ratione census 40 marcas in monetis domini regis in festo s. Michaelis homini reginae solvere teneantur; praeterea ratione victus reginae debeant dare 600 panes, sex boves pascuales, 100 gallinas, vini 60 cubulos,

100 cubulos annonae cum calculo quatuor palmarum. Terram dictorum hospitum porro metis distinxit; et quidem prima incipit a parte meridionali de magna via, quae de Vascha ducit versus Wereuche, inde versus torrentem Malacka potoch protendendo per varias metas, per planitiem et sylvas tendit ad sylvam Kabonak ad torrentem Scina potok et ad viam, quae est iuxta sylvam Rawn, et iterum per varias metas terreas et arboreas ad flumen Vereuche, deinde ad villam Dus, et tendit in Dumbro et per ligneas metas venit ad viam Kyrizt ut, et per eandem viam ad Lypocha fluvium, inde ad magnam viam, quae ducit ad Worozd et per Lipocham inferius cadit in fluvium Burzach; hinc tendit ad gurgitem Chodoycha et iuxta Dravam inferius ad terram ecclesiae de Bobocha, et inde separando de Drava venit ad torrentem Donach et cadit in fluvium Pisechna, et per planicies in viam, quae ducit in Belchev, et transiens viam ad fluvium Silachovycha, et post varias metas venit ad fluvium Kopynna, et per viam et per sylvas venit ad Ebres et siluam Ebres, et procedit versus Grabroch et silvam Grabroch, et iuxta silvam pervenit ad magnam viam, quae de Waska ducit ad Vereuchew, et per eandem magnam viam reflectitur ad primam. Datum per manus cancellarii magistri Akus thesaurarii albensis ecclesiae.

Ex actis e regni archivo Pestinum ablatis. N. R. A. Fasc. 590. N. 29.

DLVII. *1248. 26. Octobris.* Bela IV. rex, consideratis fidelibus servitiis magistri Andronici, filii Andreae de genere Kadarkaluz, eidem quasdam terras castri de Zaghuria, videlicet Pocoy et Prüzlom (Prišlin) prope confinium regni designatas pro terra descensuali, ut idem in custodia confinii regni vigilando providam haberet diligentiam, ducit conferendas, et eas per comitem Okch filium Okch jubet assignari. Quia tamen ille A. confisus de operibus suae probitatis super detentione illarum terrarum regium privilegium tunc recipere praetermiserat, cogitans ipsas terras per suam industriam posse commode detinere, Stephanus banus tocius Slavoniae et Philippus episcopus Zagr. quibus omnes terras ipsius castri indebite occupatas restituere praeceperat rex, ipsas terras restituerunt castro antedicto, cum Andronicus nullum haberet scriptum munimen. Rex desiderans donationem suam nequaquam minuere, sed potius augmentare, considerans continua quoque fidelitatis obsequia, quae idem A. tam circa maritima quam alibi studuit exhibere, accedente insuper, sicut ex insinuatione bani et multorum aliorum regi innotuit, quod idem Andronicus propter tuitionem confinii illius plurimum fructuosus, immo necessarius habeatur: praedictam donationem super duabus terris quinque aratrorum, a memorato castro exemptis, ratam habet Metae terrae secundum indicem litterarum comitis Okch sunt: Prima ab oriente apud arborem tiliae habens vicinam terram castri de Kubul, deinde ad cacumen montis, ubi metatur cum filio Jordani; per montem ad duas metas subtus Hirsva, ubi vicinatur terris Krisanich castrensibus; versus occidentem per nemus cadit in rivum Vrbna, per quem venit in fluvium Sennicze et metatur cum terra Marechay, inde cadit in Sinnicham, et metatur cum terra Güre filii I(ula?) bani, et venit ad metam subtus montem, ibique adhaeret terra Segura, et vadit in rivum Vrbna, et per varias metas terreas iungitur primae.

Ex actis regni archivi Pestinum ablatis. N. R. A. Fas. 180. N. 30. Existit aliud Belae IV. privilegium eiusdem meriti a. 1249, 26. augusti. Fejér: cod. dipl. Hung. VII. v. 5. p. 274.

DLVIII. **Venetiis,** *7. Novembris 1248.* Jacobus Theupulus dux Venetianum Angelo Mauroceno comiti et ejus consiliariis Marino Mauroceno, Stephano Justiniano, Raynerio Geno et Joanni de Canali suis ambasciatoribus significat, quod ex parte conventus fratrum praedicatorum de Jadra fuerit ei expositum, quod concessione quarumdam possessionum de Jadra, quas Leonardus Quirinus tunc comes de mandato ducis conventui contulit, quidam Jadertini, ad quos dictae possessiones olim spectabant, impediant toto posse, petentes illas sibi restitui; mandat itaque, ut de hac re inquirat, et si ei videbitur, viros nobiles, Papum de Petrogna et Grisogonum de Mauro nuntios Jadertinorum, interrogare et inquirere debeat.

Lucius: De regno Dalm. et Croat. lib. IV. cap. VII.

DLIX. **Spalati,** *22. Decembris 1248.* Praesidente Joanne spalatensi archielecto, tempore Desae Michaelis, Joannis Vitalis, et Dobri Brasich iudicum, cum idem iudices sederent in curia generali jus suum cuique tribuendo, supervenientes Desa Corbi canonicus et Desa Ivani, procuratores curiae archiepiscopalis, conquesti sunt de Joanne Duimi, qui denegabat dare de quodam molendino suo justitiam debitam S. Domnio, sicut et alia molendina Salonae solvebant, ostenderunt autem procuratores quandam sententiam latam per iudices Duimum Florini, patrem ipsius Joannis, et Micham Madii Suppe super ipsius molendini placito, olim etiam promulgatam, qua perlecta iudices sententiam approbarunt et confirmarunt. Testes: Joannes Buccasius et Joannes Cindri.

Farlati: Illyr. sacr. T. III. p. 273.

DLX. *A. 1248.* Bela IV. rex notificat, quod accedentes ad eius praesentiam Lorandus palatinus et comes Posoniensis ab una parte, Odola, Chelk et Bouch (Borich) filii Bouch (Borich) de genere Bouch (Borich) bani ex altera, confessi sint Odola cum fratribus suis, quod possessiones suas haereditarias Golgoa et Pethna in comitatu de Posga (Požega) eidem Lorando pro quatuor centum marcis vendidissent; a venditione tamen terrae prohibuerint eos dictus Benedictus Borch (Borich?), Marcellus et Michael filii sui, tam pro se, quam etiam pro filiis suis minoribus de genere ejusdem Borich bani. Quia autem praedictus palatinus Lorandus cum eis fecit ordinationem, ob hoc permiserunt ei coram rege dicti filii Benedicti dictas terras emere.

Wenzel: Cod. dipl. arpad. VII. 260.

DLXI. *A. 1248.* Bela IV. rex notum facit, quod Butko comes filius Juliani grata et omni acceptione dignissima fidelitatis obsequia non solun circa maritima verum etiam ubique locorum ei exhibuerit, et maxime in observatione castri regii Clych (Clissa), item cum Nynozlaus banus Bosnensis et omnes cives de Spalato, a debita regi fidelitate exorbitantes, in obsedione castrorum Clych et Tragurii ausu temerario insurrexissent, dictus Butko exponens se fortunae multiplici contra eosdem viriliter dimicaverit adeo, ut quiuusdam de suis consanguineis, multis et collateralibus ibidem in pugna interemptis, ipsos in fine defficientes potenter effugaverit rebus omnibus spoliando et quam plures ex ipsis meliores captivando. Ad haec, cum processu temporum Veneti ad impugnadum castrum Nonense in praelio navali advenissent, saepe dictus Butko non absque dubiis eventibus se accingens in eosdem, accepta non modica

vulnera, dictos Venetos, cum perspicerent nihil se posse perficere per viam, qua laeti venerant, tristes redire coegit cum rubore; quare ei terram quandam Pruneg (polje) in parochia de Gordua (Grdova) existentem ad comitatum symegiensem, quondam (crisiensem), pertinentem cum omnibus pertinentiis confert.

Orig. in mea antiqua collectione nunc. bibl. academiae scientiarum Slav. mer.

DLXII. *A. 1248.* Bela IV. rex notificat, quod cum tempore persecutionis Tartarorum compulsus esset ad maritimas partes declinare, perrexerit etiam et remeaverit cum eo Weyteh (Vojteh), filius Mikus, de villa Pyr in comitatu Huntensi, cum equis et armis suis, et ibi coram oculis regis fidelissimum sibi et gratum exhibuerit servitium; quare ipsum Vojteh in collegium et numerum regalium servientium suorum et ad suam specialem gratiam recipit, eximens ipsum ab officio et conditione piscationis; confert quoque terram quinque aratrorum cuiusdam sui servientis Ivan de villa Pyr, absque haerede defuncti, facitque eum per comitem Zvoliensem Jakow introduci.

Wenzel: Cod. dipl. arp. VII. p. 256.

DLXIII. *Apud* **Waska,** *1248.* Bela IV. rex manifestat, quod memor fidelium et utilium seviciorum Joachimi comitis, quondam patris venerabilis patris Philippi Zagrab. episcopi, patri eius Andreae regi ac sibi et toti regno multifarie impensorum, intuitu quorum ipsi terra Zolona excepta de castro Zaladiensi in Sclavonia cum omnibus suis pertinentiis collata fuerat; animadvertens etiam, quod memoratus Philippus episcopus et frater ejus Thomas continua fidelitate a puericia sua adhaeserint ei et multa servitia impenderint, confirmat ipsis dictam terram Zolona, exceptam de castro Zaladiensi, in cujus possessione etiam nunc existunt, prout a patre regis obtinuerant.

Wenzel: Cod. dipl. arpad. VII. 255.

DLXIV. *A. 1248.* Bela IV. rex notificat, quod accedens ad eius praesentiam Stephanus frater Johannis pugilis filii Rodus et Johannes filius eiusdem Johannis conquesti sint, quod medietatem terrae eorum Budavelge, quam ab antiquo tempore pater eorum Rodus et avus possederant, Michael comes frater Buzad comitis, existente comite worosdiensi, ab eisdem abstulisset et eidem castro statuisset, asserendo fuisse terram castri antedicti, petentes sibi terram restituere, considerans, quod per instrumenta Demetrii comitis de genere Aba et capituli zagrabiensi constet, ipsos ab antiquo dictam terram possedisse, et quod facta inquisitione per Erne comitem de Worosd hoc idem confirmatum fuerit, restituit eandem terram eisdem Stephano et Johanni, facitque eos introduci per Balad filium Martini comitis.

Wenzel: Cod. dipl. arpad. VII. 253.

DLXV. *Circa 1248. (?)* Stephanus banus totius Slavoniae, a rege ad partes Croatiae ad distinguendum et separandum terras nobilium a terris castrensibus et viceversa destinatus, pervenit ad partes Likae, ubi cum XXIV iuratis iudicibus nobilium de Lika et cum centurionibus ad id deputatis, de quadam possessione Tethacsics, utrum sit terra castri aut terra haereditaria nobilium Porugh et filiorum suorum de dicta Tethacsics, quaestionem habuit; qui judices, iurati et centuriones dixerunt, dictam possessionem ab antiquo tempore, quo nec augmentare potest mens humana, fuisse iure proprio, et nobili

titulo avi, et protavi dicti Porugh et filiorum suorum, et quod eadem possit gaudere nomine proprio, quo quorumvis nobilium status Mogorovich. Metae: terrae Mogorovich, campus visoka Goricza ad montem Pecsnik, Morzka gora et rivulus Dragobil.

Mikotzy: Hist. banorum. Marcelovich: Extractus diplomatum msc. dubiae fidei.

DLXVI. *1249. 20. Januarii.* Bela IV. rex considerans, quod cum Fila quondam zagrabiensis praepositus carissimo condam fratri regi Cholomano duci, et post obitum ipsius regi et regno multa fidelitatis studia impendisset, ne liberalis donatio, quam ille a rege consecutus erat, momentanea gratia videatur, sed firma et in haeredes suos perseveret, extendat eandem in fratres Filae: Tomam comitem et Petrum; in recompensationem etiam servitiorum illorum, quae iidem a primo puerili aevo culmini regio impendere multipliciter studuerint. Donat ergo illis possessiones praefati fratris, videlicet terram Deri Nemty, quam habebat pro concambio monasterii de Buldva; item terram Micola in comitatu de Wolcow, et terram s. Martini in eodem comitatu; alias quoque terras, tam empticias, quam a Colomano duce donatas.

Ex actis regni archivi Pestinum ablatis. N. R. A. F. 646. Nro. 26.

DLXVII. *1249. 21. Januarii.* Bela IV. rex notificat, quod cum Paulus aulae iudex et comes Zaladiensis omnibus suis diebus penes regem merita cumulaverit, in specie quod infidelem suum Boyzen in Insula in virili pugna captivum obtinuerit; item quod in expugnatione castri Clich fratrem eiusdem Damald similiter captivatum abduxerit, et in absolutionem eiusdem alios duodecim nobiles regios de captivitate hostium liberaverit; quod in obsidione castri Ruthenorum Galich quandam aciem clam in regium exercitum irrumpere cupientem militari bello prohibuerit; item in bello teutonico castra Peristhan et Landigh obsederit et hosti eripuerit; ad aquam Muram autem, cum eam Theutonici praeclusissent, dissolvendo clausuram villas indemnitati restituerit; item in generali vastatione Tartarorum, quando communiter et nobiles et populares regni pro conservatione vitae suae ante faciem eorum fugiebant, ad Danubium cum copiosa multitudine armatorum tamdiu transitum prohibuerit Tartarorum, donec ab eorum impetu quisque sane poterat se salvare; demum in bello contra ducem Austriae vulneratus et captivatus redemerit se et alios septem nobiles pro mille marcis argenti. Propter quae merita confert ei rex plures possessiones in comitatu bihariensi, solnokiensi et de Krasna.

Wenzel: Cod. dipl. arpad. VII. 282.

DLXVIII. **Jaderae**, *7. Martii 1249.* Stana uxor Berislavi de Jadra cum suis haeredibus vendit Georgio filio Mate et suis haeredibus unam terram suam in territorio Kon (Tkon) super sanctam Barbaram versus boream pro 30. solidis denariorum parvulis. Terra est posita iuxta vineam Radoslavi filii Petrice, et ab altera parte iuxta terram Viti Fugaçoli. Testes: Rade sartor et Teodor filius Radovani et Budislav calegarius. Jacobus filius Petri examinator manum mittit. Petrus Scandolarius presbiter s. Appolinaris, Jaderae notarius scripsit.

Ex mea collectione.

DLXIX. **Tragurii,** *11. Martii 1249.* Temporibus Treguani episcopi, Stepronis comitis, Janiche et Valentini Kasariche iudicum Tragur. Vilce filius Radovani Chotussae accipit a Gregorio filio Heliae quandam comitis terram sitam sub Ostrog, cui adiacet ab oriente terra filii Odolae, ab occidente murus, a meridie vinea Jacobi Dobranae, ad plantandum in ea vineam. Testes: praedictus Janicha iudex et Burclene. Silvester de Urso examinator. Gausina primicerius et notarius Braguno.

Eodem anno et die Tragurii, Dragovina olim Dobreni Moysce filius accipit a Gregorio Heliae quondam comitis filio terram sitam in Podmorje sub loco Smoguiz ad plantandum in ea vineam, de cuius fructibus acceptis de vinea cum suo asino dabit agraticum quintam partem. Testes: iudex Janicha et Petrus filius Dese de Cega.

Ex mea collectione in pergamenea cartula.

DLXX. **Budae,** *25. Martii 1249.* Bela IV. rex manifestat, quod cum regnum eius per subitam irruptionem Tartarorum grande dispendium pertulisset, et de ipsis incolis tam nobilibus quam inferioribus, in maiori parte per praefatam gentem interemptis, pauci remansissent, ad eorunden multiplicationem et tuitionem loca, munitionibus apta, potentioribus conferenda duxerit, de quibus montem Saarsumlu, in comitatu de Barana situm Nicolae, magistro tavarnicorum filii sui Stephani regis, et comiti de Dobicha, ubi idem pro defensione personae suae et utilitate regni castrum sibi construxit, duxerit conferendum; et ad dictum castrum conservandum terram Harsan sub pede montis contulerit. Cuius terra, ut frater Rembaldus domus hospitalis hierosolymitani maior praeceptor in partibus Cismarinis per suas litteras intimavit, sufficere potest usui septem aratrorum praeter partem Nicolai magistri, quae ab antiquo pertinet ad eundem (omissis aliis adfert rex et aliqua servitia ejusdem comitis de Dubicha). Idem namque tanquam columna immobilis regi adhaerens nunquam a suo latere procul fuit, maxime tempore irruptionis Tartarorum in conflictu iuxta Sayo adstitit regi, laudabiliter praeliando; tandem rege versus partes maritimas progresso ipse circa regem et totam eius domum servitiis, nec non legationibus regiis prudenter perferendis se reddidit amplius gratiosum; in expeditionibus quoque contra Bosnenses haereticos, requenter laudum praeconia reportavit dimicando, in exercitio etiam contra Fridericum condam ducem Austriae una cum suis decenter armatus multa servitia exhibuit.

Fejer: Codex dipl. Hung. T. IV. vol. II. p. 49.

DLXXI. *1249. Mense Martio.* Matthaeus Stephanus, magnus banus Bosnae, promittit Jacobo Dalfino comiti Ragusii et omnibus nobilibus et communitati civitatis Ragusinae, se cum Ragusinis firmam pacem servaturum. Iurant: comes Ugrin, comes Radonja, cubicularius (казньць) Grdomil, cubicularius Bjelhan, vojevoda Purča, Grubeša pincernarum magister, cubicularius Simeon, Jež Občenovičenović, Domaslav Gunetić, Hranislav Svračić, Radoje Drugović, Berisilav Banić, Kakmuž Odramčić, Vlkča Vlkasović.

Miklosich: Mon. Serbica p. 32.

DLXXII. **Lugduni,** *30. Aprilis 1249.* Innocentius IV. papa scribit archidiacono et capitulo Spalatensi: cum vacante suo pastore fratrem Joannem de

ordine fratrum praedicatorum electum Scardonensem in suum archipiscopum postulassent et idcirco Desam concanonicun et Dragum civem Spalatensem ad sede apostolicam cum petitione confirmationis destinassent, quod huic postulationi satisfacere non possit, cum ecclesia idoneo praesule indigeat: quocirca magistrum Rogerium capellanum cardinalis s. Laurentii in Lucina et canonicum Zagrabiensem, quem de dono scientiae et honestate morum ac conversatione laudabili experta familiaritas et familiaris experientia reddunt multipliciter commendatum, praeficit in archiepiscopum spalatensem.
Farlati: Illyr. sacr. III. 274. Theiner: Mon. Slav. mer. I. 78.

DLXXIII. **Jaderae,** *13. Maii 1249.* Micha filius quondam Mathaei de Duxica de Jadra concedit Bogdano Petegal vineam in quadam sua terra plantare, quae iacebat penes aliam vineam usque ad viam et versus austrum super vinea Andreae Petriçe et vinea Vulcigne Matafaris, et uersus borream iuxta terram Creste et uersus traversam iuxta terram haeredum condam Cosmae de Pa .. de Melio, tali condicione, ut donec vineam habuerit, praestet sextam partem de vino in civitate de Tina; de olivis et omni alio fructu similiter sextam partem; et si de aliquo fructu recenti vel sicco vendiderit, dabit sextum denarium; si vero aliquando in fraude inventus fuerit, debebit solvere sex yperperos. Testes: Lemessa de Jacobo, Desegna de Birsi, Johannes de Boravan, et Corna filius Viti Morvice, et Micha Sapalino. Jacobus Philippi examinator manum mittit. Petrus Scandollarius presbyter S. Appollinaris Jaderae notarius scribit.
Ex meis miscellaneis dalmaticis. Nr. 20.

DLXXIV. **Lugduni,** *28. Augusti 1249.* Innocentius IV papa monet comitem, nobiles, cives et populum civitatis Ragusiensis, ut exorta discordia inter eos et cives antivarenses a praedictorum civium molestia et iniuria desistant; ac pacem et veram concordiam cum eis habeant.
Farlati: Illyr. sacr. VI. 102.

DLXXV. *Die 4. et 27. Septembris 1249.* Capitulum Vesprimiense notificat, quod a rege Bela IV acceperit mandatum, ut cum Dionisius banus de S. Gerardo pro anima sua possessionem Apatovecz in terra Slavoniae et comitatus crisiensis existentem ecclesiae B. M. Virginis et fratribus ordinis praemonstratensis in Terbecz existentibus in perpetuum contulerit, hominem capituli cum homine regio magnifico Sicardo de Usa curiae regiae prothonotario exmittat pro reambulatione dictae possessionis, et pro introductione ordinis; capitulum obediens mandato exmiserit praesbiterum Nicolaum canonicum suum una cum homine regio ad faciem possessionis, et praesentibus Dionisii bani fratre ac proximis cognatis has invenerint metas: prima meta incipit sub quodam monte Gradich Slavonice nominato, ubi in uno rivulo est fons, a parte meridionali separat Cruciferos de Golgoncza, a parte occidentali terra Dionisii bani; a septemtrionali parte possessio B. M. V. de Terbecz, deinde ascendendo montem a parte septemtrionali possessio Dionisii bani, ab orientali Apatovec; deinde ascendendo montem Gradich in cacumine montis eundo et descendendo ad terras arabiles et saliendo ad viam, transiendo ad septemtrionem venit ad montem Slavonice Apni dictum; a monte descendendo ad magnam viam in Birek, et ascendendo et descendendo transiens saepius magnam viam, quae

ducit viam Chalaperda, et ascendendo ad montem Kemenche, et porro montem Apni per varias metas pervenit ad viam duplicatam, vulgo Škeresł uti dictam, et a parte septentrionali separatur a castrensibus, ab orientali a cruciferis de Glogoncza, in meridie a possessione Apatovecz, sub uno arbore est fons Kiraly Kutya vulgo nominatus, et venit per rivulum ad fontem Stragiche, pergit ad fontem Fadar Kutya, pervenit ad montem Halom et ad priores metas.

Ex actis ord. Soc. Jesu Varasdinensis. F. IX. Nr. 36 in regni archivo.

CLXXVI. **Lugduni**, *1. Octobris 1249.* Innocentius IV. papa ad quaerellam Alberti archidiaconi Zagrabiensis ecclesiae, quod cum capitulum eiusdem ecclesiae pastore vacantis haberet de episcopi substitutione tractandum, idem archidiaconus sciens, nonnullos de ipso capitulo fore maioris excommunicationis sententia innodatos, et quod propter eos, si ad eligendum admitterentur, fieret electio vitiosa, contra quam electionem ille conquestus a capitulo turpiter electus fuerit, et per illos Philippus reginae Hungariae cancellarius electus pro episcopo, et per archiepiscopum colocensem contra sensum appellationis directae ad sedem apostolicum confirmatus esset, unde mandat papa Cenadiensi et Sirmiensi episcopis et abbati de Pel Cisterc. Ord. ut super praemissis inquirant, et causam sufficienter instructam ad sedem apostolicam remittant.

Farlati: Illyr. sacr. T. VII. p. 549.

DLXXVII. *1249.* Stephanus banus totius Slavoniae significat, quod constituti in eius praesentia Baboneg comes ab una parte et Vulkodrug filius Abrahae cum generatione sua, similiter cum filio Kumik, Moydrug nomine, et Dobromyrio, praenotatus Vulkodrug protestatus sit, se terram suam haereditariam Polana iuxta fluvium Zavam sitam, in comitatu Dubicensi existentem, comiti Baboneg pro centum et quinquaginta pensis vendidisse. Cuius terrae, sicut in litteris Petri comitis Tininiensis contineri vidit, prima meta incipit in Coyzinsdenech et vadit in fluvium Woyzka; cadit in locum Baholbo, (Galdovo?) et per eundem fluvium cadit in Jezenova; deinde directe in Verhi vadit in Konzkystrug, inde per fluvium Woyzka in locum Vulchya, et per fluvium Vulchia tendit ad fluvium Vun; et vadit in fluvium Zava, et per eundem infra ad aquam Alsevnicha; transit supra quoddam lutum Temechech, deinde supra in Medvegak, inde per Dolbocham, quae norminatur Lucia, venit ad montem, ubi est Kallysche et per montem et viam publicam venit ad Ferlevilik arcem; deinde ad priorem metam Kossivzdevech (Kosinzdenec).

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. III. vol. 4 p. 102. Ex autographo eruit Gyurikovits.

DLXXVIII. *Circa 1249.* Andreas magnus comes Chelmiae cum suis filiis župano Bogdano et župano Radoslavo et cum suis nobilibus infra scriptis iurat Jacobo Delfino comiti Ragusii, nobilibus et toti communitati civitatis Ragusinae, se perpetuam pacem servaturos cum Ragusinis secundum antiquam consuetudinem. Jurat ex chelmensibus: Hrelko Rastimirić, Dobrovit Radovčić, Hrela Stjepković, Odomisl et Strjezimir Adamović, Čeprnja Osilić, Hranislav Prvoslavić, Bigrjen Mrtić, Dobromisl Pobratović, Desjen Berivojević, Radovan Prividružić, Hrela Desavčić, Pribjen Zlošević, Toma Čupetić, Galac Vlksanić, Hrela Hranidružić, Prjedislav Vlkmirić, Bojmir Vlktić, Bogdan

Dobromirić, Hrvatin Turbić, Prvoslav Prodančić, Bratoslav Vlković et Berko Radovanić.

Miklosich: Mon. serbica p. 34.

DLXXIX. *1249.* Donatio regis Belae IV. qua mediante universa ac quaelibet bona condam Filae praepositi Zagrabiensis, signanter vero terram Derinemty ex concambio cum monasterio de Buldua intervento obtentam, nec non terras quoque Micola et St. Marton per defectum quorumdam nobilium ad fiscum regium devolutas, comitatuique Valkoviensi ingremiatas, Thomae et Petro, praelibati quippe praepositi fratribus, eorumdemque haeredibus perennaliter confert.

Anno 1249. sub auth. N. R. A. fasc. 646. Nr. 26.

DLXXX. *1249—1264.* Bela rex ad petitionem Wylkina, Mark, et Miren filii Kurla, confirmat privilegium Stephani condam bani totius Slavoniae de a. 1249., qui de mandato Belae regis in toto regno Slavoniae terras post obitum regis Colomani a castro alienatas iudicans, filiis Corla et omnibus jobagionibus Zagrabiensis castri a parte una et Ivan filio Jaroslai ab altera parte, coram eo constitutis, quoad terram Odram inter se altercantibus, eandem terram filiis Corla iure mediante restituit. Metae per pristaldum bani, Martinum filium Gordoi, distinctae: Prima juxta fluvium Odra et multum eundo pervenit ad viam fundatam, quae Vtteven dicitur, et conterminat terrae Mortun; inde ad fluvium Haranichnik et descendit ad fluvium Chernech; exinde ad fluvium Mozechine, inde ad fluvium Lomnicha, post haec per fluvium Odra revertitur.

In mea antiqua collectione.

DLXXXI. **Jaderae**, *24. Januarii 1250.* Temporibus Marini Mauroceni ducis Venetiarum, magistri Laurentii Jadrensis archiepiscopi, Balduini Quirini comitis. Michael de Milegoste tribunus attestatur, quod cum Martinus Slavus per decretum curiae missus esset in tenutum bonorum Marini filii Baucanelli pro debito, quod ei Marinus tenebatur, nobilis vir Andreas de Petrizo in presentia Balduini Quirini comitis et eius curiae asseruerit, quod domus illa, in qua dictus Marinus de Baucanelli morabatur, ad eum pertineat, quam in placito comitis Johannis Michaelis aquisivit per sententiam, teste nobili domina Mara matre Bocana, per sententiam adjudicata sit Andreae de novo praedicta domus, constituto pristaldo Michaele. Testibus: Micha de Varicasso et Philippo de Cemessa. Gregorio de Mauro examinatore. Guilielmo paupere Jadr. notario.

Ex mea collectione.

DLXXXII. *Apud* **Albam** *curiam 21. Martii 1250.* Bela IV rex concedit hospitibus civitatis montis grecensis, ut in monte Grech de Zagrabia nundinae ab octo diebus ante festum b. Marci Ev. incipiendo usque ad octavas eiusdem festi sine tributo quolibet celebrentur.

Tkalčić: Monumenta eccl. Zagr. p. 26.

DLXXXIII. *In* **Waska**, *4. Aprilis 1250.* Bela IV. rex agnoscens diuturnam fidelitatem Traguriensium notificat illis, quod mentem quietudinis suae immutaverit quaedam turbatio super molestiis et quaerimoniis eorum, etsi juvamen ipsius

propter varia regni negotia fuerit dilatum; nunc vero transmitit praedilectum et fidelem suum Stephanum banum totius Slavoniae, quem profecto virum secundum cor ejus invenit, ad partes maritimas, dans ei plenam auctoritatem cui tamquam regi in omnibus pareant. Ipse rex promittit ad partes confinii huius moram trahere, ut bano, qui nunc aedificandi et plantandi honestos ac probos, reprobos vero destruendi gaudet auctoritate, et iisdem Tragurinis, ut expedierit, pergrata subsidia exhibere possit.

Lucius: Memorie di Traù, 71.

DLXXXIV. **Venetiis,** *30. Aprilis 1250.* Marinus Maurocenus dux Venetiarum mandat Balduino Quirino comiti Jadrae, ut communitas Jadrae Joanni Michaeli, quondam comiti Jadrae, exolvat debitas illi praestationes in summa cc. denariorum veneticorum parvorum.

Ljubić: Monum. Slav. merid. I. p. 79.

DLXXXV. **Ludguni,** *23. Maii 1250.* Innocentius IV. papa Salvio episcopo Tribuniensi scribit: cum archiepiscopus Ragusinus in sua praesentia proposuerit, quod vacante olim Antibarensi ecclesia, sibi metropolitico iure subiecta, ipsius capitulum fratrem Joannem de ordine Praedicatorum sibi in pontificem eligendo, ac contempnendo ipsum sibi confirmandum, prout ad eum pertinet, praesentare, ad pontificis romanae ecclesiae praesentiam accesserit, cuius per eum electione cassata, iustitia exigente, sugesto ei ex parte ipsius capituli, quod metropolitana sedes dicta antibarensis ecclesia existeret, obtinuerit eidem ecclesiae de patre Joanne, cui consecrationis munus ipse papa impendit, per sedem apostolicam provideri; qui non solum eidem archiepiscopo ragusino obedire, verum etiam caeteros ecclesiae ragusinae suffraganeos, regis Serviae ritus, ut dicitur Graecorum, tenentes, suffultus, suae ditioni subiecit, cui dicti suffraganei, suae obliti salutis, ab obedientia ragusinae ecclesiae recedentes obediunt. Propter quod postulavit papam, ut sibi super hiis exhiberet iustitiae complimentum; mandat igitur supradicto episcopo, quatenus vocatis Antibarensi, et Bosnensi, Buduanensi, Dulciniensi, Suacensi, Scodrinensi, Drivastensi, et Polatensi episcopis, praefigat eisdem et dicto archiepiscopo Ragusino terminum octo mensium, quo per se vel per suos procuratores causam ipsam conspectui pontificis praesentent.

Ex Transumpto Bullario archivi Ragusini. MS. p. 15. in mea collectione.

DLXXXVI. *1250. 23. Junii.* Bela IV. rex volens possessionem Zolona, quam a castro Zaladiensi (in Slavonia) condam exemptam pater ipsius regis Joachino tunc comiti Scybiniensi, bonae memoriae filio comitis Geche, pro suis multiplicibus servitiis contulerat, filiis et haeredibus eiusdem conservandam; propter quae quidem servitia ipsius Joachini comitis pater dicti Belae regis eidem dictam possessionem Zolona (postea Slavinja in comitatu Crisiensi sub Mathia 1436.) in ius perpetuum donaverat, postea vero rex Bela praefato castro restituit, et a filiis Joachini receperat; volens ergo servitia etiam filiorum eius recompensare tradidit ad petitionem patris Philipi episcopi Zagrabiensis et Thomae comitis de Crocov, filiorum Joachini, de novo dictam possessionem in perpetuum possidendam.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. 309.

DLXXXVII. **Arasiae,** *10. Julii 1250.* Radoslavus rex Serviae et orae maritimae et frater eius Vladislaus et Uroscius revocantes in memoriam sinceram fidem et obseqium civium et patriciorum Catharensis civitatis praestitum parenti eorum Stephano primo coronato regi et avo eorum sancto Simeoni Nemagnae, et ipsis rratribus, quibus fideliter obtemperant et nunquam non obedientes se praestiterunt, privilegium regis Georgii de a. 1115 idibus augusti (13), quo eis tradidit Prevlacam in eo solo et patrimonio, in quo nunc reficiunt et restaurant sedem s. Archangeli, olim ab ipsis conditam, eorumque territorio confirmavit possessionem omnium hortorum et vinearum, quas obtinebant in pagis Lustiza et Pasiglava et in universa planicie usque ad fines de Garbagl porrectam, item omnium agrorum usque ad oram maritimam, quod privilegium iidem fratres confirmant in perpetuum. Scribit hoc documentum Silvester ipso rege dictante et iubente et eius fratribus et tradit in manus Mauro et Metodo patritiis et legatis Catharensium.

Farlati: Illyr. sacr. VI, 440. Privilegium ex Slavonico in italicum et ex italico in latinum sermonem conversum.

DLXXXVIII. *1250. 1. Augusti.* Bela IV. rex donat aliquam particulam terrae in Zolyom iuxta Granum (Goron) cuidam Radun cum filiis suis Thoma, Madacs et Tobia, quia cum propter insultum Tartarorum ad partes maritimas processisset, idem Radun regi circa mare commoranti fidele servitium exhibuit; et postmodum cum de maritimis ad meditulium regni perveniret, idem R. cum filiis suis in domo regia comorando multiplicia servitia exhibere non cessavit.

Fejer: Cod. dipl. tom. IV. vol. II. p. 59.

DLXXXIX. *1250. 11. Augusti.* Bela IV. rex notificat, quod Stephanus banus totius Slavoniae, Privartus Keled filius Chepani, Tyba Andreas filius Bani, Opoy filius Opoy et Ladislaus cum fratre suo Aladario, praesentes patefecerint, quod cum monasterium de Sarvar, cujus sunt patroni, in episcopatu Transylvano situm, quondam celebre et opulentum, et generali subversione Tartarica pene ruinatum et depopulatum sit, ut resurgat, quandam terram ecclesiae memorotae Futog seu Batkay nominatam et desertam, in Bachiensi comitatu sitam, pro 30 marcis argenti Johanni filio Mathaei fratrique Dominici magistri pro reformatione praedicti monasterii vendiderit, qnam venditionem rex ratificat.

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. II. p. 67.

DXC. *1250. 28. Augusti.* Capitulum ecclesiae B. Petri de Posega notum facit, quod Stephanus, filius Borich bani, ab una parte, item Alexander filius Bors ex altera personaliter constituti, idem Stephanus confessus sit, quod quia ipse Margaretham nobilem dominam, consortem Alexii, vulnerasset et sex servientes ipsius: Paulum, Stephanum, Jacobum, Benedictum, Andream et Kuyahinum interfecisset, et insuper quam plures iniurias ac damna eidem in domo sua irrogasset, ob hoc possessionem suam Zalathnuk in comitatu de Posega existentem, suam haereditariam, ex beneplacito omnium consangvineorum suorum et vicinorum, videlicet Lamperti de Horsova et Berislai de Bubovik, praefato Alexio concesserit iure perpetuo. Cujus meta prima incipit a meridie circa Zalathnuk Christophori; inde vadit iuxta vicinitatem Christo-

phori ad occidentem, et ascendit ad Berch; inde cadit in unum potok, et in vicinitatem Bukoarcha; inde ad aquilonem, inde in vicinitate eiusdem Horsova ad orientem, ac hinc iuxta Dubovik ad meridiem, et ad primam metam.

Ex actis regni Croatiae N. R. A. Fasc. 1501. Nr. 15 per banum Khuen Hedervari Pestinum delatis.

DXCI. **Lugduni,** *5. Octobris 1250.* Innocentius IV. papa ad petitionem abbatis Cisterciensis et conventus eiusdem ordinis (probabiliter Toplicensis) concedit per privilegium: ut nemo abbates vel alias personas monasteriorum cisterciensium ad synodos vel forenses conventus, nisi pro fide dumtaxat, vel huiusmodi placita, seu capitula vel forum penitenciale, absque speciali mandato sedis apostolicae vocare vel citare praesumat.

Ex archivo cap. zagr. Acta antiqua fasc. 83. nr. 50.

DXCII. *1250, 21. Novembris.* Bela IV. rex manifestat, quomodo Thomas, Philippus et Laurentius de genere Rad a primaevis pueritiae suae annis ei indesinenter adhaerentes, gradientes de virtute in virtutem, sic profecerint, ut in deferendis legationibus regiis, viarum prolixitatem et distantiam seu pericula quaelibet postponentes, ad Graeciam et ad partes alias, quantumcunque remotas, magna cum diligentia executi sint; porro in generali persecutione Tartarica circa consortem regis degentes eidem et regi in partibus maritimis fideliter servierint, nunquam a rege durantibus periculis recedendo; quare tribuit illis quasdam terras in comitatu de Posega, quas mortuo Thoma fratre Philippo et Laurentio de novo confirmavit et per Kylianum comitem tavernicorum reginae magistrum metis circumscribere intimavit. Qui sub testimonio nobilis matronae comitissae de Posega et praesentibus abbate et conventu de Kotho (Kutina) magistro Johanne praeceptore de Posega et capitulo eiusdem dictas terras circumivit, quarum metae: Prima incipit in Horsowch in supremitate montis Posega, qui Zelemen (sleme) dicitur; porro commetatur cum Magno Marck, venit ad locum Fertessev, commetatur cum terra ecclesiae s. Petri, et venit ad montem Holm; a parte occidentali ad aquam Pribinya, et per magnum spatium eundo incipit cometari castrensibus Turdissa et Cristophoro; et ascendendo et descendendo per varias metas venit ad rivulum Sythnyak; et per rivulos Pribinya et Zaynpatoka venit ad terram magni Marci; et per varias vias et montes et valles ad terram castrensium Eliae et Jacobi, et deinde de lacu arundinoso ad aquam Kalsapataka, et inferius ad fluvium Cirkonie, et ad viam, quae vadit ad Ledeth, et tenet metas cum Ivanka comite, filio Abraham, et ad aquam Nagpatak few et Kenezkutha; item terra Puzada incipit ab aquilone a rivulo Posona et terra cruciferorum templi, et per varias metas vadit in magnam viam et rivulum Gerakpataka et Zarozpatak, et transit rivulum Gerak et vadit per magnam viam et tenet metas cum terra Gerhardi et cadit in rivulum Jelzewch; ab aquilone metatur cum terra Cruciferorum templi iuxta rivulum Posega, eundo per campos tenet metas cum terra ecclesiae de Kothoa: venit ad caput rivuli Rupatha, et caput rivuli Zwadol; item terrae Koprina meta incipit supra caput aquae Coprina, vadit ad terram ecclesiae de Kothoa per montem poseganum Zelemen ad montem Jubagorica ad magnam viam, que venit de Nekche (Našice), ubi terra castri de Posega, et a via descendit ad rivulum Cotelna, vadit per vallem Zvodol ad rivulum Coprina; item terra Blathka incipit

super caput aquae Kerethkuta et est terra ecclesiae de Kothoa, et per terras et silvas ad aquam Malaka usque dum aqua Sywch exit ab eadem Malaka, et cadit ad rivulum Strahowch potoka, tenet metas cum Radovan nepote Ethyhel, et exit in aquam Jezychovch et venit ad caput aquae Destivoykuta, et tendit ad caput rivuli Odalynkuta, et inferius ad aquam Kerekuta; item meta terrae matris Fulconis incipit super caput aquae Wrloa in via, quae descendit de Rahowcha, tenet metas ecclesiae S. Petri, venit ad caput rivuli Bokola, et ad metam lapideam, ubi cometatur cum terra Crucificorum templi et cadit in rivulum Wrloa et ibi terminatur.

In transumpto Sigismundi regis de a. 1392. Ex actis e regni archivo per banum Khuen-Hederváry ablatis. N. r. a. Fasc. 1501. nr. 16.

DXCIII. **Tragurii,** *15. Octobris 1250.* Vido Traguriensis potestas, et Daniel sibinicensis comes, arbitri et arbitratores dictarum civitatum, occasione factarum iniuriarum pro bono pacis et concordiae stabiliunt et determinant invicem conditiones pacis Scribit Statimerius archipresbiter Sibenicensis, cum civitas careat tabellione.

Lucius: Memorie di Traù 69.

DXCIV. *1250. 6. Novembris.* Oliverius episcopus sirmiensis significat, quod cum M. Laurentius praepositus eiusdem ecclesiae quam plurima grata ei et ecclesiae praestiterit servitia villam Zlacho, quae vulgariter Drasch appellatur, de consilio fratrum suorum quoad vitam suam ipsi conferat.

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. II. p. 78.

DXCV. *1250.* Capitulum chasmensis ecclesiae significat, quod in praesentia ab una parte Dyane de Garig ab altera Micov et Mixa, filiorum Druzizlay et filiorum Mikula, iidem Mikov et Mixa et filii Mikula confessi sint, se terram ipsorum Poloziticha ipsi Dyane et suis haeredibus vendidisse, sicut etiam in litteris Herrici comitis Simegiensis continebatur, pro tribus marcis et fertone. Meta incipit a fluvio Chasmae, inde per unam Malacha ad rivulum Poloziticha; inde ad fluvium Zeznick exit iuxta terram Paulin et cadit ad fluvium Zalatinnik; inde per silvam Ravna, et transiens fluvium Poloziticha cadit in fluvium Chasma.

Codex dipl. patrius. T. VII. p. 39. Ex archivo comitum Erdődi in Galgocz.

DXCVI. *1251. 3. Aprilis.* Bela IV. rex notum facit, quod cum Ivan comiti, filio Irislai, montem quondam Liponch contulerit pro castro construendo et idem suis propriis sumptibus ad honorem et confortationem regni castrum exstrueret, ipsi quondam terram sub castro, nomine Bregana, exemptam a castro Oclynch, una cum monte praedicto sive castro, sine cuius utilitate ipsum castrum posset minime conservari, ducat conferendum. Metae vero terrae, sicut per litteras Stephani Bani totius Slavoniae innotuit, ita distinquntur: Prima incipit, ubi una aqua non currens cadit in Breganam, et venit ad locum Lesswhel; inde ad caput aquae Gragdna et ad duas metas in Renriacia; inde ad montem Ostruz, inde descendit ad fluvium, qui cadit in Gradna, de eadem exit ad Indagines, et cadit ad fluvium Zavae, ubi commentanei sunt Theutonici.

Ex archivo comitum Erdődy translato e Croatia ad Galgocz. Cod. dipl. patrius. VI. p. 59. VII. p. 40.

DXCVII. *1251. 5. Aprilis.* Bela IV. rex manifestat, quod cum Fridericus, Bartholomaeus et Guido, filii Guidonis comitis, comites de Wegla, a primaevis regis et eorum pueritiae annis, eisdem indesinenter adhaerentes, tanta fidelitatis servitia impenderint, ut tempore persecutionis Tartarorum, rege in partibus maritimis constituto, non solum in mari cum navibus munitis, verum etiam in terra cum armatis, ad custodiam personae suae, nec non ad persequendum inimicos et infideles regis tam fideliter et constanter servierint, quod inter alios regni fideles ex debito fidei meruerint computari, quocirca eis donationem comitatus de Modrus, progenitoribus suis per avum regis Belam (III.) quondam regem factam nec non donationem de Wynodol, a patre regis factam patri eorum, de novo confirmat. Servitia autem praetextu terrarum donatarum regi debita taliter duxit limitanda, quod quamquam ratione comitatus de Modros ex ordinatione Belae III. regis cum decem loricis in regno et cum quatuor extra regnum servicia facere teneantur, postmodum ex ordinatione regis servitia utriusque comitatus Vinodol et Modrus in unum comprehendendo decreverit, ut cum in maritimis esset personaliter constitutus in mari ei galea et saycia teneantur deservire; praeterea in regno cum tribus militibus decenter expeditis, et extra regnum cum duobus militibus servitium facere teneantur. Quia tamen diversitates praedictorum servitiorum dubietatem inducebant, cassatis eis decernit, ut regi in maritimis personaliter existenti in mari cum una navi, quae saicia dicitur, et cum una barca teneantur deservire; si vero Veglam insulam suam rehabuerint, tunc cum galea servire teneantur. Insuper si necesse fuerit exercitum croaticum convocari infra montem Gvozd, et ubicunque in illis partibus, serviant cum viginti armatis decenter expeditis; ab ista vero parte montis, quocunque rex convocaverit exercitum croaticum, cum decem armatis servitium exhibeant. Adiicit quoque, quod si quis ex comitibus sine haerede decesserit, donatio de Vinodol et Modrus integra devolvat ad haeredes fratrum aliorum.

Ex transumpto Stephani V. regis de a. 1270 in archivo camerali Budensi conservato. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. T. XI. p. 370.

DXCVIII. **Dulcigno**, *in ecclesia S. Mariae majoris, 18. Aprilis 1251.* Presbyter Dessigna nuntius Salvii episcopi Tribuniensis praesentat litteras eiusdem episcopi Dulcinensi episcopo, in quibus eum provocat iuxta mandatum summi Pontificis, quatenus infra octo mensium spatium vel personaliter vel per procuratorem suum cum actis et munimentis conspectui archiepiscopi Ragusiensis se praesentet .Actum praesentibus praesbyteris Philippo et Salamone, diaconis Grobac et Zuppano, subdiacono Grobac atque universo capitulo ecclesiae. Bonacursus notarius.

Ex transumpto Bullarii archivi Ragusini. MS. in mea collectione p. 406.

DXCIX. **Drivasti**, *in domo episcopali 26. Aprilis 1251.* Presbyter Dessigna, nuntius Salvii, episcopi Tribuniensis, praesentat literras ex parte eiusdem episcopi episcopo Drivastensi, in quibus eidem praecipitur, ut iuxta mandatum summi pontificis Innocentii IV. infra octo mensium spatium vel personaliter vel per procuratorem suum cum necessariis actis et munimentis se conspectui archiepiscopi Ragusini praesentet. Actum praesentibus archipraesbytero Joanne nepote episcopi Andreae de Pollato, diacono Joanne fratre comitis Drivastensis et diacono Lazzaro. Bonacursus notarius.

Eadem die in eodem loco praesentat Designa similes litteras episcopo Drivastensi pro Andrea episcopo Pollatensi, quas ille eadem die in concilio episcoporum Antibari coram episcopo Svacensi ab episcopo Drivastensi receperat.

Ex transumpto Bullarii archivi Ragusini. MS. in mea collectione p. 16. et 17.

DC. **Scodrae**, *in domo episcopi 27. Aprilis 1251.* Dessigna nuntius episcopi Tribuniensis Salvii praesentat Scodrensi episcopo litteras dicti Tribuniensis episcopi, in quibus eidem ex mandato summi pontificis Innocentii IV. praecipitur, ut infra spatium octo mensium se conspectui archiepiscopi Ragusini cum idoneis actis et privilegiis praesentet. Actum praesentibus archipraesbytero Andrea, praesbyteris Vito, Theodoro et Triphone. Bonacursus notarius.

Ex Transumpto Bullarii archivi Ragusini. MS. in mea collectione p. 19.

DCI. **Perusii,** *1. Maii 1251.* Leonardus de Tarvisio, clericus, procurator archiepiscopi Ragusini, ius et potestatem ipsius in Antibarensem ecclesiam in audientia publica allegans obsistit, ne per litteras papales contra episcopum Arbensem propter inobedientiam eius suffraganeo suo archiepiscopo Antibarensi datas, dicto archiepiscopo Ragusino aliquod detrimentum adferatur, ad quod pars altera ei coram iudicio firmiter promittit, quod per litteras praedictas praeiudicium nullum ei generetur.

Farlati: Illyr. sacr. VI. 441.

DCII. **Venetiis,** *14. Maii 1251.* Capta pars in consilio, ut hominibus Jadrae non tollatur datium pro communi de mercibus, quae nascuntur in regno, et sint absoluti ab ipsis dationibus de rebus regni eodem modo, sicut homines Venetiarum.

Ljubić: Mon. Slav. mer. I. 80.

DCIII. *1251. mense Maio.* Farcasius praepositus quinqueecclesiensis cum toto capitulo testatur, quod Fonch iobagio castri de Walko ex una parte, Michael vero tam pro se quam pro Henrico fratre, filiis Nicolai, et Thoma comite, tam pro se quam pro Petro fratre suo, fratribus quondam Phyle praepositi, ex alia parte, confessus sit, quod cum ipse cum praedictis terram quandam Alexii, Holmosh dictam, in parochia de Walko sitam, pro triginta marcis argenti ratione commetaneitatis emisset, in tres equas partes dividendam, una Fonch, alia Nicolao cum fratre et tercia Thomae comiti cum Petro, ipse Nicolaus suam tertiam partem Abraamo eorum sororio cum eius sorore tradidisset: postea placuit, quod suam tertiam partem Abraam et Thomae comiti cum fratre pro decem marcis vendiderit, et ita venit de illa terra medietas ad Abraam, alia vero Thomae comiti et Petro remanens.

Ex actis per banum Hedervary ex archivo regni ablatis. N. R. A. F. 1501. nro. 18.

DCIV. *1251. 7. Julii.* Bela IV. rex notum facit, quod Erne magister agazonum et comes de Zolgageuri (postea varasdinensis), cum barbara gens Tartarorum regnum eius invasisset, praeclaris fidelitatis insigniis coram regiis oculis tam commendabiliter enituerit, ut cum invalescente adversitate regem defectum equorum habere contigisset, ipse vivere proponens, et vitam regis

morte sua redimere desiderans, equum, quem pro salvanda persona sua habuit, pro salvatione personae regis optulerit (caetera omnia sicuti in privilegio de dato 20 Novembris 1251); inde pro tam praeclarae fidelitatis et servitiorum ipsius exhibitione, confert ei terram vacuam Terebes in comitatu de Zothmar super aquam Thur.

Fejer: Codex dipl. Hung. T. IV. vol. 2. p. 92.

DCV. **Ablana,** *apud ecclesiam S. Nicolai 23. Julii 1251.* Saracinus episcopus Corbaviensis exortas inter Arbenses et zupanum Nemagnam Croatiae dynastam, qui de bonis et rebus, quae Arbenses in Ablana (Jablana) eiusque agro possidebant, multa per vim abstulerat, discordias levando, partibus pacem reddit. Tempore Mauri Mauroceni ducis Venetiarum et Stephani episcopi Arbensis.

Farlati: Illyr. sacr. T. V. p. 242.

DCVI. *1251. 1. Augusti.* Farkasius praepositus Quinqueecclesiensis, totumque capitulum eiusdem loci, significat, quod nobilis matrona domina Elisabeth, uxor nobilis viri Opsae comitis, de consensu eius condiderit testamentum in hunc modum: Servos et ancillas, quas secum ad dictum Opsa traduxerat, et tria praedia, sita in Posega, sua haereditaria, videlicet Prebena, Kanacuta et Fellok duabus filiabus Michaelis, quem ipsa de dicto Opsa comite pepererat, Elisabethae et Gung nomine, leget; dotem suam marito dimittat, ita ut post mortem eius ipsa dos ad dictas filias Michaelis deveniat; post obitum utriusque omnia, scilicet homines, praedia et dos, ad monasterium B. Petri de Maguch devolvantur.

Codex diplom. com. Zichy I. 6.

DCVII. **Perusii,** *20. Augusti 1851.* Innocentius IV. papa, ad quaerimoniam archiepiscopi Antibarensis, quod episcopus Arbenensiis eius suffraganeus ab obediencia se subduxerit, mandat episcopo Cattarensi (Centiberio), ut dictum episcopum attentius moneat, et ad reverentiam inducat.

Farlati: Illyr. sacr. II. 441.

DCVIII. **Venetiis,** *24. Augusti 1251.* Pactum Jadrae de datiis solvendis. Praesentibus testibus nobilibus viris Lampre filio quondam Prestae de Daria, Joanne filio Petrizi de Forte, Dimitrio filio Prestae de Matafara, Mathaeo filio condam Theodori Thosaningi, Andrea filio Bendae, Jadratinis, Joanne Barocio, Bartholomaeo de Mugla, Henrico de Fuscareno, Dominico Arimundo, de Venetiis et aliis multis coram Marino Mauroceno duce Venetiarum. Stephanus de Piziga et Cerne de Mergia ambasciatores Jadrenses concedunt et determinant nomine sui comunis, ut amodo Jadretini de mercibus, quas deferunt de Venetiis, de regno Siciliae sive Apuliae et de aliis partibus, illud datium Venetiis solvere debeant, quod constitutum est solvendum ab hominibus Venetiarum Venetiis. Comissionem pro nuntiis subscribunt: Balduinus Quirinus comes Jadrae, Joannes Delphinus consiliator Jadrae, Raphael Bettoni consiliarius; iudices Preste-Matafari. Papo Petrognae, Cosa Saladini. Bartholomaeus de Dumin examinator. Petrus Scandolarius presbiter S. Apolinaris Jadrae notarius. Pactum ex parte Venetiarum subscribunt: Gabriel Paulinus et Joannes de Varago notarii, de mandato Raynerii Geni ducis Venetiarum 13. Aprilis 1251.

Ex libro pactorum. Venetiis archivum dei Frari II. 75.

*

DCIX. **Arbe.** *13. Septembris 1251.* Temporibus Marini Mauroceni ducis Venetiarum, Stephani Arbensis episcopi ac Marci Ziani comitis; praesentibus Madio Zoleo, Marco de Romasulo, et Georgio de Vallaga. Verussia abbas S. Stephani, Arbensis dioecesis, Marcus Zianus supradictus comes Arbensis, Clemens Madii de Rusaldo, Domaldus de Martinussa, et Dimigna Gambetta iudices arbitri decreverunt in causa inter Petrum de Romasulo archidiaconum Arbensem et eius capitulum ex una, et Madium abbatem S. Petri Arbensis dioecesis cum suo conventu ex altera parte, quod de plena voluntate inter se concordaverint ambae partes in episcopio Arbensi, cum voluntate etiam superius nominatorum, ut quidquid dicti iudices arbitri ordinaverint, pro firmo habeant sub pena mille perperorum denariorum Venetorum parvorum ordinantes, quod abbas monasterii S. Petri cum suo conventu per suum nuncium teneatur invitare episcopum Arbensem cum suo capitulo octo dies ante festum S. Petri, et clericis, qui ad festum ibunt, teneantur dare prandium competens; item teneantur mittere in vigilia S. Petri pro domino episcopo et suo capitulo sex equos, si monasterium habuerit suos equos, si non, adminus id quod habuerit, et si suum equum non habuerint, nil debeant mandare. Item monasterium debet mittere pro capella episcopi; et quando episcopus cum suis clericis veniet ad monasterium, ad ingressum ecclesiae cum processione abbas cum suis monachis debent venire cum incenso et aqua sancta et honorifice recipere eos; et tota offerta, quae venerit ante missam maiorem, deveniat monasterio; et omnes denarii de offerta, quae venerint ab initio missae maioris, episcopus cum suo capitulo habeat; insuper capitulum mittat anuatim suum clericum nuncium, qui invitabit abbatem cum conventu ad festum victoriae S. Christophori; et abbas debet stare juxta archidiaconum, et monachi debent habere in monasterio unum modium de vino.

Ex transumpto anni 1739. In mea collectione.

DCX. *1251. 8. Octobris.* Bela IV. rex notificat, quod cum exhaereditato Jula bano propter suorum exigentiam meritorum servos ipsius et ancillas in praedio de Nekcha (Našica) quondam existentes, qui et quae dispersi fuerant, fideli Alexandro filii Demetrii comitis, cognato ipsius Julae bani, in recompensationem servitiorum contulisset, idem postea Alexander quasdam litteras Pauli comitis Zaladiensis et iudicis curiae de a. 1250. praesentaverit, continentes: quod cum Demetrius comes citasset ad praesentiam regis Vlchinum iobagionem castri de Barana, requisiverit ab eo duo mancipia, Naglich et Milhan, quae cum filiis et filiabus decem capita hominum esse asserebat, quaeve domina uxor Julae bani emerat cum patre eorum Ratay a Wlchin supradicto, quae etiam idem Wlchin post obitum praedictae dominae blandis verbis ad se retraxerat, sed postea attractus in causam reddiderit coram Ivanka pristaldo et Crucifero de Nekcha. Praeter Naglich et Milan fuerunt adhuc mancipia Blasin et filius eius Tintur et fratres Blasi Petrus et Paulus et filius sororis eorum Rodlo et filia sororis Juba (Ljuba).

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. IV. vol. 2 p. 103.

DCXI. *1251. 5. Novembris.* Capitulum ecclesiae Albensis testatur, virum Gyurkonem, filium Ochus (Oklić 1230.) quondam bani, possessionem suam Pecsel sitam in Szala iuxta lacum Balaton cum viginti duobus capitibus libertinorum, (quorum nomina citantur, et inter reliquos, Mirka, Crit, Peturka,

Fath, Ivanka, Miko, Gjura, Sock, Mech et Kesa) cum omnibus pertinentiis vendidisse capitulo Wesprimiensi pro 55 marcis argenti.

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. IV. vol. 2 p. 119.

DCXII. *1251. 17. Novembris.* Bela IV. rex notificat, quod magister Erne comes Worostiensis, cum barbara gens Tartarorum insultu bellico regnum invasisset, praeclaris fidelitatis insigniis coram regiis oculis tam commendabiliter enituerit, ut cum invalescente adversitate defectum equorum habere regem contigisset, ipse vivere postponens et vitam regis morte sua redimere desiderans, equum suum pro salvatione regi obtulerit, ipse vero cum Tartaris, qui eum insequebantur, praelium certaminis iniens, post plures punctus lancearum et ictus sagittarum ac receptionem vulnerum insultibus inimicorum viriliter resistendo de medio hostium se vix potuerit liberare; praeterea cum idem rex ante faciem Tartarorum eodem tempore ad maritima devenisset, Erne diversis fortunae casibus se exponens, eo tempore, cum discrimina viarum et insidie hostium securos meatus non permitterent, ipse solus ibat ad speculandum descensum Tartarorum et rumores, quos percipiebat, regi referebat. Praeter haec etiam in conflictu contra ducem Austriae tanta servitia exhibuit praeliando, quod quemdam militem insignem de Theutonia cum propria lancea devicerit et caput eiusdem amputaverit, et conspectui regis et banorum per suum militem destinaverit. Item in alio exercitu contra Austriam quendam famosum militem de castro Imperg, capitaneum illius regionis, Prevcel nuncupatum, qui cum exercitu suo de dicto castro Imperg prodiverat in campum, ipse in eum impetum faciens, hasta sua de dextrario potenter dejecit in terram et dextrarium lancea transfixum ibidem interemit; quo peracto exercitus dicti Prewcel territus et confusus terga dedit. Pro tantis ergo exhibitis servitiis confert ipsi rex magistratum agazonum suorum et officium comitatus Varasdiensis cum quatuor villis slavonicis comitissae Varasdiensis in eodem comitatu existentibus, in quarum possessionem introduxit eum Thomas comes de Herusnev. Metae autem incipiunt a parte orientali super fluvium Blizna potok, ubi juxta terram filii Selk vadit super eundem fluvium ad terram decani zagrabiensis; inde ad terram filii Farcas et ad fluvium Galabich potoka, et ad terram filii Berk, et ducit ad fluvium Pitniche, et venit ad terram episcopi zagrabiensis, inde ad terram populorum de Worostin; deinde ad terram Welchek, et cadit iterum in fluvium Pitniche, revertitur ad Blizna et ibi terminat.

Ex transumpto regis Sigismundi a. 1418. confecto ad petitionem Woyn et Gregorii filii Nicolai de Kneginec, haeredum condam magistri Erney olim comitis Varasdiensis, ac Nicolai et Stephani filiorum Pauli nec non Ambrosii filii Gregorii fratrum suorum de eadem Kneginec personis. Menbrana in archivo civitatis varasdiensis. Fasc. I. 3. Aliud transumptum eiusdem regis Sigismundi de a. 1409. ad petitionem magistri Johannis filii Stephani, filii Selk de Zenth-Jacap (Jakopovec) existebat in actis regii archivi per banum Hedervary Budam deportatis. N. R. A. 1597. nr. 4.

DCXIII. *1251. 23. Novembris.* Bela IV. inductus consideratione, quod fidelitas, praesertim cum hominibus infectis corruptella saeculi senescentis, quo rarior reperitur eo carior sit habenda, et ardentius amplectenda, manifestum facit omnibus, quod fideles Stipcho comes et Jacov, filii comitis Stephani

Gregorius et Daniel comes, filii Bribignae comitis, et Obrad nec non nepotes ejus filii comitis Budislavi, nobiles de Breberio, a primaevis ipsorum temporibus paternis vestigiis inhaerentes, tam grata fidelitatis obsequia coram oculis regiae Maiestatis semper impenderint, ut expugnatis et effugatis Damaldo et Bozin et cognatis eorum, qui a fidelitate debita aberraverant, contra etiam multos alios, adversus regiam maiestatem resultantes, in praelio navali et terrestri saepe ac saepissime (certassent) et laudabilem victoriam obtinuissent. Ad haec, cum tempus persecutionis Tartarorum regem ad partes maritimas coegisset declinare, iidem ipsum regem et suos sedulo receptantes, universa, quae habebant, ad eius praeceptum exposuerint, suas personas contra insultus Tartarorum et alios diversos fortunae casus multipliciter exponendo; quosdam, qui se illo eventu contra regem extollere intendebant, commendabiliter represserint; consideratis his rex comitatum Breberiensem cum omnibus utilitatibus ac pertinentiis, ab antecessoribus ejus collatum et per ejus patrem privilegio roboratum, casu tamen amissum, de novo ipsis confirmat. Datum per manus Benedicti archiepiscopi Colocensis, aulae cancellarii. Philippo zagrabiensi episcopo, Stephano bano totius Slavoniae, Erney varasdiensi comite inter caeteros existentibus.

Lucius: De regno Dalm. et Croat. lib. IV. cap. 9. Wenzel: Cod. dipl. arpad. VII. 321. refert quod originales huius litterae aurea bulla provisae conserventur in archivo familiae Kállay.

DCXIV. *1251. 23. Novembris.* Bela IV. rex notificat, quod cum Stephanus banus totius Slavoniae plurima merita et fidelia servitia exhibuerit, et quidem tam fratri suo Andreae, dum adhuc ducatum gereret, quam etiam sibi, singulariter in praelio campestri, quod contra Tartaros habuit, dum vix ipsorum manus effugisset; deinde ad partes maritimas regem secutus sedulum semper exhibuit servitium immobiliter assistendo prope personam regis, ubi laudabiliter se gessit; nominatus postea in iudicem aulae regiae et comitem Nitriensem gradatim processit in honore, et in conflictu cum Austriae duce effuso sanguine vix ipse mortem effugit, decoratus officio comitis Simigiensis et palatini Ungariae. His dignitatibus susceptis ad damnandam gentis . . . proterviam Stephano rex Banatum totius Slavoniae contulit, qui ex illis partibus infideles expulit et radicitus effugavit; loca immunita regni Croatiae munivit, et vacua populorum multitudine replevit. Quibus pro servitis confert ei rex possessionem Szalath (Žalac?) inter fluvium Culpa et Novum castrum confinio bonensi vicinum; item Vrh(ovina?) inter castrum Thiniense et Unffeu (Unseu) cum pertinentiis. Diploma aurea bulla signatum, datum per Benedictum archiepiscopum colocensem aulae cancellarium. Existente Filippo episcopo zagrabiensi, Stephano bano totius Slavoniae, Laurentio vojvoda ultrasilvano et comite de Wlcow, Bagon magistro pincernarum et comite de Zana, Erney Varasdinensi etc.

Ex collectaneis Marcellovicianis Mikotzi: Series Banorum Msc.

DCXV. *1251. 24. Novembris.* Bela IV. rex notificat, quod Daniel comes Sibinicensis et Stanymir arch(idiaconus) eiusdem civitatis transcriptum confirmationis privilegii ipsorum regis conspectui praesentaverint, petentes, ut illud iterato dignaretur confirmare; rex cum de veritate ipsius liquido constaret et per relationem Stephani bani totius Slavoniae, qui terras praesentialiter inspexit, idem privilegium reconfirmat (ut ad a. 1245.). Confirmavit

eis etiam terras in Bosalina. Datum per manus Benedicti archiepiscopi Colocensis aulae cancellarii. Existentibus Philippo Zagrabiensi episcopo, Rolando palatino, Stephano totius Slavoniae bano, Laurentio vojvoda ultrasilvano et comite de Wlco, Paulo iudice curiae et comite Zaladiensi, Henrico comite symigiensi, Erney comite Worosdiensi etc.

Fejer: Cod. dipl. Hung. tom. IV. vol. II. p. 97.

DCXVI. *In* **Bresan,** *1251.* Stephanus banus totius Slavoniae notum facit universis, quod considerata fortitudine montis Jablanich et inspecta utilitate ejusdem, ibidem collocare voluit novam civitatem; populi autem Arbenses missis solemnibus nuntiis, videlicet iudice Andrea de Cotapagna et Domigna Gambetta, locum in eadem civitate postulaverint, quorum petitioni adhaerendo iubet unum castellum in vertice ipsius montis suis expensis pro domino rege edificari, circumquaque autem pro utilitate populi ibi commorantis, ipsique eandem libertatem, qua utuntur Traguriensis, Sibenicensis et aliae civitates regiae in maritimis constitutae concedendo. Et quidem comitem sibi eligant de regno regis quemcunque voluerint; iudices et consiliarios eligant ex populis arbensibus ibidem comorantibus; si autem Arbenses illum locum utilem et forum in eodem facere potuerint cum adiutorio bani, quarta pars totius lucri et tributi regis et bani ad usum populorum arbensium ibi commorantium administretur, tres vero partes ad usum regis et bani. Per totum regnum negotiatio sit illis libera. Si aliquem contigerit in regno amittere bona, banus vera fide conabitur requirere ablata. Adversarii Arbensium in civitatem non suscipiantur. Mercatores arbenses nullum tributum solvere teneantur. Terras ad Jablanich spectantes a Sernouniza usque ad Scrissam habitatoribus Jablanich relinquantur pacifice. Pascua extraneis non admittantur.

Lucius: De regno Dalm. et Croat. lib. IV. cap. IX.

DCXVII. **Arbae,** Stephanus episcopus arbensis confirmat privilegia monasterii S. Petri, concessa ei per Dragum episcopum arbensem. Michael Friderici imperatoris palatii notarius de mandato episcopi scribit.

Farlati: Illyr. sacr. V. 242.

DCXVIII. *1251.* Bela IV. rex notificat, quod ad petitionem Stephani bani tocius Slavoniae, qui propter suae probitatis opera coram suae majestatis oculis multipliciter meruit, consangvineo suo Apa vicebano, filio Laurentii comitis, pro eo, quod pro expugnandis et effugandis infidelibus coronae suae sibi assistendo commendabiliter perstiterit, et absente etiam bano contra infideles de Croatia variis fortunae casibus se exposuerit, et in expugnatione castri Stroycha, perpessis pluribus damnis, grande in se vulnus exceperit, multis de parte adversa interemptis, terram Rezycha aut Reycha, a castro Pescethnuk exemptam, cum omnibus pertinentiis suis in perpetuum conferat.

Ex transumpto capituli S. Petri de Požega de dato 20. Juni 1385. ad petitionem magistri Johannis filii comitis Duymi de Blagaj, in pergamena confecto in archivo comitis Lud. Blagay nr. 52. Radoslav Lopašić.

DDXIX. *1251.* Stephanus banus totius Slavoniae significat, quod cum Grubisa iobagio castri zaladiensis coram eo ordine judiciario convictus fuisset et terra sua, sita inter terram Opoy et terram Georgii filii Mauricii, de jure ad manus ejus (bani) fuisset devoluta, ipam terram Grubissae contulerit Scemae comiti fideli suo in perpetuum. Cuius terrae metae hoc ordine distin-

guntur, sicut Mortel pristaldus et homo capituli zagrabiensis asseruerunt: prima incipit a fluvio Draua, et vadit ad arborem populeam, deinde ad meridiem per campum ad viam, deinde per varias metas arboreas ad fluvium Plytice (Plitvicae), per quem vadit superius ad Opoy.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. arpad. cont. VII. 328.

CDXX. *1251.* Capitulum s. Petri de Posega testatur, quod Lampertus, filius Razboy comitis, ex una parte, ex altera vero Zagrab cum Briccio mutarint inter se terram Hursoua, cuius meta incipit ultra aquam Hursoua et vadit prope ecclesiam s. Nicolai, et per varias metas venit ad magnam viam et ad terram Alexandri et Paris in cacumine montis et ad aliam viam magnam, quae transit priorem viam, venit ad terram filiorum Wolkoy et Benedicti, et ad terram Laurentii filii Alexii comitis.

Ex transumpto capituli s. Petri de Požega a. 1305. ad petitionem Zagrab. maioris et minoris filiorum Zagrab. Orig. perg. ex archivo regni Croatiae per banum Khuen-Hedervary Budam deportatum. N. R. A. fasc. 1501. nr. 17.

CDXXI. *1251.* Capitulum ecclesiae Chasmensis testatur, quod constitutis coram eo Petk, Egrd (Egyd) et Blagona, filii Peta, sum suis cognatis et consanguineis, videlicet Te(r)ba filio Petri, Ivan filio Petrizlai pro se et suis cognatis, Dvork filio Petrozlaw et Stephano cognato eorundem, iobagionibus castri de Chesmicha, ab una parte, ab alia vero Bank filio Wisezlay et Cozmathio filio Predizlay, prima pars confessa sit, quod terram, quae ab avis eorum, avis Bank et Cozmathi, ab antiquo pro viginti marcis in pignore devoluta erat, eisdem Bank et Cosmatio pro 20 marcis libero arbitrio remittendam concessisset, recepta in pleno pecunia, astantibus commetaneis: Bot et Junosa filiis Pauli, Georgio filio Ruba, Simone filio Ursivoy, Coxano, Borich et Voxin, filiis Milozta, Farcasio filio Drugan, Mock filio Milani Martino filio Woyn, Voyteh et Stephano filiis Woyhna et comite Hudina, qui eandem remutationem comprobarunt. Meta terrae incipit in ripa Ceresneuicha, et per eundem fluvium tendens cadit in aquam Mosina, et per magnum spatium ad molendinum filiorum Milozta, et cadit in Cheret et commetatur terrae Martini filii Voynae et terrae Hudinae comitis, quam possidet ex gratia regis in Mezzurechia; a meridie cadit ad magnam viam, et per magnum spatium supra domum Drusak iobagionis comitis Hudinae, et ad aquam Mosina, et per vallem et foenile ad fluvium Chernec usque terram comitis Michaelis, et terras Bot et Junosa et Bank et Cuzmathi, et ad partes Cheresnicha eundo pervenit ad arborem jagned et arborem tiz; et cadit in fluvium Cheresneuicha.

Ex transumpto Sigismundi regis de a. 1424. ad petitionem nobilium de Chakouch in causa super possessione Mosinja. Membr. in actis a bano Hedervary ex archivo regni deportatis N. R. A. fasc. 446. nr. 5. Adest etiam in transumpto palatini Mihaelis Orszag de Guth. 1481. Ibid. N. R. A. 681. nr. 22.

DCXXII. **Perusii,** *26. Januarii 1252.* Innocentius IV. papa ad petitionem abbatis et conventus monasterii s. Nicolai de castro Muscho, ord. s. Benedicti Veglensis dioecesis, episcopo veglensi concedit, ut cum ipsi, qui Slavi existunt et slavonicas litteras habent, et discere litteras latinas non possunt, divina officia in lingua slavica secundum ritum ecclesiae romanae celebrandi

licentiam concedere possit, et episcopo Veglensi mandat, ut super hoc, quod viderit expedire, faciat.
Theiner: Monum. Slav. mer. I. 79.

DCXXIII. **Perusii,** *1. Februarii 1252.* Innocentius IV. papa indulget Laurentio praeposito ecclesiae s. Irenei Syrmiensis, ut licet sacris canonibus sit interdictum, ne quis plures habeat ecclesiasticas dignitates, cum tamen redditus ecclesiastici in Ungaria propter Tartarorum saevitiam sint diminuti, ex spetiali gratia possit adhuc unicum aliud beneficium ecclesiasticum libere recipere.
Theiner: Monum. Hung. eccl. I, 212.

DCXXIV. **Perusii,** *7. Februarii 1252.* Innocentius IV. papa ad petitionem (Philippi) episcopi et capituli Zagrabiensis indulget, ut ad receptionem in praebendis vel beneficiis ecclesiasticis, seu pensionibus per sedem apost. vel eius legatos impetratis nemo, compelli possit, nisi apostolicae litterae impetrandae plenam et expressam de continentia indulgentiae fecerint mentionem.
Tkalčić: Monumenta hist. eccl. Zagr. I, 93.

DCXXV. **Perusii,** *20. Februarii 1252.* Innocentius IV. papa ad petitionem Philippi episcopi Zagrabiensis rescribit, quod cum rex Bela quandam possessionem prope Zagrabiam ad se pertinentem, quae nunc castrum episcopi appellatur, Zagrabiensi ecclesiae donaverit, eandem donationem sedes apostolica ratam et gratam habeat.
Kerčelić: Hist. eccl. Zagr. p. 85. Tkalčić: Monum. episc. Zagr. I, 93.

DCXXVI. **Perusii,** *24. Februarii 1252.* Johannes archiepiscopus ragusinus nobilibus viris Dabranae de Zelengo, Cernae de Vitagna, Theodoro Bodaciae, Goyslavo Grossi, nuntiis civitatis ragusinae respondet, quod litteras eorum, ex quibus intellexit, ipsis a duce et aliis nobilibus benigne fuisse susceptos, hilari susciperit animo. Communicat eis, quod Perusii in curia summi pontificis cum praesbitero P. Sabino et Blanco et tota sua familia viriliter et utiliter pro exaltatione civitatis et ecclesiae ragusinae agat, speretque se omnia ad bonum finem perducturum. Jndiget pecuniis, rogat sibi in augmentum 25 libras denariorum grossorum usque ad festum SS. Petri et Pauli mitti, cum ardua negotia absque magnis expensis promoveri non valeant. Nuntiat eis, quod Junius de Cereva nomine Sclavae eum in causam coram pontifice traxerit; vocatus est tamen in judiciam tamquam excomunicatus; et post proiectionem ipsius praelatus Antibarensis ostendit procurationem Sclavae. Dictus Junius iunxit se cum praelato antibarensi et promovet omnem insultum et malitiam contra civitatem ragusinam, qui praelatus diffamat clerum et populum ragusinum. Super negotio dicti praelati contestatus est litem, et iuravit dicendi veritatem. Inter alias positiones iuravit et dixit, quod sub ecclesia Ragusina sint posita tria regna, videlicet Zachulmiae, Serviliae, quod est Bosgna, et Tribuniae; et regnum Zachulmiae protenditur usque ad provinciam Spalatensem, regnum Serviliae extenditur usque ad provinciam collocensem, regnum Tribuniae usque ad provinciam Dyrachinam. Praelatus autem Antibarensis inter multa et inaudita dixit juramento: quod in tota Dalmatia ab antiquo non fuerint nisi duo archiepiscopatus, videlicet Salona et Dioclaea, et in loco Salonae sit Spalatum, et in loco Diocleae Antibarium, et quod

archiepiscopus Ragusinus subiaceat archiepiscopo Spalatensi, et civitatis ragusina iurisdictio non extendatur, nisi usque ad montem, qui situs est ante civitatem, — Si citatio Bosgnensis episcopi facta est, rogat, ut mittant sibi eandem sine mora cum notario Paschali aut Bonacurso.

Ex transumpto Bullarii archivi Ragusini. MS. in mea collectione p. 401.

DCXXVII. *1252. 13. Martii.* Petrus Matthaei Dabrana et Petrus Johannis Bogdani testantur, quod cum pro communi ragusino fuerint nuntii apud d. Vladislaum regem, in eorum praesentia Paulus Leonis comitis Alexii conquestus sit contra ipsum regem dicens „Tu, domine rex, sine mea culpa tulisti mihi de meis causis mostarolam unam pro perperis viginti duobus, ad denarios grossos decem et octo pro perpero; et pecias tres S. Ylaresi pro 17 perperis, et ad denarios grossos 18 pro perpero; et peciam Florentini pro perperis 15 ad denarios 18 grossos pro perpero; et doplettum de sona de perperis duobus; et tu alias(?) quatuor pro perperis duobus; et pro debito perperos sex et dimidium, in summa perperos 65 et dimidium ($64^1/_2$)". Ad haec respondit rex: „Verum est, quod tu Paule nullam culpam habeas, et omnia praenominata in ira mea tuli; sed expecta donec veniet Petrus de Andrizo et pacificabo te de omnibus praedictis". Et Paulus expectavit Petrum, et dictus rex nihil dedit Paulo, et pro nominata robaria per suas litteras per dictos ragusanos nuncios misit responsum iudicibus e communi ragusii et dixit: „De illo, quod pro Paulo scripsistis, illud parum et multum quod est apud me totum volo ei reddere, sed feci per iram". Testes: Grubessa Gundulae et Michael Pezzanae iurati iudices. Presbyter Pascalis, communis juratus notarius, scripsit.

In archivo reip. ragusanae. Fasc. I. B. nr. 206.

DCXXVIII. **Venetiis,** *mense Martio 1252.* Pactum Ragusii. Cum nobiles viri Dabrane de Lampredio, Cerna de Vitana, Theodorus de Bobatia et Goislavus Theodori Crosii, nuntii Ragusini, ad praesentiam Marini Mauroceni ducis Venetiarum nomine dictae civitatis accessissent, petentes concordiam et ostendentes comissionem de 15. decembris 1251. in qua iudices Ragusii Grubessa Gundula, Michael Pezanae, et Pasqua Joannis de Grade et consiliarii parvi et magni consilii: Velcius Bladimiri, Petrus Balislavae, Bubanna Petri, Petrus Srettae, Mangatia Lampri, Calenda Triphonis, Lampremo, Calenda Cernetae, Domana Guerrerii, Michael Buzzolae, Mathias Balatiae, Paschalis Theodori, Petrus Mathaei, Joannes Pecurarius, Velcassus Joannis, Lucarus Calendae, Andreas Zrevae, Petrus Joannis Bogdani, Petrana de Bonda, Marinus Binzolae, Dimitrius de Menze, Sersus Clementis, Mathaeus Veresti, Andreas Benessae, Proculus Michael, et caeteri consiliarii committunt supradictis nuntiis et faciunt plenam comissionem, dantque potestatem quidquid firmaverint cum duce Venetiarum, quod velint ratum habere. Et hoc nomine eorum firmat iuramento Marcholus de Ursatio iuratus vicarius. Scripsit presbyter Paschalis notarius. Fecerunt autem pactum subditionis cum duce; et concesserunt, ut eis dux ad voluntatem suam comitem concedat; item Ragusini semper archiepiscopum eligant de Venetiis a Gradu usque Caput aggeris; item quod archiepiscopus Gradensi ecclesiae subiiciatur, si papa concesserit; item archiepiscopus jurabit fidelitatem duci; item clerus ter in anno cantabit laudes duci; iurabunt fidelitatem comiti electo a duce, qui liberam habet facultatem veniendi et morandi Ragusii et recipient eum honorifice; item quando

Venetia fecerit exercitum usque Dyrachium et infra usque Brundusium et infra, facient ei Ragusini secundum numerum virorum suorum, de triginta lignis armatis facient Ragusini trigesimam partem; et stabunt in servitio, donec steterit exercitus veneticus; de extraneis navibus tollent illud datium, quod Veneti; amicos et inimicos habebunt eosdem, Cacichios neque Dalmesanos vel alios grossarios non recipient in civitatem Ragusii vel eius districtum, et cum venetis galeis mittent contra illos 50 homines armatos; pro regalia dabunt duci omni anno hyperperos 12 in festo OO. SS.; obsides dabunt 12 nobiles. Pactum etiam initum de mercibus solvendis, quarum datium fuit idem cum veneticis; de mercibus Slavoniae nihil solvent; in partibus Italiae non audent mercatum facere, nisi cum victualibus.

Ex archivo vindobonensi. Liber factorum I, p. 256.

DCXXIX. **Ferrariae,** *7. Aprilis 1252.* Azo Estensis et Anconitanus marchio dat investituram Jacobo de Brusatis, Dyonisio notario ejus nepoti pro se et domino Guidone de Bruxati etc. praesentibus d. Stephano duce totius Slavoniae, Marco Ziano comite Arbensi, Isnardo dom. Opizonis Malaspinae filio, domino Melliorino iurisperito de Padova, D. Bon Mathaeo legum doctore et aliis.

Muratori: Antiquitates Italiae medii aevi. T. I col. 607. Fejér: cod. dipl. Hung. tom. VII. v. I. p. 297.

DCXXX. **Perusii,** *22. aprilis 1252.* Innocentius IV. papa comittit episcopo Anconitano, ut super causa archiepiscopi Ragusini ex parte una et archiepiscopi Antibarensis, et episcopi Budvanensis, Dulcinensis, Drivastensis, Scodrensis, Svaciensis et Pollatensis ex altera, ex eo quod dictus archiepiscopus Ragusinus asserat, eundem Antibarensem non esse archiepiscopnm sed episcopum, ac praedictos episcopos fore sibi et ecclesiae Ragusinae subiectos, auditis testibus et inspectis monumentis una cum episcopo Sabinensi, misso apostolico auditore, investigationem peragat et resultatum referat.

Ex transumpto Bullarii archivi Ragusini. MS. in mea collectione p. 263.

DCXXXI. *1252. 24. Aprilis.* Stephanus banus totius Slavoniae significat, quod pro utilitate et honore regis fecerit et locaverit novam et liberam villam in Crisio, dans hospitibus in ea habitantibus eandem libertatem, qua utuntur hospites de Grecz et de nova villa Zagrabiae, eximens eos a potestate comitis Crisiensis et ejus judicio. Vult, ut nullam collectam soluere debeant; pro libertate autem ipsorum tertio anno a data praesentium de qualibet porta quadraginta denarios bano pro tempore constituto solvere teneantur; forum ab eo concessum celebrabunt tertia feria, de cujus tributo duae partes bano, tertia vero ipsis hospitibus debeat administrari. Maior villae, quem populus elegerit, iudicabit omnes causas. Citatio maioris villae tantum specialibus litteris bani mediante bono testimonio fieri debeat, et ipse citatus per quempiam banum ultra Gyozd et ultra Dravam non sequatur. Si extraneus aut aliquis civis contra alium civem gladium aut cultellum extrahere praesumpserit, sed vulnus non mortiferum inflixerit, judicio unius marcae condemnetur; si autem interfecerit suum concivem, centum pensas solvat, ex quibus duae partes adversae parti, tertia vero maiori villae solvatur; et nisi homicida pecunia sua se defendat, caput ejus parti adversae statuatur. Fur et calumniator, ablatis

omnibus, quae habet, de villa expellatur cum pudore; decedentes sine haeredibus sua bona relinquant cui voluerint. Cives ad exercitum bani vel regis aut iudicis sui ire non tenebuntur, nec alicui jus domorum suarum nec a familia bani, neque ab aliis inferatur, sed quem volunt hospitio recipiant voluntarie; maior villae eligatur ad unum annum. Quisquis ad villam venire libere potest et recedere secure, venditis suis bonis. Cives tributum in foro non solvent. Convictus in causa pecuniaria solvet 40 denarios pro iudicio. Assignat civitati terram quoque, quam personaliter inspexit et per Georgium comitem Crisiensem metari fecit, cuius prima meta incipit a magna via de vico ejusdem villae, in occidenti pervenit ad fluvium Corusca, transiens eum ascendit montem, item descendit ad vallem et ad fluvium, inde per varias metas ad magnam viam, quae ducit ad s. Michaelem; inde ad fontem Tetrench, inde juxta terram Zveno iobagionis castri Crisiensis; inde juxta terram Tiburtii ad caput dicti fontis et pervenit usque terram de Kemluk et commetatur terrae s. Sepulchri de Golgonicza, inde versus orientem coniungitur terrae domus templi de Golgonicza; inde coniungitur terrae Volcassae, inde ad magnam viam, inde transit fluvium Vertelen.

Idem privilegium confirmatum a Bela IV. rege, datum prope castrum Babocha a. 1253. item a Bela duce totius Slavoniae, Dalm. et Croat. a. 1269., item a Stephano bano totius Slavoniae et Croatiae a. 1352., item a Sigismundo rege a. 1408. et Rudolpho II.

Ex archivo civitatis Crisiensis.

DCXXXII. **Perusii,** *1252. 29. Aprilis.* Temporibus Innocentii IV. papae pater Joannes Bonus Anconitanus episcopus auctoritate litterarum domini papae statuit terminum peremptorium fratri Johanni archiepiscopo Antivarensi pro se et procuratorio nomine Budvanensis, Dulcinensis, Drivastensis, Scodrinensis, Svacensis et Pollatensis episcoporum ex una parte et d. Leonardi Plebani s. Johannis de Trivisio procuratoris d. Johannis archiepiscopi Ragusini ex altera, hinc ad tres dies ante Kalendas Januarii proxime venturi ad comparendum per se vel idoneos procuratores coram summo pontifice in causa, quae inter eos vertitur, ad sententiam audiendam. Actum in palatio S. Florentii, praesentibus Bernardo priore dictae ecclesiae, Vivano d. Philippi de Ancona, Bonacurso d. Biachini de Camerino, et Bonincasa familiari fr. Johannis, testibus rogatis. Jacobus Andreae Cicutae imp. notarius scripsit.

Ex transumpto bullarii archivi Ragusini. MS. in mea collectione p. 385.

DCXXXIII. **Ragusii,** *1252. 29. Julii.* Cosmas capellanus et notarius episcopi anconitani ac ipsius subdelegati statuit archiepiscopo Ragusino terminum peremptorium, ut nomine suo et ecclesiae Ragusinae vel per se vel per idoneum procuratorem compareat coram ipso Cosma in civitate Antibarensi die octavo exeunte mense Augusti ad videndum et audiendum testes, quos voluerit introducere Antibarensis archiepiscopus pro se et nomine aliorum episcoporum; item praecipit praesenti domino Stanechae procuratori archiepiscopi antibarensis, ut procuret, quod antibarensis archiepiscopus pro se, comite et commune Antibarensi, et d. rege Rassiae et fratre eius d. rege Vladislavo inveniat securitatem pro d. archiepiscopo Ragusino et ejus procuratore,

qui paratus est comparere, si habuerit securitatem pro persona et rebus. Testes: presbyter Antonius Blancus, Ursacius Damiani, clericus Petrana de Bonda et alii. Presbyter Paschalis communis notarius scripsit.

Ex transumpto bullarii archivi Ragusini. MS. in mea collectione. p. 312.

DCXXXIV. *1252. 14. Septembris.* Gerdomanus Sumetic nuntius d. Urosii regis Serviae confitetur, quod a Marsilio Georgio comite Ragusii acceperit mille ducentos perperos, prout ipse d. rex per suas litteras praeceperat; quos perperos fratres Andreas et Salomon de ordine Praedicatorum, et nuntii ragusini Theodorus Bodacae et Petrus Johannis Bogdani nomine dicti comitis et communis Ragusini nuper praeterito mense Augusto dicto regi promiserant dare. Testes: Goyslavus Theodori Crossi, iur. iudex, Bubanna Petri monachus, Silvester de S. Maria de Deza, Angelus Baranco de conventu s. Augustini, Michael Casulo de conventu s. Gervasii de Venetiis, Rosius Triphonis Ratislavae, et Marcholus Maledacii Catharensis, Dobrana Lampridii, Calenda Cernechae et alii plures. Presbyter Paschalis notarius scripsit.

In archivo reip. Ragusanae. Fasc. II. Nr. 99. In pendenti sigillo cereo **ГРАДОМАНИ.**

DCXXXV. *1252. 10. Novembris.* Bela IV. rex notum facit, quod cum Echuruh filius Abel Thomam comitem et Petrum, fratres Filae praepositi (zagrabiensis), super praediis Ruch, Donath, Drauch et Cudmen, ubi est ecclesia s. Martini, coram eo comparentes in regiam praesentiam evocasset, idem Echuruh proposuerit, quod praefata praedia ad eum iure haereditario pertinerent, quae ipse et sui genitores ante adventum Tartarorum pacifice possederant, matre ipsius E. in praediis Ruch, Donath et Drauch, Nicolao vero filio Agnus, fratre eius, in Cudmen tunc demorante; sed quod tempore insultus Tartarorum, cum esset persecutio generalis, ab ipsis praediis aufugissent, et post reversionem suam dicta praedia invenerint per Filam praepositum occupata, nec admiserit eos armata manu in possessionem prohibendo aditum. Ex adverso Thomas comes et Petrus frater eius dixerunt, quod praedia ipsa per donationem Colomani regis et ducis, quam ille Filae praeposito fecerat, ab eo tempore semper possedissent in pace, a quo fuit rex Bela regio diademate coronatus, quae praedia, inter duo flumina Jlsva iacentia idem rex Colomanus habuit per concambium terrae Pecur (Pekrec, Pakrac) ab Abraam filio Marcelli, sicut in eiusdem regis et ducis privilegio continetur. Dixerunt etiam Thomas et Petrus, quod super praediis Drauch et Cudmen fuerit iudicatum contra Nicolaum, filium Agnus, fratrem ipsius Echuruh, per Andream filium Serephil iudicem curiae, coram quo Nicolaus Filam praep. in iudicium evocaverat. Quia autem Echuruh allegabat, litteras donationis regis et ducis Colomani Filae factae falsas esse, quia Fila fuit eius cancellarius, rex ad scrupulum amovendum decem nominavit nobiles, qui cum duobus fratribus Thoma et Petro sacramentum deponerent de veritate litterarum. Hi nobiles sunt: Abraam comes, Bartholomaeus filius Thomae, Jowachus comes, Jowanka filius Abraam, Petrus filius Dionisii, Marchat comes et Compolth de genere Aba, item Pedur, Marcus filius Lucae, Jowan filius Jruslow, qui omnes ad confirmationem privilegii praestiterunt iuramentum. Rex itaque adiudicans praedia supranominatis fratribus dictat Echuruho perpetuum silentium.

Codex dipl. patrius. VI. p. 62. Ex archivo camerali Budensi.

DCXXXVI. *1252.* Temporibus Innocentii IV. papae, et Belae IV. regis. Quia in partibus Dalmatiae consvetudinis usque longaevi auctoritas quam maxime pro lege veneratur, idcirco Stanimirus archipresbiter una cum Tolone, Joanne et Grisogono clericis pleno mandato universi cleri Sibenicensis ad Spalatensem ecclesiam, tamquam ad caput metropolitanum, accedentes, ibidem coram Thoma archidiacono et capitulo s. Domnii dixerunt et recognoverunt omnimodam subjectionem debere Treguano episcopo Traguriensi, sicut patri et dioecesano suo, et eius successoribus, promittuntque antiquas consvetudines perpetuo observare. In praesentia fratris Magsi, fr. Jose, ord. Praed. Michae et Bivae presbyterorum, nob. viri Michaelis comitis castellani de Clissa, Thomae archidiaconi, Prodani, sacerd. Petrosii, Radosii, Nicolai sacristae, Joannis Savini, Jacobi et aliis de capitulo.

Lucius: Memorie di Traù p. 73. Farlati: Illyr. sacr. IV. 343.

DCXXXVII. *1252.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notificat, quod Thomas filius Joannis de provincia Zotmar confessus sit, se praedii sui nomine Symjan inter Tiszam et Zomus constituti tertiam partem dedisse Michaeli comiti filio Obul et fratri suo Egidio, e converso Michael comes confessus, se reddidisse praedicto Thomae servum suum Janus cum duobus filiis et una filia ac rebus suis, capitulo itaque se intromittere recusante de facto parcium ignotarum et extra terminos suos existentium Alexandro vicebano et Ompud comite de R . . . referentibus constitit de eisdem et quod ad locum dioecesanum redire non potuissent, quod uterque eorum Stephani bani fuisset serviciis occupatus.

Fejer: Cod. dipl. t. IV. vol. II. p. 169.

DCXXXVIII. *1252.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notificat, quod frater Richardus cellarius ecclesiae de Toplica pro se, abbate et toto conventu ab una, ab alia autem parte Wlc filius Zybizlay et Jaco pro se et generatione sua retulerint, quod cum abbas et conventus ab illis coram Alexandro vicebano terram Lacoychy requisissent, quod illa scilicet ad castrenses ecclesiae et ad Grangiam, quae vocatur Brochina pertineret, pro bono pacis idem Wlc et tota generatio reliquerint terram ecclesiae, quae illos in suos speciales familiares recepit.

Tkalčić: Mon. hist. episc. zagr. I, 97.

DCXXXIX. *1252.* Alexander magister vicebanus et comes Zagrabiensis insinuat, quod abbas de Toplica et totus conventus eiusdem, accepto pristaldo vicebani Gemzine filio Ratha, citaverint Wlconem filium Zybislay et Jaconem ac totam generationem eorundem, requirentes ab iisdem, ut fateantur terram Lacoychy ad suos castrenses et ad grangiam pertinere; Wlc autem et Jaco et tota eorum generacio esse suam asserebant, adiudicati sunt testes et producti per ambas partes; abbas tamen et conventus dimiserunt causam ad sacramentum Wlconis et quinque cognatorum suorum; ad quod Wlk et Jaco et tota generatio reliquit terram ecclesiae memoratae. Metae: penes arbores ureh et jablan id est pomerium (?) ad Macha, inde ad rivum Brosina, et ad fontem Cheresneuch . . inde per supercilium montis ad duas quercus cosel; inde ad brest et quercum, ubi suspensi fuerunt tres latrones; inde per vallem ad fontem Strasny studenech, inde iuxta arbores urech i e. nux yva, id est

salix vzcorusa, ad pratum Trestina loca, et penes vzcorusam ad viam, ubi terminatur terra Wlk filii Zibizlay et ecclesia Toplicensis.

Tkalčić: Mon. hist. eccl. Zagr. I, 95.

DCXL. *1252.* Stephanus banus totius Slavoniae significat, quod cum ex praecepto Belae regis terras castri in tota Slavonia a tempore Colomani regis alienatas iudicando castro restitueret, quidam iobbagiones castri Zagrabiensis terram Nicolai filii Hudizlai Scepnicha nominatam ratione castri reambulaverint dicentes, illam fuisse castri memorati, sed per eundem occupatam, Nicolaus autem illam terram suam haereditariam esse asserebat, ostendens evidentem rationem veritatis, quod olim Ompud banus terram illam ignoranter ab attavo eiusdem occupasset, postmodum autem cognita veritate restituerit; postea etiam, quando Nicolaus orphanus fuit, erat illa terra a quibusdam jobagionibus castri occupata, e quorum manibus idem illam teste litterarum capituli zagr. et Jo nce tunc comitis Zagrabiensis et vicebani iusto venditionis titulo comparavit; quocirca banus terram ei perpetualiter adiudicat. Metarum autem terrae prima incipit a quodam fonte, circa quem sunt salices; per varias metas arboreas et montes venit ad viam, quae ascendit de domo Meriad et ad medium montis, ubi sunt tres metae Nicolai; inde ad metas cruciferorum s. Sepulcri, ex parte sinistra filii Merge; per varias metas ad vineam Sotk et ad aquam Scepnicha, iuxta quam est quidam puteus, ubi deficit meta cruciferorum, incipit Bolosod convicinari terrae Nicolai comitis; et iterum per varias metas, montes et vineas, vadit super monticulo Preval, et transiens viam de domo Nicolai ad domum Bolosod descendit ad rivulum, qui decurrit de domo Bolosod, et venit ad aquam et ad primam metam.

Tkalčić: Mon. hist. eccl. Zagr. I, 94.

DCXLI. *1252.* Capitulum vesprimiensis ecclesiae notificat, quod Martinus Nana pro se et filio suo Motmerio, Egidius et Tiburcius filii Egidii ex una parte, Benedictus decanus et Nicolaus custos Zagrabiensis pro capitulo zagrab. ex altera, proposuerint viva voce, quod cum questione mota inter ambas partes super quarta terrae Topliche donatae ecclesiae Zagrabiensi ex parte relictae Motmeri comitis coram patre Philippo episcopo Zagrab. aliquamdiu litigassent, et per relationem ad audientiam regis questio pervenisset, tandem ex permissione regis venerint ad talem compositionem, quod capitulum zagr. Martino, Egidio et Tiburtio solvere teneatur viginti novem marcas, ipsi ab omni ulteriori questione cessantes.

Tkalčić: Mon. hist. eccl. zagr. I, 97.

DCXLII. Perusii, *18. Januarii 1853.* Innocentius IV. papa abbati et conventui de Thoplicza cicterciensis ordinis, zagrab. dioecesis, petentibus, ut ordinationem episcopi Praenestini, tunc archiepiscopi Strigoniensis, qui in monasterio s. Nicolai de Erche, vesprimiensis dioecesis, in quo fratres Carthusiensis ordinis aliquando morabantur, sed post recessum Tartarorum destructum et desolatum extitit, quosdam monachos et conversos Toplicensis monasterii colocaverat, ratam haberet, confirmat.

Theiner: Monum. vet. Hung. I, 216. Fejer: Cod. dipl. Hung. t. IV. vol. II. p. 178.

DCXLIII. **Belgradi**, *26. Januarii 1252.* Bela IV. rex capitulo nonensi quandam executionem pro parte comitis Petri filii Tolomiri de Lika mandat et relationem requirit.
Orig. in archivo comitum Frangepani in castello Porpetto nr. 2.

DCXLIV. **Venetiis**, *10. Martii 1253.* In consilio maiori prolongatur terminus nobili Laurentio Teupolo comiti Veglae, ut usque ad octo dies, postquam Mediolano reversus fuerit, excutiat pignus suum, quod est in procuraria, et solvat illos denarios, quos debet Andreae Gisi.
Ljubić: Listine I. 85.

DCXLV. *1253. 3. Aprilis.* Bela IV. rex notificat, quod coram eo constituti Martinus filius Nana cum filio suo Motmerio, et Egidius filius Egidii pro se et fratre suo Tiburcio ex una parte, Smaragdus praepositus Posoniensis, Petrus fisicus et Jacobus Zagrabienses canonici pro suo capitulo ex altera, litigarint super quarta parte terrae Toplica, donatae ecclesiae Zagrabiensi a relicta Motmerii comitis, et quod tandem venerint ad eam compositionem, ut capitulum zagr. Martino, Egidio et Tiburcio solvere teneatur 29 marcas, quod et factum.
Tkalčić: Monumenta hist. episc. zagr. I. 98.

DCXLVI. *In* **Bobocha**, *16. Augusti 1253.* Bela IV. rex manifestat, quod Merge filius Stephani et Mothko filius Wlkosa de Zlayna supplicaverint quandam particulam terrae vacuae in comitatu Crisiensi; ipse autem attendens multimoda fidelissima eorum servitia concedit ipsis dictam terram, quam per Georgium comitem Crisiensem et Prelsam terrestrem metari fecit; quarum metarum prima incipit iuxta terram Herbortya, Johannis filii Stephani, ubi stat mons Petththa; abhinc per vallem ad quendam parvum fluvium; inde per vallem ad montem Travnich, et venit circa terram Pousere ad magnam viam, iuxta quam est lacus Kalische, et tendit inter fluvium Glogoncha et sub montem Ceroberda; deinde per varias metas ad terram capituli zagrabiensis, et tendit per monticulos Glawycze Drenovethke ad parvum montem; inde ad vallem circa fortem Dubranzky et pervenit circa quendam magnum fluvium, et ab oriente ad montem magnum Garmith; iterum ad montem Pethche, ibique terminatur. Vult etiam rex, quod praefati Merge et Mothko posteritatesque ipsorum universi nullo unquam tempore ad exercitum ire teneantur, sed singulis annis in octavis b. Georgii quadraginta denarios quilibet ipsorum regi solvere teneatur; singulis etiam annis circa festum b. Michaelis archangeli medium cubulum frumenti et medium avenae regi solvere tenebuntur, sed marturinas dare non tenebuntur.
Tkalčić: Mon. hist. eccl. zagr. 99.

DCXLVII. *1253. 13. Augusti.* Stephanus Uroš, rex Serbiae, Marcello Georgio comiti Ragusii et toti comunitati Ragusinae confirmat privilegia concessa mercatoribus ragusinis a patre suo. Ex parte Ragusinorum jurant Andreas cum suo fratre Salamon, Teodorus Budačić et Petrus Žun Bogdanić.
Miklosich: Mon. serbica p. 40.

DCXLVIII. *1253. 3. Octobris.* Bela IV. rex notificat, quod cum Laurentius villicus de Besenev, ad ecclesiam s. Gregorii pertinente, et filius ipsius Demetrius, ac Johannes gener Gregorii de eadem villa, per camerarios regios Sirmienses, Leopoldum scilicet et ejusdem socios, in manifesto crimine fabricationis falsae monetae deprehensi, coram Benedicto archiepiscopo Colocensi, aulae cancellario, qui per totam Sirmiam non solum honore comitatus, sed etiam vice et auctoritate regia ex delegatione sua fungebatur, convicti fuissent, ita quod et omnia eorum instrumenta regi essent praesentata, et eorum bona ad dictum archiepiscopum, utpote iudicem regium et in partem dictorum camerariorum (secundum consvetudinem regni) devoluta fuissent: idem archiepiscopus fideli suo Ivan, magistro tavernicorum, quasdam res et bona ipsius Laurentii contulerit, quam donationem rex confirmat.

Fejer: Cod. dipl. Hung. t. IV. v. II. p. 170.

DCXLIX. **Perusii,** *12. Decembris 1253.* Innocentius IV. papa ad petitionem magistri et fratrum militiae templi in Hungaria et Slavonia, quod licet Bela rex olim omnes donationes et concessiones a patre Andrea rege nec non Emercio factas revocandas duxisset, idem tamen postmodum ad cor rediens, volens domui militiae templi salubriter providere, quosdam redditus, terras, possessiones et res fratribus eiusdem domus confirmaverit, eandem confirmationem ratam habet et gratam.

Fėjer: Cod. dipl. Hung. t. IV. v. II. p. 203.

DCL. *In* **Kemluk,** *1253.* Fulcumar, comes de Kemluk, vice Stephani bani significat, quod Crisan et filii eiusdem Elyas et Ivan accepto homine suo reambulaverint vineam, sitam super terram Badeh, et ipsum Badeh citaverint ad suam praesentiam contra eum proponentes, quod eandem vineam indebite detineret; quod e converso responderit Badeh, quod vineam pro septem pensis emerit ab eisdem Crisan et filiis in praesentia Zolad comitis terrestris, cujus litteras dixit se habere; et cum Badeh easdem litteras presentasset, iidem Crisan et filii easdem falsificaverunt; comes autem Fulcumar statuerit ad hoc ipsum Zolad comitem per litteras coram se, qui asseruit, ipsam vineam in sui presencia eidem Badeh venditam esse a Crisan et filiis et litteras suas falsificatas esse; ad quod ipsi reos se esse declararunt; comes sanguinis effusionem cum eis facere nolens statuit, quod ipsi in futurum quemcumque hominem in maiori causa litigare non possint, nisi in causa duodecim denariorum, secundum quod consvetudo exigit columniatorum approbata, vinea relicta penes Badeh.

Ex collectione Thadaei Ferić. In membr.

DCLI. *1253.* Moys magister tavernicorum Belae ducis (Slavoniae), comes Simighiensis et de Varasdino, significat, quod cum Samson filius Samsonis super filios Kurpad medietatem terrarum ipsarum de Jutha et de Band inquisivissent coram eo, et ipse probationem testium adiudicasset, tandem idem Samson transactis quibusdam diebus duello inter partes adiudicato resignaverit, nec sacramentum receperit, videns magister justitiam dictorum filiorum Kurpad reliquit eis terram perpetuo possidendam.

Fejer: Cod. dipl. Hung. t. VII. v. 5. p. 583.

15

DCLII. *1253.* Bela IV. rex significat, m. Stepk(o)nem filium Roberti comitis postulasse, quod vellet pro remedio animae suae possessiones suas Culpafeu haereditariam et Chernehttuu empticiam monasterio s. Stephani regis de Zagrabia et per eum capitulo loci conferre, si rex annuere dignaretur; rex vero ob fidelia obsequia et merita Stepconis donationem ratam habet.

Tkalčić: Mon. hist. eccl. zagr. I, 101.

DCLIII. *Circa 1253.* Črnomir comes queritur, Ragusinos homines suos, Ruhotam et Diocletianum (Dukljanin) et Lucanum et unam feminam cepisse et ultra mare vendidisse.

Miklosich: Mon. Serbica p. 42.

DCLIV. **Laterani,** *20. Februari 1254.* Innocentius IV. papa concedit procuratoribus B. quondam Colocensis nunc Strigoniensis archiepiscopi magistro Petro praeposito ecclesiae Chasmensis, Octomaro archidiacono Novogradiensi et Raynaldo plebano die Bana, Strigoniensis dioecesis, facultatem nomine ipsius archiepiscopi mutuum 3.500 marcarum argenti contrahendi.

Theiner: Monum. vet. Hung. I, 225.

DCLV. *1254. 5. Aprilis.* Bela IV. rex notum facit, quod Lanceretus comes, filius Buzad comitis, in petitione sua monstraverit, quod cum ipse terram Bela intra Dravam et Muram a iobagionibus castri zaladiensis, Joanne videlicet filio Petri, Abraam filio Jura, et Dominico filio Abrank, pro certa summa pecuniae comparasset, Stephanus banus totius Slavoniae et Paulus tunc iudex curiae et comes Zaladiensis, quos ad reambulandas terras castri Zalad rex exmisserat, si illas invenirent per aliquem contra iustitiam occupatas, terram Bela ab ipso Lancereto comite sub nomine terrae castri receperint, et eandem castro statuerint, inungentes venditoribus, ut pecuniam restituant, quam cum per spatium prolixi temporis restituere nullatenus potuissent, pro ipsa summa praedium Joannis supranominati, Tornua nomine, eidem comiti extiterit assignatum. Quo facto dicti iobagiones castri regem humiliter petierunt, ut dictam terram Bela, quae fuerat eorundem, vendendi facultatem praeberet, cum ex illa terra modicum castro commodum accedat, terra autem Tornua magnum eis et castro dispendium procurabit. Cui petitioni rex annuens praecepit comiti Lanzereto, ut praedium Tornua Joanni dimitteret, et loco sui Belam reciperet, in cuius possessionem per Farcasium de Zagoria ad hoc per regem deputatum Lanceretum introduci facit. Metae autem, prout Joahun filius Cupan, Wlchuk filius Wlchuc, Glauch filius Cozma, Ladislaus filius Wrank, Petizlo filius Gurg, Volcodrus ac Cuplen filius Stephani, iobagiones castri, in scriptis detulerunt, hoc ordine distinguuntur: Prima incipit a Kemen terra consortis regis, quam possidet magister Chak ex donatione ipsius, inde conterminatur cum terra Polana, inde ad magnam viam Ebrys, inde ad meridiem transiens viam cadit in aquam Bela, et venit ad portum aquae Bela, vergens ad merdiem cadit in aquam Chorna mlaka, ubi conterminatur terrae Scombathel, quae est comitis Lanceroti, in occidente terra Kuchula vadit ad terram Ladislai, in septemtrione ad terram Kemen et cadit in metam priorem.

Wenzel: Cod. dipl. patrius VI. 81.

DCLVI. **Laterani,** *21. Aprilis 1254.* Innocentius IV. papa ad petitionem archiepiscopi Spalatensis, quod cum inter eum et S. archipresbyterum et clericos ecclesiae de Sebenico, traguriensis dioecesis, super eo, quod ipsi a iurisdictione eius se subtrahere niterentur, materia quaestionis exorta esset, et mediantibus archidiacono et canonicis ecclesiae Spalatensis amicabilis inter partes compositio intervenerit, ipsam compositionem confirmat et ratam habeat.
Lucius: Memorie di Traù p. 75.

DCLVII. *1254. 23. Aprilis.* Bela IV. rex notum facit, quod Johannes filius Nicolai fratris Ugrini de genere Chak confessus sit, terram suam Guth in comitatu Albensi existentem, quae prius terra generationis Guthkeled dicitur extitisse, Stephano bano totius Slavoniae (cum consensu?) generationis Guthkeled pro 33 marcis perpetualiter vendiderit. Porro confessus est Becha, filius Mochian, quod tempore famis post insultum Tartarorum terram suam Dada in comitatu Zabolch iuxta Tyciam praenominato Stephano bano pro 43 marcis perpetualiter vendiderit. Demum confessus est Gregorius filius Hunth comitis, se possessiones suas Garabsa Budilo, et Ganus inter Ticyam et fluvium Budrug in comitatu Zemlyn iuxta Karacha existentes, eidem Stephano bano pro 100 marcis argenti vendidisse.
Fejer: Codex dipl. Hung. VI. vol. 2. p. 226. Wenzel: Cod. dipl. patrius. VII. 43.

DCLVIII. **Ragusii,** *22. Maii 1254.* Judices et commune Ragusii et duodecim nobiles iurant župano Radoslavo et ejus proceribus, se cum iis firmam pacem servaturos esse. Jurant: Vukan Migača, Mikulica Pečenježić, Andreas Čerjević, Petronja Bundić, Petrus Batal, Michael Pježenić, Vlkas Mučnik, Demetrius Menčetić, Goislav Krusić, Dobroslav Ranović, Tudor Budačić, Martolo Ban Vrsanković.
Miklosich: Mon. serbica p. 42.

DCLIX. *1254. 22. Maii.* Radoslav chlmensis županus, filius Andreae comitis chlmensis, cum suis infrascriptis nobilibus iurat iudicibus et communi Ragusii, qua fidelis subditus regis Ungariae, se cum Ragusinis pacem servaturum, cum rege Uroš per terram et per mare bellum gesturum, cum imperatore vero Bulgariae Michaele in amicitia velle vivere, quousque Ragusini cum eo pacem tenent. Jurant ex Chlmensibus: Pribjen Zlošević, Boislav Mrkotić, Obrad Ivanović, Simeon Balgarin, Prjedislav Vlkmirić, Berko Radovanić, Miltjen Hrelić, Bogdan Prvoslavić, Bogdan Radoević, Desimir Crnjenović, Godjen Krajmirić, Prodan Pobrenović, Hrelja Radjenić, Boislav Radošević, capitaneus de Imota.
Miklosich: Mon. serbica p. 44.

DCLX. **Anagniae,** *11. Julii 1254.* Innocentius IV. papa mandat archiepiscopo iadrensi, episcopo scardonensi et archidiacono nonensi, ut, quia episcopus et capitulum ecclesiae Traguriensis in Dalmatia petitione sua monstrarunt, quod licet castrum Sibenicense, Traguriensi ecclesiae, quae cathedralis fuit, a tempore cujus memoria non existit, sit lege dioecesana subiectum, tamen clerus et populus dicti castri sub falso praetexto, quod sedem episcopalem hactenus habuissent, eidem Tragurinae ecclesiae debitam obedientiam

praestare nolit, vocatis qui fuerint evocandi, causam infra tres menses terminare curent, et ad sedem apost. pro examine remittant.

Ex mea collectione. Miscellanea dalmatica. Habet quoque Lucius: Mem. di Traù p. 75. et Farlati: Illyr. sacr. IV. 453.

DCLXI. **Anagniae,** *13. Julii 1254.* Innocentius IV. papa electo Neapolitano sedis apost. legato scribit, quod episcopus Zagrabiensis (Philippus) et frater Ecce(?) de ordine minorum, postquam idem legatus ab eo discessit, ad sedem apostolicam accedentes, ex parte regis Hungariae exponere curaverint, quod rex ipse occasione discordiae inter eum et regem Boemiae exortae auctoritate sedis apost. citatus extiterit, ut in festo nativitatis Joannis B. proxime praeterito per idoneum responsalem in pontificis praesentiam compareret, propter quod eosdem, episcopum et fratem, ad sedem ap. ipso termino destinarat, quodque rex paratus sit castra, munitiones et alia nunciis apostolicis assignare, per ipsos interim retinenda, dummodo rex Boemiae de iis, quae ipse tenet, similem assignationem duceret faciendam. Et haec eadem Fr. Walascus de ord. Min. quem pro hoc negotio in Ungariam olim transmisit, similiter dixit. Idcirco mandat praefato legato, quatenus praetactae legationis (in Ungariam) officio supersedere procuret.

Fejer: Cod. dipl. Hung. t. IV. vol. II. p. 249 Farlati: V. Illyr. sacr. 371.

DCLXII. **Anagniae,** *18. Julii 1254.* Innocentius IV. papa Philippo episcopo zagr. facit specialem gratiam, ne ad curiam sine speciali sedis apostolicae mandato citari possit.

Theiner: Vet. mon. Hung. I. 229.

DCXLIII. **Anagniae,** *22. Julii 1254.* Innocentius IV. papa ad postulationem monasterii s. Jacobi de Viscgniza Ragusinae dioecesis suscipit illud sub s. Petri protectionem, et confirmat omnia eius privilegia, immunitates et possessiones, quas habuit in locis Subrende Ver . . . . et Juncheto. Datum per manus Guillelmi . . . Parmensis S. R. E. vicecancellarii. Subscribunt Rainaldus ostiensis et velletrensis episcopus, Stephanus praenestinus episcopus, Stephanus s. Mariae . . . Cardinalis, Fr. Joannes s. Laurentii in Lucina presb. card., Fr. Hugo s. Sabinae card. Pr. Ricardus s. Angeli diac. card. Octavianus s. Mariae in via lata diac. card. Joannes s. Nicolai in arce Tulliana diac. Card., Villelmus s. Eustachii diac. Card., Ottobonus s. Adriani diac. Cardin.

Farlati: Illyr. sacr. VI. 105.

DCLXIV. **Anagniae,** *11. Augusti 1254.* Innocentius IV. papa supplicationibus Salomeae (viduae Colomani ducis) ordinis s. Damiani, natae quondam I. Cracoviae et Sandomeriae ducis, inclinatus indulget, ut si B. ducem Cracoviae et Sandom. germanum suum sine prole contingat decedere, et ei relinquere villas aliquas, licite possit ad suum et monasterii ejus nomen recipere; ac etiam dum vixerit retinere, ad successores ducis eiusdem post suum obitum redituras.

Fejer: Cod. dipl. Hung. t. IV. vol. II. p. 250.

DCLXV. *1254. 23. Augusti.* Stephanus Uroš, rex totius Serviae et Maritimae, promittit propinquo comiti ragusino Andreae D'Auro et nobilibus hominibus ragusinis et universo communi, quod vineas et terras, quas tenuerunt usque ad mortem sui patris, teneant et postea; iudicium sit a s. Michaele usque ad s. Georgium, uti fuit tempore eius patris, et iudices ambarum partium iurent, quod recte iudicaturi sint; commercium stet secundum usum eius patris; si aliquod malum fieret inter homines terrarum, rectificetur ratione; gentes eius regni, ubicunque invenerint eorum homines cum mercatu, non facient eis malum; cum civitatibus eius vivent Ragusini in usu, quo vixerunt tempore eius patris; si inveniretur homo eius regni, qui iudicaret eorum homini, quod regis homines dent illud habere, et si habere non esset tantum, dent sibi personam tantam usque ad terminum, quem iudices posuerint; et si iudices non darent eum, ubi ratio monstraret levare, illud habere, quod accipiat illud reamen regium; et reamen hoc teneat eos in honore, sicut tenuit eos pater eius; et si aliquis eorum fugeret ad terram eius regni, erunt securi ab eius devastatione (molestia); eorum homines, qui venient in Briscuam (Brskovo) dando decimam de sale, vadant per terram eius sine datio scapuli; et possunt venire cum magno mercato ad mercatum regni incipiendo a Zuboa (Župa) usque ad Setan (емьше одь кавада дори до свиль) et parvum mercatum possunt vendere per regnum scapule (libere). Et si alius comes venerit post supradictum, stabit rex semper in isto sacramento, donec illi stabunt in illo. Et firmatum fuit hoc sacramentum (обѣть) coram archiepiscopo et comite Georgio et zuppano Stephano et coram Michaele Pezanigna (Пѣженикем') et Petro Mathaei et Andrea Zerevae (Črević).

In archivo aulico viennensi inter acta Ragusana, scriptum in pergamena saeculo XIII. sed est versio ex slavico. Vide Miklošić: Monumenta serbica pag. 45.

DCLXVI. Anconae, *24. Augusti 1254.* Sufferectus Guirinquellus, potestas Anconae, permittit nomine communis Paulo Fultronio exercere repressalia contra Ragusaeos. Item 15. Sept. e. a. permittit Benevenuto exercere contra Ragusaeos repressalia usque ad certam summam.

Ljubić: Listine I, 86.

DCLXVII. Grez, *10. Septembris. 1254.* Stephanus banus et dux totius Slavoniae ac capitaneus Styriae notum facit, quod prior vallis s. Joannis in Syces coram eo et Gottfrido de Marpurch iudice provinciali et testibus Syfrido de Marenbergh, Dietmaro de Griven, Henrico de Rohacs, mariscalco de Trevna, Wygando de Gybel et aliis, villas Alsniz et Warte domino Dimone milite de Gybel, qui illas iure legitimo obtinuit, suae ecclesiae requisivit, itaque eidem confirmari.

Wenzel: Codex Arpadianus cont. IX. 253.

DCLXVIII. Jaurini, *4. Octobris 1254.* Bela IV. rex significat, quod terram s. Martini iuxta Waskam, quam olim ab ecclesia sua avulsam Bartholomaeus episcopus Quinqueecclesiensis ex regia donatione obtinuit et postea habebat frater Rembaldus, regio consensu habito, cum nec aliter facere potuisset, Philippo episcopo zagrab. vendiderit, et eum de permissione regis in possessionem introduxerit; quare praecipit universis iudicibus, ut praedictum episcopum

cum nullo commetaneorum suorum indicare praesumant, cum hoc fuerit ex regia licentia.

Fejér: cod. dipl. Hung. T. IV. vol. II. p. 124. Tkalčić: Monumenta episcop. zagrab. I. 101.

DCLXIX. **Anagniae**, *18. Octobris 1254.* Innocentius IV. papa Phillippo episcopo Zagrabiensi, inductus eius meritis, concedit, ut si a quocunque ad sedem apostolicam citatus fuerit, venire nullatenus teneatur.

Fejer: Cod. dipl. Hung. tom. IV. vol. 2. p. 251.

DCLXX. **Ragusii**, *8. Novembris 1254.* Ordinata curia Andreas de Auro, comes Ragusii, cum consiliariis de parvo et magno consilio faciunt statutum, quod omnes homines Ragusii pro quolibet quarengo vini, quod habuerunt in proximis praeteritis vindemiis, solvant dimidii denarii grossum pro reparatione pacis regis Urossii.

Orig. perg. in archivo reip. Ragusane fasc. I. nr. 25.

DCLXXI. **Jadrae**, *20. Novembris 1254.* Praesentibus Johanne Delphino comite Jadrensi, Philippo Donao et Joanne Aurio consiliariis, Simone Gerardo de Venetiis, comite Schinella de Veglia, Cosa Saladini, Preste de Matofarro, Andrea de Cotopania, Rainerio filio Varicassi, Cosa filio Petrognae, Paulo de Lampredio, Candio filio Ranei, Georgio de Veglia, Gregorio filio comitis Eliae, Losiprae Nicolai, Grisogono de Mauro, Micha filio Formini, Damiano filio Cerne de Carbone et Vulcenna filio Pelegrini, Engenani civibus Jadrensibus et Dessa sacrista s. Anastasiae et Stepo canonico eiusdem ecclesiae et aliis. Laurentius Jadrensis archiepiscopus, receptis litteris papae Innocentii in merito causae inter Sibenicum et Tragurium quoad electionem episcopi Sibenicensis exortam, citat Stanimirum archipresbiterum et presbiteros Sibenicenses Tolcum, Rodinem et Johanem de Viaco ac Stricum diaconum, quibus comparentibus interposuit Gregorius canonicus Traguriensis, procurator episcopi Fr. Treguani, petitionem, ut compellat dictum archipresbiterum et clericos observare sententiam excommunicationis, quam contra eos promulgavit episcopus Traguriensis, et solvere integraliter decimas subtractas, et expensas factas per episcopum; item ut puniat eos propter inobedientiam suam episcopo Trag. Itaque audita et parte contraria, quia manifeste constat, castrum et ecclesiam Sibenici a tempore, cuius non extat memoria, fuisse ac fore dioecesis Traguriensis, et subfuisse episcopo Tragur. tanquam suo dioecesano, pronuntiat sententiam, castrum et ecclesiam sybinicensem fuisse ac esse debere de dioecesi Traguriensis ecclesiae, tanquam matricis et capitis, condemnavitque praedictos archipresbiterum et presbiteros ad solvendas decimas et expensas, deposuitque illos de officio et beneficio ecclesiastico. Subscribunt: Candi de Regno examinator, Priamus s. Anastasiae primicerius et Jadrensis notarius, Arnoldus filius Alberti sartoris de Padua s. palatii notarius.

Farlati: Illyr. sacr. IV. 345.

DCLXXII. *1254.* Stephanus praepositus s. Sepulcri de Glagonicha et canonicus ecclesiae ieherosolomitanae notum facit, quod procurator ecclesiae Zagrabiensis, Moyg scilicet curialis comes eiusdem ecclesiae de Toplica ab una et ab altera parte filii Martini, Gregorius scilicet et Martinus et consanguineus eorum Both, pro se et omni generatione confessi sint, quod cum

inter capitulum et Gregorium ac fratrem suum et consanguineos altercatio super parte terrae Toplicensis diu perdurasset, tandem compositione intercedente perducti fuissent ad pacis unionem, et consensissent in metas subantiquas, quarum prima incipit ab oriente et venit ad magnam viam, quae venit de praedio Gregorii nomine Jelscich, versus meridiem venit ad caput montis Cobulaznus, inde procedit in via antiqua, et venit ad magnam viam, post varias metas arboreas venit iterum ad magnam viam Itteven, quae ducit ad Worosd, ubi terminatur.

Ex actis capituli Zagrabiensis antiquis. Fasc. 52. nr. 9. Transumptum Nicolai praepositi Strigoniensis de a. 1341.

DCLXXIII. *1254.—1256.* Andreas Daurus comes et totum commune Ragusii iurant se cum rege Serbiae Stephano Uroš pacem et amicitiam esse servaturos.

Miklosich: Mon. serbica p. 47.

DCLXXIV. Neapoli, *13. Februarii 1255.* Alexander IV. papa ad petitionem praepositi s. Irenaei Sirmiensis ecclesiae decidit, quod cum frater episcopus Sirmiensis, attendens grata eius servitia sibi et Sirmiensi ecclesiae ab eo impensa, nec non et quam plures labores, quos pro ipso et pro eadem ecclesia subiit, villam sitam in Zlacho, quae vulgariter Drasch nuncupatur, cum capituli assensu concedat, et donec vixerit, hanc concessionem ratam habeat.

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. IV. vol. 2 p. 526.

DCLXXV. *Apud* Waskam, *17. Martii 1255.* Bela IV. rex ad supplicationem Patris Philippi episcopi Zagrabiensis concedit, ut ipsius iobagiones et populi iuxta Dravam in terra s. Martini prope Waska tam in judiciis quam in caeteris eadem libertate et iure utantur, quo utuntur alii iobagiones et populi episcopatus.

In archivo archiepiscopatus zagr. Liber privil. p. 7. et 49. Originale ex archivo regni per banum Khuen-Hedervary Pestinum ablatum.

DCLXXVI. *1255. 30. Martii.* Bela IV. rex notum facit, quod cum tempore coronationis suae superfluas et inutiles antecessorum donationes de banorum consilio revocare fecisset, et frater eius rex Colomanus dux totius Slavoniae idem fecisset in ducatu Slavoniae, quem obtinebat, relinquendo donationes modo legitimo factas penes possessores, terram quamdam No(u)ak domui fratribus s. Sepulcri per magistrum Julam collatam, memoratus frater regis ipsi domui in perpetuam elemosynam duxit relinquendam, quod et ipse rex post mortem fratris ratum habuit; ut in posterum materia disceptationis auferatur, dictam terram per magistrum Benedictum quinqueecclesiensem circumspici et novis metis iuxta antiquas innovari fecerit, et licet totum supanatum de Novak fideli Prezdae bano contulerat, praedictam tamen terram exceptam esse vult, cum ipsam domum longe ante possederit. Metarum autem prima incipit supra rippam Drawae ab oriente ex parte Waska iuxta terram Urbani et Pouse iobagionum castri symigiensis, dein per varias metas venit ad viam de Waska, et iterum per varias metas terreas et arboreas ad quandam Mlakam; et iterum ad viam de Waska et in longo spatio metarum intrat ad Cherich usque ad aquam Prothoh, et per aquam superius versus villam s. Michaelis, quae est villa s. Sepulcri, et per magnum spatium ad

terram albi Boryn, ibi exit de aqua Cherich ad septemtrionem iuxta terram dicti Boryn, quae ubi terminat, incipit meta terrae villae Novak, per varias metas terreas et arboreas venit ad sepulcrum Paxa vocatum; et intrat viam magnam euntem in villam Novak, et protenditur ad angulum muri curiae domus s. Sepulcri; et iuxta alium angulum muri in recta linea eundo cadit in Drawam et per Drawam descendit iuxta cursum aquae circumiens insulam, quae pratum Thomae bani appellatur, et venit ad primam metam.

Tkalčić: Mon. hist. episc. zagr. I, 103.

DCLXXVII. *1255. 4. Aprilis.* Stephanus Banus totius Slavoniae et capitaneus Styriae significat, quod, cum Bela rex eum ad Ryucha pro restituendis terris a praedicto castro alienatis et pro libertate hominum de Ryucha iudicando destinasset, convocatis ad se iobagionibus castri praedialibus et castrensibus eiusdem castri, quos invenit ex castrensibus inde factos esse iobbagiones castri vel praediales, eos reddiderit pristinae libertati; quos vero invenit iobbagiones castri et praediales, illos in statu suo, secundum quod Colomannus rex (et dux) bonae memoriae ordinaverat, cum terris suis pacificis duxerit dimittendos. Inter caeteros autem invenit Scentam, Stoyk, Drayn et Jak hospites esse, quos Colomannus rex in eadem dimiserat (libertate), qua utuntur iobbagiones castri, quos etiam banus, Hohaldo comite, tunc temporis comite de Ryucha, et Petro curiali comite suo, ac omnibus iobaggionibus castri eiusdem, et castrensibus non contradicentibus, in eadem dimisit libertate una cum terris suis. Et terras ipsorum reambulari fecit per Vrbanum de Wercsa, qui metas conscripsit, quorum prima terrae Scentae incipit ab oriente a capite Plavna et tendit ad septemtrionem eundo parum cadit in fluvium Csazlo et fluit ad meridiem ad fluvium Welica, abhinc ad fluvium Camona, deinde cadit ad fluvium Bosouth, et inde pervenit ad caput Bosouth, ubi fluvius dividitur in duas partes, et per medium ascendit superius, ubi Tiburtius est commetaneus; inde inferius cadit in fluvium Marauth, per quem vadit superius ad magnam viam Colomanni regis; egreditur ad orientem ad terram Henrici comitis; inde ad unum angulum, ubi filii Pribislai sunt commetanei. Item incipit meta terrae Stoyk in eadem via, et venit ad alium angulum, ubi est commetaneus Farcasius filius Tolomeri; inde versus meridiem ad metam filii Ivan ad locum, qui Keskehat nominatur, exiens de silva ad locum ubi cadit Breztous, et incipit terra Drayn, et per Breztouz tendit ad meridiem, ubi commetaneus Babynov, ubi autem B. cadit in fluvium Kamarcsa, ibi incipit terra Jak; de Kamarcha exit ad siccam vallem, ubi Vadusa commetaneus, et per montem cadit ad magnam viam, et inde ad Brestous, ubi cadit in Welika, et exit ad Plavnae caput ad terram Scentae, ubi commetanei populi castri, et ibi terminatur.

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. IV. vol. 2 p. 347.

DCLXXVIII. *1255. Mense Aprili.* Stephanus, dux et banus totius Slavoniae et capitaneus Styriae, significat, quod cum ex mandato Belae IV. regis in comitatu de Riucha nobiles iobagiones castri a terra castri separaret et judicaret, invenerit quasdam teras apud quosdam liberos homines, quorum nomina inferius ponuntur; qui siquidem ipsas terras a tempore regis Colomani libere et secundum regni consvetudinem inventi sunt detinuisse, easdem

terras apud eosdem iobagiones remisit pacifice in ea libertate, in qua per Colomanum regem fuerant admissi. Quibus terris metas distingui fecit per hominem suum Urbanum de Bech. Terram quidem suam Velike et Gilobok, quam Johannes filius Urbani tenebat, apud eundem Johannem remisit sub his metis: Prima incipit de plaga orientali iuxta magnam viam, quae vadit versus occidentem, veniens ad caput Glabo (Glava), ubi est meta in ceraso; inde per viam versus meridiem, et per vallem in occidente ad fluvium Runissa (seu Bunissa), inde per alias metas ad fluvium Velika et ad commetanneum Volkos; inde per varias metas iterum ad fluvium Ruisena et fluvium Zelna (Selna) et fluvium Globok, ubi est commetaneus Zlopsa; inde ad magnam vallem, quae Hwrk dicitur; inde ad magnam viam et ad commetaneos castrenses. Terra Dragus incipit de fluvio Ruisna (Ružna?); divertitur ad fluvium Polora, commetatur cum villa de foro Riucha, cadit in Welikam et per eandem ad nemus Ztrug, et versus aquam Bagyn pergit ad fluvium Ztopotna; et per fluvium Ruisna revertitur ad primam. Meta terrae Porcha incipit ad meridiem in fluvio Ruicha, per varias metas vadit ud fluvium Velika, commetatur cum Mortun, per magnam viam iterum ad fluvium Riucha et terminatur ad villam fori di Riucha. Item meta terrae Margya et Gardoua filiorum Dotyn incipit in fluvio Konzka, ubi rivulus Sulyo cadit in ipsum; ad aquilonem alter rivulus Terztenik cadit in ipsum Suloch; inde penes Jechmene ab occidente venit ad dumum Requetie (Rakitje), et in bono spatio cadit ad parvam Konzchicha et venit ad magnam Konzka, et in longo spatio ad priorem metam.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Codex dipl. Arpad. cont. VII. p. 395.

DCLXXIX. **Cattari**, *12. Junii 1255.* Capitulum ecclesiae s. Tryphonis ordinat, ut bigami aut coniugati vel de saeculi conditione ad sacrum ordinem non promoveantur, volendo in ecclesia odia et scandala resecare, et secundum ecclesiastica iura vivere; et quicunque ipsorum ex parte supradictorum (sic) causa rogationis advenerit, ipse a capituli congregatione segregetur, ac vinculo excommunicationis sit irretitus. Nullus autem saecularium magistratus audeat suos in ecclesiam saeculares ducere sine audientia episcopi et capituli. Datum per manus diaconi Michae comm. notarii.

Farlati: Illyr. sacr. T. VI. p. 441.

DCLXXX. **Anagniae**, *17. Juli 1255.* Alexander IV. papa universis praelatis per Dalmatiam et Slavoniam constitutis mandat, quatenus circa personas ord. fratrum minorum affectum benevolum dirigentes nihil ab eis de bonis acceptis in elemosynam exigant, sed onera paupertatis eorum de bonorum suorum subsidiis potius relevent.

Fabianich: Storia dei frati minori I, 413.

DCLXXXI. **Anagniae**, *29. Juli 1255.* Alexander IV. papa universis praelatis per Dalmatiam, Istriam et Slavoniam mandat, ne molestent fratres ordinum minorum, quos nonnulli ex eis persequuntur.

Fabianich: Storia dei Frati minori I, 411.

DCLXXXII. **Strigonii,** *17. Octobris 1255.* Bela IV. rex scribit Traguriensi civitati, quod eius litteras receperit, ex quorum tenore intellexit, quod Stephanus banus totius Slavoniae in terris et vineis civium per officialem suum de Clyz iniuriam eis intulisset, quod quidem grave tulit, cum semper iura eorum conservare velit illibata; unde dat eidem S. bano per litteras suas in mandatis, ut iura eorum et libertates per omnia conservare debeat; de decimis etiam, quas episcopo Traguriensi Sibenicenses subtraxerunt, demandatum est, ut faciat iustitiae complementum.
Lucius: Mem. di Traù p. 77.

DCLXXXIII. **Anagniae,** *18. Octobris 1855.* Alexander IV. papa mandat universis praelatis ecclesiarum, ut illas personas saeculares et regulares ecclesiasticas, qui apostatas fratrum Minorum in suiis obsequiis vel ecclesiis seu monasteriis detinere praesumunt, excommunicatione puniant.
Fabianich: Storia dei Frati minori X. 416. Hanc bullam transcripsit de verbo ad verbum Vitus archidiaconus Jadrensis et notarius de mandato Laurentii archiepiscopi Jadrensis. Anno 1283. 13. Junii. Jadrae.

DCLXXXIV. **Sibenich,** *18. Octobris 1255.* Commune, archipresbyter et capitulum de castro Sibanich scribunt Stephano cardinali et episcopo Praenestino (Palestra), ut cum P. canonicum ecclesiae suae et notarium communis et iudicem castri ad s. sedem apostolicam sub firma ejus patrocinii fiducia super quibusdam arduis castri sui negotiis duxerint destinandos, dictos nuntios, benigne recipiat, et in auxilium sit eis in eo, ut desiderium communis adimpleatur.
Lucius: Memorie di Traù, 76.

DCLXXXV. *In villa apud* **S. Clementem in Gora** *18. Novembris 1255.* Philippus episcopus Zagrabiensis significat, quod cum ipsi homines de villa Petrinia decimas solvere denegassent, excommunicationis in aliquos et interdicti in omnes de ipsa villa sententias tulerit, in quibus biennio perstiterant, tandem ad cor reversi ad eum, ad sanctum Clementem constitutum, universaliter villae illius homines accedentes, supplicarunt, ut eos a sententiis absolvere dignaretur; ille autem ipsorum contritione et devotione pensata et maxime ad intercessionem patris Columbani episcopi Traguriensis, qui tunc aderat, ipsis iurantibus ad sacrosancta evangelia, ut attenderent universa, quae illis imposuit, ipsos dicto episcopo commisit absolvendos; ipsi vero absoluti a sententiis iterum juraverunt, se vele omnes decimas rite persolvere.
Tkalčić: Mon. hist. episc. zagr. I, 105.

DCLXXXVI. *1255. 20. Novembris.* Bela IV. rex notificat, quod cum Andreas filius Thomae a primitiva aetatis suae et regno et regi grata et continua fidelitate serviverit; et quidem primo cum crudelitas Tartarorum regem ad partes maritimas pro sua et suorum defensione compelleret pertransire, idem Andreas cum uxore et familia domus cum eo profiscens grata ei et domui suae non cessavit servitia exhibere; item, cum contra Fridericum ducem Austriae, specialem suum inimicum et regni insidiatorem, arma levasset, idem Andreas sub Nova civitate, iuxta fluvium Saar primus omnium impetum faciens, quendam militem Theutonicum, venientem contra se impe-

tuose eiectum cum lancea de dextrario, militariter confecit, sicut per Radoslaum ducem Galitiae, generum regis, et alios nobiles plenius est relatum; qui ibi recepit duo vulnera in humero et mamilla transfossus lancea Theutonicorum. Ad haec cum rex terram Theutonicorum invasisset, pluribus ibidem castris subiectis, tandem cum sub castro Kryslag cum toto exercitu esset rex constitutus, et castrum faceret expugnari, Andreas praedictus, rege cernente, sub ipso castro laudabiliter dimicando fuit interemptus. Cuius siquidem Andreae mortem posteris suis rex digne recompensare volens, quasdam particulas terrarum Chasmafeu vacuam et habitatoribus carentem, existentem ultra Dravam in comitatu Simighiensi in Izdench, quae fuerat cuiusdam praedialis, et terram Haletae cuiusdam nobilis iuxta eandem Chasmafeu sine haerede decedentium, quam quidem terram Haleta recepit rex in concambio terrae Suden a comite Pribislao, quam idem obtinuerat ex donatione; pro recompensatione itaque mortis Andreae et fidelibus servitiis Illuyni fratris dicti Andreae contitulit magistro Illuyno et haeredibus suis in perpetuum. Metarum autem prima incipit iuxta fluvium Chazmae; inde cadit in fluvium Orbolch; inde transit viam Pribizlai, item in orientem ad montem Chapla, post varias metas commetatur cum comite Alexandro filio Moys et venit ad magnam viam, quae vocatur via regis Kolomani, ubi incipit Andreae filii Thomae terra Haleta; et iuxta terram Pribislai vadit usque ad filios Denecher, cadit in fluvium Chasma et terminatur.

Fejer: Cod. dipl. Hung. tom. IV. vol. II. p. 313.

DCLXXXVII. *In* Pest *iuxta Danubium, 1255.* Bela IV. rex notum facit, quod Vogrisa cum tota generatione sua de Tolzcouth in comitatu Dubicensi conquesti sint flexis poplitibus, quod collectores marturinarum et ponderum ipsos dicassent, quae ipsi idem nullo unquam tempore solvere tenerentur; verum quia tunc temporis baro Stephanus banus totius Slavoniae praesens in curia regia fuerat, interrogavit eum de statu praedictorum iobagionum castri, quomodo et qualiter esset status mansionis ab antiquo; qui banus respondit, quod dictus Vogrisa et tota generatio sua nullo unquam tempore marturinas, nec septem denarios tenerentur, exceptis iobagionibus eorundem, qui tenentur dare pro marturinis decem denarios, et pro pondere sex denarios, praeterea tributum fori Dubicensis ipsi personaliter dare non tenentur, exceptis iobagionibus suis; ad haec de tributo porcorum ipsi et iobagiones eorum non plus solum unum porcum, si centum aut ducentos haberent, quilibet dare tenebitur; rex adiecit et ordinavit, quod quicunque comes a sua maiestate pro tempore inter ipsos fuerit, quod solum descensum per annum recipiat, et non ultra, comes curialis duos descensus per annum; porro iobagiones ipsorum in tribus offensis, videlicet in combustione, in furto et pro homicidio in praesentiam comitis citabuntur; de judicio ipsorum iobagionum habebunt tertiam partem. Ordinatum est porro a rege, ut nullus sit in his contradictor in perpetuum. Datum per manus magistri Smaragdi aulae vicecancellarii.

Codex dipl. patrius VII. 49. Ex archivo comitum Erdődy Galgonczam ablato.

DCLXXXVIII. *1255.* Bela IV. rex notificat, quod Stephanus banus totius Slavoniae et capitaneus Styriae ab eo petierit, ut restitutionem cuiusdam silvae iobagionum castri Zagrabiensis factam ipsis per eundem eodem anno 1255. dignaretur suo privilegio confirmare; in litteris autem bani continebatur, quod cum de mandato regis terras ad castrum pertinentes per Slavoniam reambulari fecisset, inquisita veritate de silva iobagionum castri zagrab. per circumiacentes, scilicet per capitulum eccl. Zagr. cruciferos domus militiae templi et hospitaliarios, abbatem et conventum de Toplica, per filios Maharcus ac omnes alios vicinos, ipsam silvam iobagionum castri esse et fuisse invenit. Cuius metae hae sunt: Kuche (al. Puttha) dividit eam de terra nobilium de Monoszlow, item transit per medium Odrae et iuxta Odram superius transiens cadit in fluvium Lekenyk; inde exit ad aquam Obony, et vadit ad lucum Morvech; inde ad viam Lesznek; inde per allam viam in aquam Buna, inde venit ad terram Mrachlyn, et cadit in aquam Ondina, et inferius in fluvium Odra, exit ad aquam Ribnicza et pervenit superius ad caput putei Zdenczi; inde ad Zoa (Sava?), ubi est ilex Wyche vocata, inde per Zauam ad priorem metam Kucha, ita tamen, quod illa sylva pertineat solummodo ad iobagiones castri, nobiles autem non habeant ibidem aliquam portionem; nec illi, qui sunt de genere servientium. Hanc literas bani confirmat rex.

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. IV. vol. II, p. 288.

DCLXXXIX. *1255.* Praepositus et capitulum s. Petri de Posega notificant, quod Crabocha relicta Pauli quondam clavigeri dominae reginae cum filio suo Johanne et fratribus eiusdem Pauli ac consangvineis Ladomir, Inialo, Bogdoslo, Andrea et Radca cum filiis ac aliis cognatis ex una, ex altera vero parte Martino comite filio Mika coram constitutis, eadem domina confessa sit, se terram Deminch et Podove Martino comiti pro 40 pensis argenti vendidisse. Cuius meta incipit in dumo viminum, quae dicitur Reketya fa, et ibi cometatur terrae Tolizlov filii Hrank, abinde a terra Vrbna usque ad terram Tordes, deinde per varias metas ad campum Chernec per mediam silvam per metas arboreas ad primam metam.

Ex actis e regni archivo per banum Hedervary ablatis. N. R. A. F. 1501. nro. 20. Fejer: Cod. dipl. Hung. IV. vol. II. p. 343.

DCXC. *1255.* Bela rex notificat, quod cum Paulus, filius quondam Borich bani, causam movisset contra Philippum episcopum Zagrab. intuitu terrae s. Martini iuxta Dravam, sicut praetenderat falsis documentis suae haereditariae, demonstraverit idem episcopus, dictam terram a Rembaldo domus hospitalis s. Joannis Hierosolomytani per Hungariam et Slavoniam praeceptore a se comparatam fuisse, quod etiam praesens praeceptor hospitaliorum Arnoldus testimonio suo confirmavit, ad quod condemnatus fuit praedictus Paulus, filius Borich, in confiscationem omnium suorum bonorum, terra autem quaestionata redita episcopo.

Ex actis regni Croatiae archivi N. R. A. Fasc. 1531. N. 13. ablatis per banum Khuen-Hedervary.

DCXCI. *1256. 20. Februarii.* Bela IV. rex vult perennari, quod singulari fide Jacobi filii Jacobi Bani filii olim Gerlicze motus et grata recolens memoria id, quod dum superioribus annis contra Danislaum Lodomeriae ducem iustissimum bellum gereret, deque oppugnatione casti Yroslav ageretur, ad quod capiendum quam plurimi impetum cum caede et vulneratione fecerint, dictus Jacobus primus omnium, cum paucorum manu impetum facere, primusque non solum muros conscendere sed signa quoque regia superplantare coepit, castrumque ipsum, etsi graviter vulneratus, regiae subjecit potestati. Dum autem in infelici cum perniciosa Thartarorum gente ad fluvium Sayw conflictu regnum Hungariae pessumiret, regique hostibus undiquaquam circumventis nihil praeter mors superesset; ipse Jacobus lateri regio continuo adhaerens, cum larga sanguinis sui effusione, viam ad silvas et latibula montium stricto ubique ense aperuit. Dumque rex non sine miseria ad partes maritimas fatali fatu se recepisset, ipse Jacobus de salute, vita et victu regio non absque discrimine vitae propriae prodivit fidelissime — cunctasque infortuniorum aerumnas, quibus praemebatur, cum rege ad ultimum usque supportavit. Pro tanta igitur fidelitate eundem Jacobum, ut regiae gratiae evidens habeat symbolum, quo in sua senectute pacifice et sine erumnis gaudeat, terram Wrych cum tribus mansionibus in terra Zwplich in dictis partibus maritimis, ubi tanta fidelitatis exhibuit argumenta, et quae per decessum ex hac luce Renoldi filii Dionisii de dicte Wrych, ad manus regias devenerant, eidem Jacobo filio Jacobi bani et filiis filiorum eius, consilio Praelatorum et baronum ad praesentem synodum comparentium contulit, eo addito ut eundem et posteros eius nullus banus, comes, vel judex regni praeter regem, sub onere 100 marcarum fini argenti iudicare audeat. Datum per manus magistri Smaragdi Praepositi albensis aulae vicecancellarii.

Fejer: Cod. Dipl. Hung. T. VII. vol. 3. p. 36.

DCXCII. **Spalati**, *1256. 24. Februarii.* Regnante Bela IV. rege, tempore Rogerii archiepiscopi Spalaten. Stephani bani Slavoniae, comitis Duymi, Kasari, Michae Madii, Nicolai Dessae judicum. Rogerius archiepiscopus facit manifestum se recepisse a Thoma archidiacono et fratre Jessae de ordine Fr. Praedicatorum conventus spalatinensis, nomine ecclesiae Romanae de mandato domini Papae tredecim libras et quinque soldos et medium bonorum denariorum grossorum venetorum. Actum in praesentia Nicolai Pharensis episc., Nicolae Duymi, Marini Simeonis, Leonardi de Pessimae Spalatensium et aliorum. Dobre Duscizue examinator. Amicus capellanus communis spalatensis juratus notarius interfuit, scripsit et sigillo archiepiscopi roboravit.

Farlati: Illyr. sacr. T. III. 279.

DCXCIII, **Anconae**, *1256. 3. Martii.* Anconitani iniunt pactum cum nuntiis Ragusinis: Michaele Bingolae et Johanne Ragnanae, de rebus ablatis ad valorem mille sexcentarum librarum Anconitarum in navi Sergii de Ragusa.

Wenzel: Cod. Dipl. Arpad. VII. p. 448.

DCXCIV. *Apud* **Albam curiam**, *1256. 21. Martii.* Bela IV. rex concedi ut in monte Grech de Zagrabia nundine ab octo diebus ante festum St. Marci Evangelistae incipiendo usque ad octavas eiusdem festi sine tributo quolibet celebrentur.

Tkalčič: Monum. civitatis Zagrab. vol. I. p. 26.

DCXCV. **Tragurii**, *1256. 24. Martii.* Regnante Bela rege, temporibus Rogerii archiep. Spalatensis, Stephani illustris bani Slavoniae, comitis Duymi Kasari, Michae Madii et Nicolae Desae judicum, questio est exorta inter Duymum Kasari judicem, et Lampredium Sagarellae de sedecim pecudibus de quibus idem Duymus fideiusserat eidem Lampredio pro Lampredio Destizae ut sint in jure confessi. Duymus dicebat quod ipse volebat solvere Lampredium de rebus mobilibus aut immobilibus, Lamprediis autem voluit recipere solummodo in pecudibus. Judices decreverunt: quod ipse Lampredius Sagarellae debeat recipere solutionem a Duymo in rebus sui debitoris Lampredii Destizae.

Ex archivo aulico Vindobonensi. Acta Spalat. XVI/100.

DCXCVI. *1256. 24. Martii.* Bela IV. rex notificat, quod cum post recessum Tartarorum pro revocandis juribus castri indebite occupatis per totum Regnum diversos judices misisset, inter caeteros Chak comes de Gara ensifer regius, sex generationes de comitatu Gara ad regis praesentiam evocavit et terras earundem castro restitui repetebat. Eaedem autem generationes responderunt, quod illae terrae eorum essent hereditariae, et quod quondam per Moys comitem de Gara in regis praesentia ratione castri in judicium fuissent deductae, ac in praesentia Stephani bani totius Slavoniae, quod eorum haereditariae sint testibus ydoneis conprobassent, super quo etiam curaverunt regis privilegium exhibere, quocirca illas rex ab impeticione comitis Chak duxit absolvendas. Sed quia in privilegio regis solummodo trium generationum nomina haberentur, specialiter inter alias terras, terrae generationis Bracon, eidem tamquam haereditarias reliquit. Datum per manus Magistri Smaragdi albensis electi, aulae vicecancellarii.

Wenzel: Cod. dipl. Arp. VII. 421.

DCXCVII. *1256. 29. Martii.* Bela IV. rex notificat, quod cum de consilio baronum suorum post recessum Tartarorum, terras seu alia jura a castris per quempiam indebite occupata vel detenta, per totum regnum diversos judices constituendo, revocari et castris restitui fecisset, inter caetera tractum terrarum per totum Banatum ultra Dravam existentium, Stephano bano tocius Slavoniae et capitaneo Styriae duxerit commitendum; tunc inter alios advenerunt fideles Babonig et Stephanus comites querulando super terra Wodychan in qua jobagiones castri de Dobycha terras duarum villarum ratione castri Bezdig et Mekuyn occuparunt, producentes idem comites litteras Hemerici et eiusdem Belae IV. regum aurea bulla consignatas, quibus inspectis, rex easdem terras eis reliquit. Quarum meta incepit a capite rivuli Zuonna, qui cadit in fluvium Zana, et in fluvium Vna; porro vadit meta per rivulum Stergomla et ascendit ad alium rivulum Mequin, qui cadit in Stergomlam.

E Transumpto Stephani bani totius Slavoniae et Croatiae de dato Zagrabiae 14. Nov. 1352. in congregatione generali universorum nobilium et cuiusvis conditionis et status hominum in regno Slavoniae existentium celebrata ad petitionem Duymi filii Radoslai filii Babonek, confecto. In archivo comitum Blagaj. Nr. 32 a Rad. Lopašić.

DCXCVIII. *1256. 20. Aprilis.* Capitulum eccl. Zagr. notificat, quod cum magister Bernaldus phisicus d. regis Belae cum litteris preceptoriis regis et cum eorum homine capitulari possessionem Glavnicha, quae quondam Welizlai sine haerede masculo decendentis fore dinoscebatur, simul cum possessionibus castrensibus in eadem Glavnicha comiti Perthino capitaneo Grecensi (Zagrabiensi) convocatis commetaneis et vicinis reambulatam, possidendam assignaret, cumque idem capitulum una cum dicto phisico et canonico ecclesiae Budensis, Nicolaum et Paulum magistros et concanonicos ecclesiae Zagr. ad predictam reambulationem transmisisset, tandem homo regius cum canonicis nec non comite Nicolao, vicecomite de Morovcha, per Stephanum banum totius Slavoniae ad hoc specialiter deputato redeuntes et negotium sine ulla contradictione terminantes has metas invenerunt: Prima quidem incipit a parte aquilonis in monte Feketew (Črni breg) unde in supercilio vulgariter Beerch (Breg) inter fluvios maiorem et minorem Glavnicham ad orientem versus; item per varias metas, montes et terras ad arborem populeam ubi Glavnicha minor coniungitur maiori, ibique terrae ex parte fluvii minoris pertinent ad nobiles, ex parte vero maioris ad comitem Perthinum in palude nempe maioris Glavnichae; venitur ad monticulum, qui est inter fluvios Glavnicha et Blagusa et per longum spatium et plures metas revertitur ad primam.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. arpad. VII. 444.

DCXCIX. **Buduae,** *1256. 20. Aprilis.* Bela IV. rex scribit dilecto compatri suo Alexandro comiti zupano de Clich (Clissa), quod cum fideles cives Traguriensis tam grata fidelitatis obsequia ei et corone impenderint propter quae eorum civitatem gratam habet; praecipit ergo illi firmiter et districte, quatenus dictis civibus astare debeat consilio et auxilio, nec ipsos contra libertatem seu privilegia eorum per se vel per alios molestare aliquo modo, iura eorum tam in vineis, quam in agricultura illibata conservando, nec extraneos in territorio ipsorum habitare, nec colere agros aut vineas, ipsis invitis, permittat.

Lucius: Mem. di Trau. p. 77.

DCC. **Ancona,** *1256. 2. Maii.* Girardus Arcilio potestas Anconae et Marcus a Florentia procurator communis Anconitani, conveniunt cum procuratoribus Ragusiensibus Michaele Bingolae et Johanne Rannani ad renovanda capitula pacis dudum composita intra commune Anconae et Ragusii. Benvenutus de Lapis notarius.

Ljubić: Listine I. p. 86.

DCCI. *1256. 19. Maii.* Bela IV. rex notificat, quod cum inter comitem Georgium filium comitis Lucae super quadam insula vicina hospitibus de Worosdino, quam idem comes nomine insulae Tursoy repetabat, questio verteretur, nolens rex ipsum factum juris ordine terminare, duxit inquisitioni Stephani bani totius Slavoniae et capitanei Styriae committendum. Qui per litteras suas Regi intimavit, dictam insulam magis ad praefatos hospites pertinere, cum comes Georgius locum turris et fossatum sicut asserebat, in eadem insula non potuerat demonstrare, unde et dicta insula hospitibus perpetuo relicta est. Datum per manus Smaragdi albensis electi et vicecancellarii.

Orig. Membr. in archivo civitatis Varasdiensis. Fasc. I. nr. 4. adsunt litt. confirmatoriae ejusdem doc. Sigismundi regis de a. 1407.

DCCII. *1256. 21. Junii.* Bela IV. rex notificat, quod cum post recessum Tartarorum pro revocandis juribus catri per totum regnum diversos judices misisset; Cosmas et Achileus comites suplicarunt ut terram Bozin castri Posoniensis eis dimitere dignaretur. Revocatis igitur in memoriam eorundem servitiis, videlicet quod cum in Sayw contra Tartaros conflictum habuisset, viriliter pugnantes graviter vulnerati fuerunt, cum etiam in partibus maritimis maneret contra ducem Austriae, illaesum et indemne regni confinium servaverunt, ubi Cosmas comes receptis duodecim vulneribus captivatus fuerat, Achilaeus autem porro etiam strenue pugnavit, propter quod dictam terram Bozin ipsis perpetuo dimisit.

Wenzel: Cod. arpad. cont. II. 269.

DCCIII. *1256. 25. Augusti.* Capitulum ecclesiae Albensis notificat, quod Alexander comes de Zana et Moys magister dapiferorum, comes de Vrbas confessi sunt quod Gregorio fratri? Thomae bani, Thomae et Stephano, filiis Thomae, nepotibus Thomae bani, Petro filio Petri, Kenezio et Nicolao filiis Andreae de Monoslo, quod pro quarta filiae Makariae, nomine Venys, quae ipsam ratione paternae haereditatis contingebat, ce1 tum et quinquaginta ..... recepissent. Ad haec idem Alexander et Moys asseruerunt, quod dicti nobiles statuissent sibi undecim capita servorum et ancillarum cum suis pueris ratione dictae quartae. Quorum nomina sunt: Mortunus cum uxore et 2 filiis et filiabus, Brathae gener eiusdem Martini. Item Wydumer filius sororis ipsius Martini. Item Zurna soror eiusdem Martini cum 2 filiabus. Iidem confessi sunt etiam nomine quartae habuisse tres libertinos: Marcum, Petrum et Zalas.

Cod. dipl. patrius. VII. p. 51. Ex archivo comitum Erdödy Galgoncsam ablati.

DCCIV. *1256. 28. Augusti.* Bela IV. rex manifestat, quod veniens ad eius praesentiam Alexander filius Zoch de Agar rememorans servitia in diversis locis specialiter in partibus ultra Dravanis et Corvatiae post exitum Tarta-

rorum de regno ipsius, ubi plurima laetalia vulnera pro ipso rege pertulisset, petens donari sibi possessionem Sag in comitatu Nitriensi vicinam suae terrae Sag vocatae, cujus petitioni rex annuit.

Wenzel: Cod. dipl. arpad. VII. p. 422.

DCCV. *1256. mense Septembri.* Andreas comes Varasdiensis significat, quod cum rex Bela per suas litteras dedisset in mandatis, quod in concambio nobilium Michaelis videlicet fratris magni Buzad bani ex una parte, et Lancredi filii eiusdem Buzad bani ex altera comitum, debet interesse, ratione perpetuae pacis et dilectionis invicem, inter se tale concambium ordinarunt, quod prefatus comes Michael quatuor terras: Komor sub una meta constitutas, et duas terras Welika etiam sub una meta, quas omnes a Jurkone filio Ochuz bani pro concambio obtinuerit. Terram etiam Piantoch, ac terram Bykene contulit comiti Lancredo cum eodem capituli Zagr. privilegio, perpetuo possidendas, pro concambio terrarum Szombathely, Bela et Tornova, quas idem comes Lancredus contulit Michaeli praememorato possidendas cum eisdem privilegiis, quibus ipse terras obtinebat memoratas. Tali obiectione interiecta: si a predictis terris a Michaele Lancredo collatis per aliquam quaestionem amitti contingeret, ipse comes Michael ex ista parte Dravae de terra sua tantum dare tenebitur quantum amitti contingerit praeter castrum; si autem hoc Lancredo contigerit, ipse tenebitur expedire.

In archivo camerali Budensi N. R. A. Fasc. 516. nr. 45. Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. II. p. 397.

DCCVI. *In villa* Torch, *1256. 18. Octobris.* Comes Rorandus judex curiae regis significat, quod cum Farcassius filius Botha a jobagionibus castri comparuisset (aliquam terram), coram eo jobagiones castri asseruerint viva voce, quod idem Farcassius se retraxisset, ille vero dicebat se liberatum esse per gratiam regis, super quibus litteras regias dixit obtinere, quas assignata die praesentavit; quibus jobagiones castri non contradixerunt, sed dixerunt, quod tantum suam personam cum suis facultatibus liberasset. Iudex itaque dedit Farcassio terram quam eius persona obtinuit, terram autem ipsius generationis per maiorem exercitus Salamonem filium Och et per alios jobagiones castri, castro obdecravit (contulit). Privilegum autem d. regis quod Farcassius habuit, per quod terram dictam optinuerat reliquit Farcasius una cum terra, ita tamen quod nec ipse terram occupet, nec suum amittat, quia d. rex suum privilegium noluit destruere. Et hae sunt metae Farcassii: incipit juxta unum fluvium qui est commetaneus cum generatione Laurentha et per varias metas terreas et arboreas ad vallem ubi sunt cometaneae generationes Zagur, generationes autem Farcassii remanent de parte septemtrionali; inde per varias metas, montes, valles et vias descendit ad piscinam Vrdug, ubi est commetaneus comes Arnolth.

Wenzel: Cod dipl. arpad. cont. XI p. 429.

DCCVII. Crisii. *1256 18. Octobris.* Stephanus banus totius Slavoniae et capitaneus Styriae significat, quod cum inter Volentam filium Jurgis, Dragos filium Zdezlay et fratres suos, et filios Vratissa, Volchila, filium Volcuni, Dedomirum filium Volxa, Chadinam filium Raduani, Raduhnam filium Radoini et totam generationem eorum a parte una, et Mirozlaum et filios Endre ab

altera, quaestio magna saepius super terris eorum haereditariis verteretur. Tandem ille ad petitionem utriusque partis Leucham, fratrem Budyna ad separandas terras et metas, duxit dirigendum; qui eas in duas partes divisit per metas, quarum unam partem reliquit Volentae et suae generationi scilicet jobagionibus castri et quidem de parte orientali, terram autem a parte occidentali Miruzlao et filiis Endre. Prima autem meta incipit de Croarzka (Kravarska) et cadit in fluvium Locholnicha ubi fluvius Sarnovyk cadit in eundem et vadit per fluvium Lipnicha et vadit inter duas vineas ad sepulchrum Hogye. De sepulchro vadit per viam que vulgo vocatur Pomgno et cadit in caput Lipnicza; transiens ad montem venit ad quercum, que est in medio viae et per viam ad caput Lukavez-ac inter Lipniczam et Lampniczam est finis metae primae generationis. Juxta eandem terram Loxan iacet meta terrae filiorum Endre et Volente, et Mochirad dividit et distinquit eam, demum vadit de Lomnicza per magnam viam usque Globlaca, deinde ad orientem versus locum qui vulgo dicitur Curyce, deinde ad territorium Volentae, ubi idem et generatio sua inminuerunt quinquaginta veretenos illis, pro concambio, sed quia dimensionem illam supplere non potuerunt sub villa, suppleverant eam ante villam filiorum Ende. Praeterea Levcha pristaldus terram eorum cis fluvium Odra divisit etiam in duas parte.

Hoc documentum confirmavit a. 1495. Joannes Corvinus dux Opaviae et Liptoviae ac banus Slavoniae et Croatiae ad petitionem Stephani Berislavich, Petri Petrichevich, Galli fratris ejus et Petri Kordakovich. Orig. membr. in actis ablatis ex archivo regni per banum Khuen-Hedervary N. R. A. Fas. 137. N. 5.

DCCVIII. *1256. 10. Novembris.* Bela rex IV. volens finire discordias inter Henricum comitem Simigiensem et castrenses de Garig ex una, et jobagiones castri in Garig, deputavit magistrum Benedictum quinqueecclesiensem qua hominem suum, qui cum Pangratio homine comitis Henrici distinguit de novo metas jobagionum castri, ex quibus meta terrae Kokot Morei filii Zelk incipit iuxtra Camariam inde ad duas metas, quarum una est ipsius Kokot, inde per Cherit (Čret) ad valem Hemeliuna et per varias meta iuxtra terram Zulme et filiorum Chakani ad caput Choromisnik usque ad priorem metam. Datum per manus Smaragdi albenis prepositi aulae viccancellarii.

Wenzel: Cod. dipl. arpad. III. p. 427. ex archivo camerali Budensi.

DCCIX. *1256. 10. Novembris.* Bela IV rex notificat, cum inter Henricum comitem Symigiensem et castrenses de Garyg ex una parte, et jobagiones eiusdem castri diuturnae discordiae super terminis terrarum quas a tempore Colomani regis et Ducis et antea possedernnt exortae fuissent, exmisit rex Magistrum Benedictum quinqueecclesiensem, Henricus vero comes Panracium officialem suum de Garig ad ordinandas metas et distinguendas; ex quibus terris jobagionum castri, inprimis terrae Martini comitis filii Tusk ac fratris eius Gord quae vulgariter Borsonouch nuncupatur metae hac fuerunt: Prima incipit in occidente circa antiquam metam terream separans limites Grassancha a Garig, deinde per vineas, valles et colles et per magnum spatium venit iuxta magnam viam in monte ad castrum Garig, inde cadit in caput vallis Horostouch, deinde ad caput minoris Desniche et per ipsam eundo ad maiorem Desnicham

et in planitiae relictis filiis Pestuani incipit tenere cum terra Wlcoy filii Borisa et cadit in parvam vallem, quae ducit in rivulum Desnicha, et per varias metas iuxta terram Coyani et vallem Predelech vadit ad duas metas Martini comitis et Ude, ad metam Mortunus et per siccam vallem ubi tenet cum Otmich iuxta viam, et iterum ad rivulum Desnicha et vallem Hymelina tenet metas cum Gordus et Stephano Ungaro; in quodam nemore cadit in Greseuch, qui distinquit limites Grassanicha et Gays, per Cruseuch autem eundo pervenit iterum ad metas Martini comitis et ad magnam viam et cadit in Lesnam, descendit in Cotynnam et per varias metas ad vineam Jelk et possessiones Martini et Gordus. Datum per manus magistri Smaragdi albensis praepositi aulae vicecancellarii.

Wenzel: Cod. dipl. arp. VII. 424. Habet quoque cod. dipl. patrius VII. 53. ex archivo comitum Erdödy Galgoniczam ablato cum aliquibus differentiis metarum.

DCCX. *1256. 3 idus Novembris (10. Nov.)* Bela IV. rex notum facit, quod cum inter Herricum comitem Symigiensem et castrenses castri Symigiensis in Garig ex una parte, et jobagiones castri Symigiensis in Garig ex altera, qui a tempore regis Colomani fratris regis et ante in Garig terras possederant super terminis terrarum suarum questio verteretur, ne in antea gravarentur laboribus et expensis, dictum Herricum comitem qui vice sua Pangracium officialem suum de Garig ad hoc deputavit et magistrum Benedictum quinqueecclesiensem qua hominem suum pro metis distinguendis duxit transmittendos. Ex quibus jobagionibus metae terrarum Petri, Gregorii, Martini, Bartohlomaei, Johannis et Dominici filiorum Berislay taliter distinguntur: Prima meta de Palichna incipit ex parte terrae magistri Moys ob oriente iuxta fluvium Cherna Lika de loco ubi exit de fluvio in unam vallem et ascendit ad metam separantem limites Garig et Izdench, et relicto Izdench incipit tenere metam cum Otrochk per vallem Subnak veniendo, per magnum spatium cadit in fluvium Cherna Lika; deinde descendit ad locum ubi rivulus Palichna cadit in eandem Chernam Likam; deinde vero ad viam ubi sunt duae metae una filiorum Berislay altera in Otrochk, eundo per montes et valles et varias metas terreas et arboreas incipit tenere metam cum Teklisa in valle Lypowycha et penes rivulum Palichna eundo exit ad vallem Zuwernscha; et iterum per varias metas ad caput vallis Scuhadol et cadit in rivulum Jaurowa et ubi separatur a castro incipit tenere metam cum Coletk et per viam eundo cadit in rivulum Zuoytin, per medium silvae eundo venit ad caput Blanice et ad metam Ciglana Item meta terrae Ebrisk et Lescbuch (Lezcouch) incipit ob occidente in fluvio Garig eundo iuxta terram Drask per varias metas intrat aquam Suplonicha et venit de planicie ad rivulum Lizcouch. Item terrae filiorum Berislay Disniche: incipit iuxta magnam viam vadit ad rivulum Jelsova et ad rivulum Lesnicha inferius in minorem Disnicham, tenendo metas cum filiis Peztovan, exit ad vallem Scotachka, et eundo ex parte Nazber ascendit ad tres metas angulares, per varias metas ad rivulum Zabordna et iuxta terram Wlchetae, cadit in rivulum Detcha. Item terrae filiorum Berislay emptitiae a filiis Wolkan que iuxta rivulum Garig incipit metare cum Cheh. Nominatur et valis Zalothnik unde descenditur ad rivulum Garig.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 106. In duobus aliis similibus privilegiis occurrunt metae terre Martonus filii Chenke et fratrum suorum Stephani, Martini ac Cheh generi sui, rivulus Desnicha, terra Ochmych, Martini filii Tusk, Himelivna, terra Coyani Wolkimir, altera Wolkov filii Barilla, caput aquae Zalatinzka, filiorum Berislay, aqua Ilsoa, terra Gordus, una Malaka, Lokouch, meta Chehi, rivulus Garygh, Suhodol, dumus Monerobokor, caput aquae Dragoych, aqua Soplincha. Dat. 10. Nov. 1256.

In altero Priv. Terra Descha in rivulo Babich, terrae filiorum Berivoy et Berizlav, Vallis Grabroa, terra Martini filii Chenka, terra Gordus, vallis Cremenna, terra Scranifelde, rivulus Bubovch, terra hospitum de Garig, meta Draguch, terrae Yzdench, Hospitum de Cherna reka, fluvius Yzdench, meta Otrochk. Datum 11. Novembris 1256.

Ambo Priv. publicata in cod. dipl. patrio VII. p. 53 et 56 ex archivo com. Erdödy Golgontzam ablato.

DCCXI. *1256. 11. Novembris.* Bela IV rex notificat, quod cum inter Herricum comitem simigiensem et castrenses de Garig ex una parte et jobagiones castri Garig ex altera parte, qui a tempore regis Colomani fratris et antea terras Garig possederant, super terminis terrarum suarum questio verteretur, rex dictum comitem et Benedictum quinqueecclesiensem canonicum decrevit exemittendos ad renovandas metas, dictus tamen comes vice sua misit officialem de Garig Pancratium. Ex quibus Jobagionibus meta terrae Johannis filii Wolkan quae Lokouch nuncupatur incipit apud ecclesiam S. Johannis in capite Labatinich, inde ad caput Salatinik iuxta terram filiorum Berislai et inde maiori spatio plures terrae Cheh. Item meta terrae Johannis, quae Desnicha vocatur, incipit in valle Hemeliuna iuxta terram Stephani Ungari inde iuxta terram Benedicti filii Bodivoy per varias metas ad terram Othmich. Item terra Ilsva Gordus curvi incipit in valle iuxta domum Wlchetae et venit ad caput vallis Suynna et tenet metas cum filiis Brezual et itur ad antiquam metam Wolcani per varias metas venit ad fluvium Chasma et rivulum Pleterna et ad metam terrae Stephk filii Zouk. Item Zaburna terra Wlchetae incipit in transitu rivuli Zaburna et descendit in vallem Zahatuk, et per valem Blasey ad caput eiusdem. Item terra Wlchete Dedech nominata incipit iuxta terram Gordus et vadit inter domum suam et domum Voynk et descendit ad caput Deschen, transit viam ad caput magnae vallis et per vallem siccam ad caput Sywina et iuxta terram filiorum Brezual revertitur ad rivulum Desche.

Tkalčić: Mon. historica I. pag. 110.

DCCXII. *1256. 6. Decembris.* Bela IV. rex subortas discordias inter certos Barones componit ita quod comes Michael frater magni Buzad Bani obtineat quatuor terras Comor (in Zagoria) sub una meta constitutas, et duas terras Welyke etiam sub una meta a Jurkone filio Achuz bani pro concambio receptas. Terram etiam Pijanchuch (Pijan kuk) ac terram Bykunch, comiti Lanchreto filio eiusdem Buzad bani, et per ipsum Lanchretum terram Zombathel (inter Dravam et Muram) Bela et Tornava ipsi Michaeli in forma concambii et pacis coram Andrea comite Worosdiensi cui rex huic paci interesse jussit, traditae sunt.

Wenzel: Cod arpad. cont. IX. p. 428.

DCCXIII. *1256. 16. Decembris.* Bela rex et dux Styriae manifestat, quod magister Benedictus canonicus Zagrabiensis et archidiaconus de Guerche in camera de ultra Drava non resedit ut homo episcopi Zagrab. quamvis idem episcopus una cum bano Stephano vice regis procuravit cameram ultra Drauanam, sed tamquam homo bani Stephani per ipsum banum ad hoc specialiter deputatus, quod et episcopus coram rege recognovit; ne vero eo, quod dictus magister permansit in dicta camera Strigoniensis ecclesiae et ejus arhiepipiscopo, ad quem dictae camere decimatio, sicut et aliarum, in quacunque provincia camera constuatur, vel Moneta cudatur pertinet et pertinuit, et quam decimationem archiepiscopi et ecclesiae Strigoniensis, homo in camera praefata de ultra Drauam residens plene et pacifice eorum nomine percepit semper et percipit, praeiudicium aliquod generetur vel Zagr. episcopus aut quivis alius in dicta camera ultra Dravam ius aliquod in posterum sibi valeat vendicare, eidem archiepiscopo et ecclesiae Strigon. presentes dedit litteras.
Fejer: Cod. dipl. T. IV vol. II. p. 370.

DCCXIV. *1256. 16. Decembris.* Bela IV. rex manifestat, quod magister Benedictus canonicus Zagrab. et archidiaconus de Guerche in camera de Puchruch (Pakrac) non resedit ut homo episcopi Zagrabiensis sed tamquam homo bani Stephani. — Ne igitur in praeiudicium ecclesiae Strigoniensis in posterum hoc valeat ius aliquod vendicare has litteras dedit rex.
Fejer: Cod. dipl. vol. IV. p. 371.

DCCXV. *1256.* Privilegium probabilius Belae regis quo attestatur quod Bilota, terram filii Bolk, terram Lusam, Demetrio filio Bodragh et Dragota filio Dragan vendiderit pro 33 pensis frisaticorum iure perpetuo.
Fejer Codex dipl. T. IV. vol. II. p. 413.

DCCXVI. *1256.* Adiudicatoriae banales supra terra Grabrascela in Slavonia pro Jakov filio Gordozlav emanatae.
Fejer: Cod. dipl. ut supr. 414.

DCCXVII. *1256.* Rogerius archiepiscopus spalatensis confitetur, quod a Thoma archidiacono spalatensi recepit sexaginta libras denariorum de pecunia domini papae, pro quibus tradidit ei quatuor vasa argentea, sex marcas ponderantia, ita quod si praetaxata pecunia extra civitatem tradenda fuerit, idem Thomas asignabit eadem vasa ad manus Grupcii vel alicui amicorum eius et recipiet pecuniam memoratam. Actum in praesencia Prodani et fratris sui Grupcii et P. dicti Romani clerici de Palian qui scripsit
Farlati: Illyr. sacr. T. III. p. 279.

DCCXVIII. *1256.* Stephanus banus totius Slavoniae et capitaneus Styriae significat, quod cum Pautyn, Wogrissa et generatio eorundem super terra Grabrosello convenissent Jakov filium Gordislav, idem Jacov exhibuit litteras magistri Alexandri vicebani sui in quibus invenit ipsam causam diutius fuisse ventilatam et tandem de judicio vicebani processisse quod Jakov, cum Bratko, Stoyslav filio Branisa, Wlkodrug claudo, Wlkowoy filio Zlobimeri et Cuplen filio Kules praestiterat sacramentum super eo, quod Jacov non fecerat malitiose quod hactenus non praesentaverit privilegium Salamonis bani habitum super ipsa terra Grabrosello, sed propterea, quod idem detentus fuerat in

captivitate per abbatem Toplicensem, quam terram postmodum dictus vicebanus Alexander secundum privilegium Salamonis bani statuerat dicto Jacov. Unde Pautin et Vagrissa condemnati, terra autem Grabrosselo dicto Jacov audiudicata est; terra haec conterminatur terrae Gurgys, Wratech Gordislai et Dragsan, terrae Waratha, terrae Halaponi et fluvio Granschech

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. arpad VII. p. 439.

DCCXIX. *1256.* Capitulum ecclesiae B. Petri de Posega notificat, quod terram tenens Bylota filius Bolk ex una parte, ex altera vero Demetrius filius Predrag, Dragota filius Dragan in eorum praesentiam pervenerint, et quod Bylota conffessus sit se terram suam Lusan comparatam de Wulkota jobagione castri, quam idem Vulkota ante adventum Tartarorum obtinuerat et consensu Belae fratris sui et voluntate Vulcotae supradictis Demetrio et Dragota vendidisset pro triginta tribus pensis ad computum Frisaticorum in argento, et equis et bobus integraliter persolutis. Cujus terrae meta incipit ab Oriaua de terra Remunt versus aquilonem, et abiude in Scelca et pervenit ad magnam stratam regalem et transit ipsam versus meridiem in fine cuiusdam planiciei, pervenit iterum in Oriaua ad priorem metam ubi est Nenina mlaka.

Wenzel: Cod. dipl. arpad. VII. 443.

DCCXX. *1256.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notificat, quod Gurko filius Achuz quondam bani ab una parte, ex altera autem Egidius officialis comitis Michaelis patris Magni Buzad, pro ipso Michaele, idem cum litteris eius astruebat, terram Zebusce cum octo villis, quam Michael receperat de genere suo dicto Gurk in concambium pro terra Nedeliche cum quinque villis, item villam Talan, terram S. Crucis cum tribus villis, quam a Gurkone emerat, confessus est eidem reddidisse, in concambio pro quatuor villis Comor sub una meta constitutis, et quod eidem Gurk ex dilectione addidisset adhuc nonaginta et quatuor marcas, quod concambium idem Gurko approbavit. Datum per manus magistri Michaelis lectoris ecclesiae Zagrabiensis.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VIII, 446.

DCCXXI. *1256.* Comes Michael significat, quod cum carissimo patre suo Lancreto tale fecisset concambium, quod ille dederit eidem quatuor terras Comor sub una meta constitutas, et duas terras Welika etiam sub una meta, quas omnes a Jurkone filio Ochuz bani genere suo pro concambio optinuerat, et terram Pyancove ac terram Bikenc jure perpetuo possidendas, hac obligatione: quod si per aliquam questionem de terris nominatis amitti contingeret tantum de alia terra sua ubicunque ex ista parte Drawae praeter castrum suum habebit, tenetur eidem sine lite restaurare. Si etiam eum mori contingat filius eius causam non debet prorogare sed suplebit compositionem antedicam, sicut in litteris Andreae tunc comitis Warosdiensis continetur, qui inter eum ex speciali mandato Belae regis super ipso concambio extitit ordinatus.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. 447.

DCCXXII. *1256.* Bela VI. rex readiudicat sex generationibus de comitatu de Gora terras ipsorum per eosdem post discessum quoque Tartarorum ex hoc regno tentas et possessas.

Fejer: Cod. dipl. vol. II. p. 413.

DCCXXIII. *1256.* Bela IV. rex notum facit, quod cum post recessum Tartarorum terras a castro per quempiam indebite occupatas per diversos judices revocari et castro restitui fecerit; inter caetera terrarum per Banatum ultra Dravam existentium et specialiter castri Simigiensis ibidem ultra Dravam existentium Stephano bano totius Slavoniae et capitaneo Styriae duxit committendam. Praeter alios possessores venit tunc in presentiam regis comes Hudina cum privilegio regis super terra Wizkuz quam a castro Simigiensi eximendo pro servitiis ejus ei contulerat rex sub aurea bulla (vide 1245). Super qua terra rex privilegium innovavit et confirmavit. Datum per manus magistri Smaragdi albensis praepositi aulae vicecancellarii.

Tkalčić: Mon. hist. I. p. 112.

DCCXXIV. *1256.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notum facit, quod Marinus filius Bogdan de Blyna coram bano confessus sit tres vineas suas in Sernon juxta silvam Lomna Johanni filio Iwanech de Sesnov vendidisse pro quatuordecim pensis. Datum per manus magistri Michaelis lectoris Zagrabienis ecclesiae.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 114.

DCCXXV. *1256.* Magister Alexander vicebanus et comes Zagrabiensis, memoriae commendat, quod cum questio mota fuisset inter capitulum Zagrabiense super decimis quinque annorum ex parte Haholdi comitis et populorum suorum et de terra generationis Guri provenientibus, et secundum sententiam judicis aulae regis Haholdo juramentum fuisset adiudicatum super eo quod ille decimatores non impedivisset, et pro parte capituli Petrus Zagrabiensis et Petrus Camarcensis archidiaconi jurare debuissent, super decimis denegatis quas iidem ad summam quingentarum taxarum pensabant. Loco tamen et terminis constitutis inter partes conventio intervenit, ut comes Haholdus solvat omnes suas decimas et suorum populorum et generationis Guri, specificatos, in frugibus, vino, opibus, gallinis, kytis, suellis et agnis; de singulis custodiis porcorum quae oucol vocantur solvet policham; de liberis villis duos denarios de singulis portis; alias res redimet secundum consuetudinem provinciae.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 113.

DCCXXVI. **Razato,** *1257. 8. Januarii* Monachi monasterii S. Mariae et S. Benedicti de insula Lacromonensi de Ragusio, videlicet presbyter Domana, Slove, Paulus et Martolus voluntate omnium fratrum et monachorum, praesentaverunt in ecclesia S. Mariae de Razato presbytero Johanni et Monacho Priori Prioratus S. Mariae de Razato electionem D. Johannis in abbatem et pastorem eorum. Cuius electionis charta narrat, quod a. 1256. die 4. Decembris, vacante in monasterio S. Benedicti Lacromenensis abbate dictum Johannem elegerint. Testes publicationis fuerunt: Presb. Elias Viviani canonicus S. Mariae Ragus. ecclesiae. Clericus Gervasius Petrana can. S. Mariae. Clericus Rubana Rasini can. S. Marias. Presb. Pascalis de Capalu can. S. M. et communis Rag. notarius scripsit.

Farlati: Illyr. Sacr. I. VI. p. 108.

DCCXXVII. *1257. 12. Januarii.* Bela IV. rex notum facit, quod hospites de Jaztrabarzka in comitatu de Podgorya supplicaverint ut libertatem qua utuntur hospites de Petrina et Zomobur eis concedere dignaretur. Annuit ergo illis rex, ut eos nullus judicum praeter maiorem villae eorundem quem voluntariae elegerint audeat iudicare, et si ab ipsorum judice conquaerens satisfieri non poterit, judex eorum in regiam praesentiam et non alius super ipsa causa citatus audeat respondere. Si inter ipsos hospites aut per eosdem hospites contra extraneos causa mota fuerit, eadem non duello, sed iuramento ac testimonio decidatur. Si banus eis ad valorem unius marcae damnum fecerit in centuplo restauret eis. Tamen bano non aliud nisi domos suas occasione descensus dare teneantur, pro aliis vero necessariis pretium recipiant. Si aliquis ipsorum prole caruerit, tam ipso vivente quam a saeculo transmigrante bona sua cuique voluerit libere conferat. Si quis villam intrare voluerit moraturus omnia bona sua que possidet liberam habeat omnibus scientibus vendendi facultatem, et de villa recendens eandem retineat libertatem. Sacerdotem quemcumque voluerint in suam recipiant ecclesiam, de decimis eorum prout mos est hospitibus ubicumque manentibus disponentes. Hospites annuatim regi centum pensas pro tributo fori triginta pensas solvere tenentur; cum hospites terra se indigere dicerent, rex Stephano bano totius Slavoniae et capitaneo Styriae dedit in mandatis ut de terra filiorum Cvetk et de terra filiorum Kundis et de terra generationis Draguzlay jobagionum castri de Podgoria et etiam castrensium eiusdem ad tria aratra assignaret. Qui eas assignavit sub his metis: Prima incipit in septemtrione iuxta unum monticulum, deinde descendit in rivulum Dalych et vadit ad portum antiquum, cadit in rivulum Chebdin ubi sumit filios Kundis commetaneos; inde per eundem ad terram filiorum Pryba, et venit ad terram filiorum Cvetk; deinde ad fluvium Podgoria et per eundem ad magnum portum iuxta viam, et revertitur ad priorem. Datum per manus magistri Smaragdi albensis praepositi aule vicecancellarii.

Originale exstabat in mea antiqua colectione, nunc in bibl. academiae scientiarum Zagr. Ex transumpto capituli publicavit cod. dipl patrius VII. p. 60. Ex archivo com. Erdödi, mea iura regni Croatiae I. p. 486.

DCCXXVIII. **Viterbi,** *1257. 6. Februarii* Alexander IV. papa ministro Provinciali et universis fratribus ord. minorum in Slavonia communicat, quod omnibus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis qui eorum ecclesias in festivitatibus St. Francisci et Antonii et per octo dies sequentes visitaverint annuatim centum dies de iniuncta sibi poenitentia misericorditer relaxat.

Fabianich: Storia dei fratri minori. I. p. 414.

DCCXXIX. *1257. 4 Martii.* Bela IV. rex notum facit, quod magister Tyburcius phisicus ab eo postulasset ut quasdam terras existentes in comitatu de Guersenicha fel et ol Guersenicha ac Stupna sibi confirmare dignaretur. Rex eius precibus inclinatus ob sua et fratrum suorum merita, de quibus inter caetera refert: Cum civitas Spalatensis se a regio dominio retrahere niteretur et rex ad refrenandam eorum malitiam Dionisium tunc banum totius Slavoniae misisset, Tristanus frater eiusdem Tyburtii usque ad portas civitatis approprians, ibidem occubuit laudabiliter dimicando. Duo etiam fratres eius in exercitu generali habito contra Tartaros sunt perempti Ad hoc idem magister Tybur-

tius una cum patre Philippo episcopo Zagrabiensi ad sedem apostolicam et curiam regis Coraldi in legationibus regiis proficiscens, redeunte episcopo ibidem pro expediendis regis legislationibus usque ad anni spatium iugi laborum instantia extitit commoratus. Ob haec igitur servitia confert ei rex supradictas terras, quarum metae et quidem de fel Guersenicha incipit in rivulo Guersenicha et per varias metas arboreas cadit in rivulum Golobug, inde sub dumo Monoroufa, inde per varias metas, valles et unam viam, relicto limite castri incipit tenere metam cum Tyburcio fratre Gabrielis, inde per vallem in rivulum Guersenicha et cadit in viam, quae ducit ad montem Garig versus meridiem in rivulum Stupna. In prima meta de Stupna est vinea ipsius magistri Turburtii, deinde rivulus Stupna et Scumecha, meta de ol Guersenicha est terra quam emit de Druscone et per varias metas arboreas cadit inter duas piscaturas, quae Scege vocantur, ad magistum Tyburtium pertinentes, exit ad magnam viam quae est communis via piscatorum, inde ad silvam et venit ad stabulum porcorum Pulconis et in Golobug ubi fecit donum Wlchuzlov et revertitur ad primam. Item dedit illi rex particulam terrae iuxta Savam quae Vstilovna nuncupatur, qui locus piscatorum esse dicitur.

Cod dipl. patius VII. p. 64. ex archivo comitum Erdödy Galgoczam ablato.

DCCXXX. **Spalati,** *1257. 6. Martii.* Regnante Bela IV. rege. Temporibus Rogerii archiepiscopi Spalatensis, Stephani bani Slavoniae, Guitonis comitis Modrusse et Vinodol potestatis, Desae Michaelis, Petri Cernechae, Dobrae Dussizae, iudicum. Dictus Rogerius, archiepiscopus notificat: cum dudum murmur et rumor tam in clero quam in populo multus esset, Prodanus archipresbyter quemdam lapidem qui Gaman vulgariter dicebatur, de camera ecclesiae recepisset et distraxisset; ipsum pluries praesente clero et populo vocari fecit coram se, qui recognovit, quod cum archidiaconus et capitulum olim ad opus ecclesiae fieri facerent quandam crucem, ut ad decorem ipsius poneretur in ea, illum lapidem exceperunt, sed non est in ea, quia erat inhabilis collocatus, et remansit per quandam incuriam penes ipsum. Tandem cum bonae memoriae Stephanus Zagrabiensis episcopus ad partes istas advenisset et multa donaria in pannis et sericeis et aliis ecclesiae Spalatensi fecisset, ostensum sibi lapidem, vidit, visum laudavit, laudatum concupivit et habuit concupitum. Non tamen credidit archipresbyter quod magni valoris esset lapis ille, sed hoc fecit, ut ipsum episcopum ad donandum alliceret potiora. Verum cum ab his verbis plurimi discreparent, et assererent aliter esse factum, misit archiepiscopus Venetias et ad alias partes, sed nequivit aliquid reperiri. Recepit postmodum plures litteras de Ungaria fratrum Praedicatorum, qui attestarunt, quod notum erat illud quod archipresbyter confessus fuerat, prout et familia dicti episcopi publicae testabatur. Archiepiscopus igitur, quia de valore lapidis non constabat, licet de simplicitate vel praesumtione esset graviter arguendus, voluit et pronuntiavit, quod quedam hortum patrimonialem, sub terra S. Domnii situm apud S. Nicolaum de Arcuz, in recompensationem damni cederet ecclesiae S. Domnii, qui huic voluntati in praesentia populi acquievit, et judicio consensit. Testes fuerunt Thomas archidiaconus, Petrus Primicerius, D. Laurentius miles Potestas, Petrus Cernecha, Dobre Dussizae iudices et alii. Oprissa Dabralis examinator, manum missit. *Amicus* capellanus communis notarius scripsit.

Ex archivo aulico Vindobonensi. Acta Spalatensia XVI/43. 2.

DCCXXXI. **Spalati** *et* **Ragusii**, *1257. 15./23. Martii.* Regnante Bela IV. rege, temporibus Rogerii archiepiscopi Spalatensis, Stephani bani Slavoniae, comitis Guidonis, comitis Modrussae et Vinodoli potestatis, Dessae Michaelis, Petri Cerneche, Dobre Dusazzae, iudicum, idem potestas cum tota comunitate Spalatensi constituerunt providos viros Joannem Vitalis et Gregorium Grubae suos nuntios et procuratores in Ragusio ad tractandum et terminandum cum Jacobo Contareno comite et tota comunitate Ragusii, super omnibus causis et negotiis quae incumbunt inter utrumque commune. Testes ad hoc fuerunt, Joannes Cecayda, Andreas Michaci, Micha Madii et alii. Opsa Dabralis examinator. — *Amicus* capellanus communitatis Spalatensis notarius scripsit. Qui supradicti nuntii cum communitate Ragusii ad talem concordiam devenerunt: Quod ex Spalato 4 boni homines eligantur et totidem de Ragusio, qui sint iudices ad locum consuetum, scilicet ad Stamnum, ad medium mensem Madii ad omnes quaestiones tractandas et terminandas et etiam praedas et robarias restituendas. Ex parte communis Ragusii testes: Domava Gueoer, Theodorus Bobatiae, Andreas Zrieve, Velcassus Johannis et Demetrius iudices. Pascalis notarius scripsit.

Ljubić: Listine. I. p. 87.

DCCXXXII. *1257. 28. Martii.* Bela IV. rex notum facit, quod cum post recessum Tartarorum ad quoslibet comitatus revocandis iuribus castri indebite occupatis diversos judices missiset; inter caetera ad comitatum de Gerzenche magistrum Chak ensiferum duxit transmittendum. Rediens ad regem dictus Chak retulit terram Girzincha ad fratrem Gabrielis jobagionem castri memorati ab antiquo pacifice possideri, super quae novas metas iuxta veteres fecit elevari sub sigillo capituli Chasmensis. Prima igitur meta incipit iuxta fluvium Grizinche, inde in aquilone ad viam quae vadit ad montem Garig; descendit in rivulum Zumuga, qui intrat flumen Gresenche, inde per varias metas ad primam.

Cod. dipl. Patrius VII. p. 67 ex archivo com. Erdődy e Croatia ad Galgocza translato.

DCCXXXIII. *1257. 28. Martii.* Bela IV. rex notificat, quod cum post recessum Tartarorum ad quoslibet comitatus pro revocandis juribus castri indebite occupatis, diversos iudices misisset, inter caetera ad comitatum de Gerzenche magistrum Chac ensiferum misit, dans ei in mandatis ut terras castri reambulet et pristinas metas restauret. Magister Chac retulit terras Gradišta et Tehno per Thomam, Desiderium et Ysumpnic filios Drase jobagiones dicti castri ab antiquo pacifice possideri, quorum metas distinxit ita: Prima meta vadit versus aquilonem ad metam terream dividens eam cum comite Wechelino, per vallem ad campum et ad magnam viam, per eandem versus orientem et denscendit ad rivulum Golgonch; item versus meridiem dividens terram cum Clup, itur ad magnam silvam communem et ibi terminatur. Terrae Tehno, quae pertinet ad Thomam, prima meta dividit terram cum castrensibus, per magnam vallem ad aquilonem ad alium rivulum Pribyn et a meridie ad magnam viam dividens terram cum comite Gardas et per varias metas ad silvam communem. Datum per manus magistri Smaragdi albensis praepositi aulae vicecancellarii.

Tkalčić: Mon. episc. I. p. 115.

DCCXXXIV. *1257. 30. Martii.* Bela IV. rex notum facit, quod magister Petrus archidiaconus Zagrabiensis supplicavit ut donationem quam ecclesiae B. M. Virginis in insula Egidii in qua fundaverat idem Egidius ecclesiam S. Jacobi, facere intendebat, in qua etiam fratres Cisterciensis ordinis collocavit suo dignaretur privilegio confirmare. Rex commisit inquisitioni et ordidationi Stephani bani totius Slavoniae, ut idem facti seriem regi intimaret. Qui eidem rescripsit, quod ipse rex contulerat fratribus cisterciensis ordinis terram unius aratri in insula antedicta, in qua fuit olim constructa ecclesia S. Jacobi iuxtam quam idem archidiaconus construxit claustrum et ecclesiam in honorem B. M. Virginis, residuum autem eiusdem insulae emerat idem archidiaconus a Johanne filio Irozlai justo pretio persoluto. Item aliam insulam emit versus orientem a jobagionibus castri Zagrabiensis: Jacov, Hudivoy, Cherna, Wlcheta et ab aliis cognatis eorum. Intimavit etiam banus regi quod idem archidiaconus habuisset tria molendina a parte castri Grech in aqua quae dividit terram castri a terra fratrum Zagrabiensium quae idem possederat titulo emptionis. De quibus molendinis decrevit banus unum civibus de Grech. Rex igitur confirmat donationes factas a magistro Petro cum duobus molendinis. Datum per manus magistri Smaragdi praepositi albensis, aulae vicecancellarii.
Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 116.

DCCXXXV. *1257. 30. May.* Bela IV. rex notificat, quod Hala filius Cosmae, Maladechwet et Volcoyn filii Bodych, oriundi de jobagionibus castri Zagrabiensis, mole paupertatis oppressi, se cum suis terris domui S. Sepulchri de Golgonicha reddidissent serrituros, sicut etiam ex investigatione Stephani bani totius Slavoniae et capitanei Styriae prodiit; volens ergo rex eos in priori statu et libertate conservare, ne iura castri sui alienentur, eos cum terris suis, super quibus magister Macha stabularius, novas metas iuxta veteres erexit, restituendos duxit ad debita et servitia dicto castro exercenda. Datum per manus Smaragdi Albensis ecclesiae praepositi aulae cancellarii et electi in archiepiscopum Colocensem.
Tkalčić: Mon. episc. I. p. 117.

DCCXXXVI **Viterbii,** *1257. 7. Julii.* Alexander VI. papa indulget Benedicto archiepiscopo Strigonensi, ut coram episcopo Zagrabiensi cum ipsum habeat, ut asserit certa ratione suspectum, convenire non valeat, nec (in certa questione) respondere teneatur invitus.
Theiner: Mon. hist. eccl. I. p. 236.

DCCXXXVII. **Admundae**, *1257. 21. Julii.* Liutoldus de Lempach et uxor eius Alhaidis simul cum suis haeredibus Zagrabiae coram Duce Stephano capitaneo Styriae glorioso, cessit suae quaerimoniae quam habuit contra Moniales litteratas in Admonde, super prato in Winterpelse et beneficiis adiacentibus. Qua testes adfuerunt Gotfridus de Marchpurg, Wulfingus de Treuenstein et Luitoldus de Trieben.
Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. II p. 437.

DCCXXXVIII. *1257 11. Octobris.* Bela IV. rex notum facit, cum post recessum Tartarorum ad diversos comitatus pro revidendis et de novo rectificandis terris castrorum misisset diversos judices, inter caetera misit ad comi-

tatum de Guersenche magistrum Chak ensiferum suum, qui rediens retulit terras Zapolsicha, Lonarne, Pukurtu existentes iuxta Zawam et Kys Gersenche invenit per Vecherinum jobagionem castri ab antiquo pacifice possideri, super quas elevari fecit novas metas iuxta veteres, sub sigillo Chasmensis capituli. Prima igitur meta terrae Zapolsicha incipit in septemtrione iuxta terram Endre et vadit ad molendinum Buisse in fluvio Kotinna, inde per varias metas ad Suham Kotinam et per ipsam in Kokotnik et Trebses, quae Cuk dicitur, inde ascendit in Prerova inde ad fluvium Chernech, transit magnum campum ad arborem iwam in magno spatio venit ad fluvium Zapolsicha. Porro terra Olup, fluvius Glogovech, terra Vecherini in Lovnatevo, terra Castrensium iuxta fluvium Lona. Item terra Vecherini iuxta Zavam usque Pukurrev. Item terra inter Domachy et Zowa. Terra Guersenche sub magno monte incipit de parvo Guersencha, ad terras hominum de Vduorhel ad molendinum in magno Guersenche ad puteum Egun, et ascendens ad montem venit ad magnam viam et per varias metas arboreas eundo terminatur. Rex confirmat igitur dictam terram cum dictis metis Vecherino. Datum per manus Smaragdi electi in archiepiscopum Colocensem.

Cod. dipl. patrius. VII. p. 71. Ex archivo comitum Erdődy ablato ex Croatia Galgoczam.

DCCXXXIX. **Catari,** *1257. 26. Decembris.* Desen, de mandato D. Uroscii invictisimi regis comes Catari, Judices et consiliarii cum voluntate totius populi statuunt ei pactum pacis habendae cum hominibus Ragusii, ad quos Basilium Dabracae et Johannem Gige destinaverunt missos pro stabilienda pace et amicitia, cum inter utrasque civitates fuerat exorta quaedam discordia. Fecerunt igitur pactum: Ut Catarenses Ragusium et Ragusini Catarum venientes libere vendere et emere valeant sine aliqua solutione excepta illa quam solvunt caeteri cives.

Ljubić: Listine. I. p. 89.

DCCXL. *1257. 26. Decembris.* Desen de mandato Uroscii invictissimi regis, comes Catari, iudices et consiliarii cum voluntate totius populi statuerunt ut pactum pactis habendae cum hominibus Ragusii stabilirent, ad quos Basilium Dabrae et Johannem Gigae destinaverunt, qui exortas discordias levarut, et pactum pacis firmarunt sub conditione ut Catarenses Ragusium ire volentes, libere emera et vendere valeant nullam exhibendo duanam, excepis illis Catarensibus qui in Ragusio apotegam tenerent, qui duanam persolvant ut caeteri Ragusienses. Similiter et homines Ragusii Catarum venire volentes de mercaturu nullam persolvent duanam, nisi qui in Cataro apotecam tenerent. Michael Gigae iuratus notarius scripsit.

Orig. in archivo aulico Vindobonensi. Ragusana acta. N. 960. et Ragusae. Fasc. II. N. 31.

DCCXLI. *1257.* Capitulum Zagrabiensis ecclesiae significat, quod Kenez filius Andreae pro se et fratre suo Nicola confessus est: se et fratrem suum terram Marichna sitam ex parte Monoslav iuxta Zawam vendisse per sacerdotem Petonem pro nepotibus Thomae bani scilicet filiis Thomae, Thomae et Stephano, pro quinquaginta marcis. Datum per manus magistri Michaelis lectoris ecclesiae.

Cod. dipl. patrius VII. 75. Ex archivo com. Erdődy Galgoczam ablato.

DCCXLII. *1257.* Bela IV. rex notificat, quod cum post recessum Tartarorum ad quoslibet comitatus pro revocandis juribus castri indebite occupatis diversos judices misisset, inter caeteros ad comitatum de Gresencha magistrum Chaak ensiferum duxit trasmittendum. Reversus Chaak retulit: quod terras Borsonouch et Lesnou invenerit per Uzmam jobagionem castri ab antiquo possideri, in quibus novas iuxta antiquas metas fecit elevari, quae sic distinguntur: Prima meta incipit in arbore kiztulfa, estque terra Borsonouch iuxta flumen Borzinok dividens terram cum comite Gabriele, inde ad aliud flumen et montem de quo descendit in vallem et per varias metas iterum ad dictum fluvium Warathna etc. Alia terra incipit in rivulo Rathyna qui exit in flumen Lima, inde ad dumum Rekethya, per varias metas descendit ad rivulum Pesne, inde ad montem et tenet metam cum populis de Garigh, versus meridiem ad caput fluminis Hurseuch, iterum per varias metas ad flumen Pyschine et descendit in flumen Rathyna. Datum per manus Smaragdi praepositi Albensis, aulae vicecancellarii.

E transumpto capituli Chasmensis de a. 1378. in actis monasterii de Garigh. Ex regni archivo Pestinum ablatis. Fasc. 4. N. 40.

DCCXLIII. *1257.* Bela IV. rex notificat, quod post recessum Tartarorum inter caetera miserit ad comitatum de Gerzenche magistrum Chak ensiferum cum mandato ut terras et iura praedicti castri revocaret. Retulit igitur idem magister, quod terras Desniche, Bursonouch, Pukur et Lonheta invenit per Martinum comitem filium Tusk jobagionem dicti castri ab antiquo pacifice possideri. Quarum terrarum metae ita distinguntur: Terra Desnicha incipit in capite rivuli Pribin, inde per viam iuxta terram Gordus cadit in vallem, quae ducit in rivulum Desnicha, inde per eandem aquam inferius ad locum ubi exit in magnam viam, quae discernit limites Garig et Gresencha, inde in caput rivuli Ripan per montem, de monte ad rivulum Pribin per quem revertitur ad primam. Terra Pukur (Pakrac) incipit super ripam fluminis Zoploncha in valle quae ducit in flumen Pukur (Pakra) et ad locum ubi dicta Zopluncha cadit in Pukur. Item terra Lonatu (sic) incipit per quendam cursum aquae qui de flumine Lunha exit et separat a piscatoribus castri Gresseniche et iuxta silvam revertitur. Item meta terrae Bursonouch incipit in monte Garig et descendit per valles et colles et per medium vinearum ad rivulum Katina, inde descendit ad rivulum Lysna, exit ad vallem, ducit ad montem iuxta viam, cadit in Waratnam, descendit in rivulum Bursonouch et in Zeregnam, inde ad montem et descendit in Scemeta et per viam ad priorem metam. Datum per manus Smaragdi praepositi Albensis, aulae vicecancellarii.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. arpad. VII. p. 453.

DCCXLIV. *1257.* Bela IV. rex cognita Stephani totius Slavoniae bani causa, quod Hala filius Chuet, Woscoin filius Bodich, qui de jobagionibus castri Zagr. fuerant oriundi, mole paupertatis oppressi se cum terris suis domui S. Sepulcri adhaeserunt, restitituit castro Zagrabiensi.

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. II. p. 447.

DCCXLV. *1257.* Banus Slavoniae confirmat transactionem in causa terrae Louka iuxta fluvium Odra inter Naudragh et Martinum filium ejus, Karachum filium Ulek jobagiones castri Zagrabiensis et totam generationem eorum,

Lucach ac fratres eius filios Endrey comitis, coram comite zagrabiensi, vi cuius eadem terra filiis Endrey pro duabus marcis ratione pacis levatis remissa extitit.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. 462.

DCCXLVI. *1257.* Tyburcius comes Zagrabiensis notificat, quod cum Yan, Drage et Martinus filius eius, Karachun filius Wlk, jobagiones castri Zagrabiensis et tota generatio eorum contra Vurach et fratres suos filios Endrey comitis pro terra Lonka juxta fluvium Odra in eius convenissent praesntia, quorum terminum responsionis bis prorogasset, demum ad instantiam Myrozlay et Wolizlay terrestris comitis sui, Borcij, Menezlay et Martini comitis ac aliorum quamplurium dictam causam, prout ambabus placuit partibus sententiae eorumdem paci dimisit reformare; qui pace ordinata, iidem Jan, Drage Martinus et filius eius Karacun cum suis cognatis, dictam terram praenotatis filiis Endrey duabus marcis remiserunt iure perpetuo. Terra haec commetatur ab oriente et meridie terrae haereditariae filiorum Endrey ab occidente populorum Chehi a septemtrione fluvio Odra. Huius causae pristaldus Menezlaus.

Idem documentum ad petitionem filiorum Endrey, confirmatum est eodem anno a Stephano bano totius Slavoniae et capitaneo Styrae. Ex actis a bano Khuen-Hedervary ex regni archivo ablatis. N. R. A. Fasc. 135. N. 22.

DCCXLVII. *1257.* Capitulum ecclesiae Zagrab. significat, quod cum Vratislaus et Noreta filii Jacov, Tyburcio vicebano et comiti Zagrabiensi in viginti marcis fini argenti fuissent debitores et ad easdem persolvendas sub poena dupli per cap. litteras se obligassent, sed adveniente termino solvere non potuissent, terram suam Pissenichan, Acha comiti in pignore obligarunt tali sub conditione, si in constituto termino dictam terram — cum viginti marcis fini argenti non redemerint, pro duplo earumdem marcarum ipsa terra caderet in perpetuitatem Achae comitis. Predicto termino debitum comiti etiam Achae non solverunt, ex consensu itaque ipsius Achae terram ejus uxori vendiderunt pro eisdem viginti marcis, cum ipsa terra Pissanicha terrae Polance, quam Acha comes uxori suae pro dote contulit, commetatur. Datum per manus Michaelis lectoris cap. Zagr.

Ex collectione Tadaei Ferić comitis curialis cap. Zagr. in membrana.

DCCXLVIII. Budae. *1258. 20. Januarii.* Maria regina Hungariae notificat, quia in comitatu de Posega, intra mutationem, jobagiones castri molestabantur nec poterant a longo tempore legittime possessas terras suas per calumniatorum machinamenta quiete possidere, frequens eorum suplicatio incitavit eam ut terram uniuscuisque ipsorum privilegio confirmaret. Verum quia non plene constabat de metis et de quantitate terrae dedit in mandatis Bilech comiti Tavernicorum regis et comiti Buchariorum suorum, ut ille personaliter quantitatem terrarum, quas a tempore Vugrini condam Colocensis arhiepiscopi et deinceps possessas invenisiset, iuxta veteres metas novas erigeret. Qui mandato satisfaciens, inter terram Octrocht nomine Ozyawicha jobagionis has metas conscripsit: Prima meta terrae Ottroch incipit sub monte ubi est commetaneus Bylotha, inde per varias metas ad quoddam fossatum ad rivulum Oziawicha (Oriavica?) versus occidentem est commetaneus Draas, inde ad

metas terrae relictae Demetrii, inde in fossatum quod Bugnik potoca vocatur. Datum per manus magistri et praepositi Budensis, aulae cancelarii.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 1531. Nr. 22.

DCCXLIX. **Viterbii,** *1258. 13. Februarii.* Alexander IV. papa volens fratres ordinis minorum in provincia Slavoniae a malignis incursibus esse tutos, mandat archiepiscopis Jadertino et Antibarensi quatenus eis defensionis praesidio assistant.

Farlati: Illyr. Sacr. F. VII. p. 44.

DCCL. **Anconae,** *1258. 18. Februarii.* Papaconus potestas anconitanus de voluntate totius communis et consilii de Ancona, congregati ad sonum campanae in palatio filiorum quondam Tarabocti, constituerunt Marcellum Bartholocti syndicum, procuratorem et nuntium specialem dicti communis ad promitendum in dominum Symonem Boninvaldi tamquam in arbitratorem et amicabilem compositorem cum domino Pasca Varicasso, nuncio, procuratore syndico et ambasciala communis Jaderae, ad quietationem faciendam et recipiendam de omnibus et ad omnia et singula, libere et generaliter facienda pertractanda et percomplenda, quantum fuerit oportune et expedire videbuntur.

Ex meis miscellaneis Dalmaticis.

DCCLI. **Anconae,** *1258. 4. Marcii.* Marcelinus Bartolucius sindicus, procurator et nuntius communis Anconae nomine dicti communis, domino Pasco Varicasso, nuntio procuratori, sindico et ambasciatori communis Zaderae pro ipso communi Zaderae recipienti, quietavit et renunciavit atque refutavit omne taleoneum, datium et debitum, iniuriam et rubberiam usque in hodiernam diem communi Zaderae. E converso dictus Pasco nomine communis Zaderae eidem d. Marcellino pro communi Anconae quietavit, renuntiavit atque refutavit omne taleoneum, datium, debitum, iniuriam et rubberiam communi et contra commune Anconae et pactum fecit de non ulterius petendo aliquid de praedicto vel praedictorum. Quae omnia dicti sindici stipulaverunt nomine dictorum communium sub poena mille librarum venetiarum parvularum.

Makušev: Mon. hist. Slavorum merid. T. I. p. 96.

DCCLII. *1258. 9. Martii.* Bela IV. rex notificat, quod cum inter Apam filium comitis Johannis, Dionisium filium Demetri, Johannem et Erney et Laurentium praepositum S. Iryney (eccl. Sirmiensis) ac alios cognatos suos de genere Becha, et Gregorium ex una parte, comitem Dyonisium filium Becha et Laurentium filium Laurentii de eodem genere ex altera, super patronatu duorum Monasteriorum, quae Petur Monustura et Dyenus Monustura vulgariter nuncupantur, et super possessione Tamam, quae fuerat Both comitis de eadem generatione, de quibus monasteriis quaelibet pars medietatem requirebat in persona Ompudini filii Omodei comitis pro comite Dionisio et Laurentio et rex duelum in armis et equis adiudicasset. Tandem termino ipsius duelli adveniente, filio regis Stephano, rege et baronibus regni mediantibus, pax inter ipsos taliter extitit: Quod idem comes Dyonisius ea quae primo

praedicto Apae dixerat, asseruit se minus iuste et tanquam falsum protulisse, et confessus est in dictis monasteriis nullum ius habuisse, e converso vero propter opprobria quae Dyonisio comiti dixerat, reddidit se culpabilem. Dyonisius accepit tamen sextam partem possessionis, et propter venerationem senectutis suae, dederunt ei locum unius villae, qui portioni suae erat vicinus.

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. II. p. 461.

DCCLIII. **Viterbii,** *1258. 29. Maii.* Alexander IV. papa ad petitionem episcopi zagrabiensis, cum ecclesiam zagrabiensem, quae in loco minus apto constructa minatur ruinam cupiat construere in loco magis idoneo, liberam ei ad hoc concedit facultatem.

Theiner: Mon. eccl. h. T. I. p. 286.

DCCLIV. *1258. 2. Junii.* Capitulum ecclesiae albensis notificat, quod Rosa relicta comitis Detmari de genere Borich bani proposuit viva voce: quod dimidiam partem praedii sui Zopola, quod ab Odola Chalk, et Borica filiis Borich cognati mariti sui Detmari comitis in concambium praedii sui Golgoha sibi dicebat pervenisse; majori filiae suae Mariane uxori Thomae filii Chopani contulisset. Aliam autem dimidiam partem minori filiae suae Martinae uxori Alexandri filii Petris donasset, tali conditione: si posterior sine haerede decesserit, ex tunc pro anima ipsius Rosae et filiae Martinae, ecclesiae in cujus cymitario sepultae fuerint, conferatur, maior tamen filia liberam habebit facultatem redimendi ab ipsa ecclesia. Item omnia mancipia sua videlicet Bodus cum uxore filiis et filiabus, Tolihna cum uxore filiis et filiabus, Gurk, Bratizlav, Milbrath, Liubislav, omnes similiter cum uxoribus filiis et filiabus. Item ancillas suas Migla cum filiis et filiabus, Jagoda, Milichna, Cupa et Pricha similiter cum filiabus donavit antedictis, tali conditione si filia minor sine liberis migraverit, ejus mancipia et ancillae devolvi debeant in proprietatem maioris filiae Marianae. Fructus tamen praedii et servitium mancipiorum et ancillarum percipiet domina Rosa temporibus suae vitae.

Ex actis e regni archivo ablatis per banum Khuen-Hedervary N. R. A. Fasc. 1502. N. 1.

DCCLV. **Panormi.** *1258. Mense Junio.* Manfredus imperatoris Friderici filius (illegitimus) princeps Tarenti, regis Conradi II. in regno Siciliae Balius generalis notum facit, quod abbas et conventus monasterii S. Silvestri et Nicolai de insula Buci (Busi in jurisdictione de Lesina) supplicaverint ut homines, possessiones, animalia et omnia bona monasterii de hac insula sub suam et regiam protectionem recipere vellet, cujus petitioni idem Manfredus annuit. Datum per manus Gualterii de Orta regni Hierosolymini et Siciliae cancellarii.

Lucius: Mem. de Trau. p. 105.

DCCLVI. *1258. 4. Julii.* Bela IV. rex notificat, quod cum Georgius filius Maladin, Bogan Pozobuch, Farcasius pro Wlkina, Georgius filius Zestup jobagiones castri de Dobicha terram Costanicha repeterent a Hytincone asserentes eandem fuisse castri de Dobicha et post obitum regis Colomani per dictum Hetynk occupatam; idem Hetynk respondit, quod ipsam terram vivente adhuc rege praedicto pacifice usque ad haec tempora possedisset. Ut

igitur litibus imponatur finis, adiudicatum est supradictis sacramentum coram capitulo Zagrab. Die vero sacramenti intervenit inter partes talis compositio, quod dictus Hytink unam partem terrae Coztonicha dimisit castro memorato. Cuius terrae meta incipit de fluvio Un, inde per vallem ad fluvium Jestrebnichicha per quem venit in fluvium Tvtja et in fluvium Polozka usque ad terram abbatis, ubi terra castri a terra Hytinkonis separatur. Datum per manus magistri Smaragdi praepositi Albensis aulae vicecancellarii et electi Colocensis.

Ex archivo camerali budensi. Wenzel: Cod. Arp. cont. VII. p. 483.

DCCLVII. *1258. 5. Julii.* Bela IV. rex notum facit, quod cum hospites de monte Grech Zagrabiae constituti quaererentur magno se solutione censuum aggravari, nec haberent silvam pro usu eorundem, dedit in mandatis Stephano bano totius Slavoniae et capitaneo Styriae ut et debitum ipsorum diminueret et silvam usui eorum competentem assignaret. Qui banus, sicut retulit regi, taliter ordinavit ut de caetero ducentas tantummodo pensas monetae usualis pro annuo censu in festo S. Martini bano nomine regis solvere teneantur, praeterea assignavit eis terram Cyblan (Sviblan) cum silvis et aliis utilitatibus et pertinentiis, quod et rex confirmavit.

Tkalčić: Mon. lib. reg. civit. Zagrabiensis, vol. I. Doc. 36.

DCCLVIII. *1258. 6. Augusti.* Bela IV. rex notificat, quod cum Ladislaus, Philippus et Gregorius filii comitis Kleti a primaevis adolescentiae eorum temporibus indefesse et fideliter semper lateri ejus adhaerendo exhibuissent gratum famulatum, cum taediosum esset omnia per singula enarare, iussit solummodo annotari, quod cum ferocitas et inestimabilis multitudo Tartaricae gentis regnum invasisset et rex cum quibusdam regni nobilibus ad partes maritimas pro habendo remedio et querendo subsidio pervectus fuisset, idem Ladislaus, Philippus et Gregorius devote fidelitatis famulatus ibidem, laudabiliter impenderunt. Quo circa terras castri de Walko videlicet Koos, Dombro et Kendchapa vocatas cum omnibus pertinentiis eisdem contulit jure perpetuo a jurisdictione dicti castri penitus eximendo. Datum per manus magistri Smaragdi albensis ecclesiae praepositi, aulae vicecancellarii et electi collocensis.

Ex actis ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 442. N. 31.

DCCLIX. **Nonae.** *1258. 3. Septembris.* Capitulum Nonensis ecclesiae s. Anselmi significat, quod in ejus praesentiam venerit nobilis vir Ladislaus filius quondam comitis Jacobi de Corbavia Gusich, parte ex una et Bogdan et Stanislaus fratres filii Chulack (aut Chirlak) nec non Stipanus et Radovanus filii Bogdoslaui simul et vicissim consanguinei, omnes de generatione Lapchane, nobiles de Lapach, idem Ladislaus in dicta ecclesia protulit haec verba: quod ipse attendens multimoda servicia a praedictis nobilibus de Lapach et suorum antecessorum, sibi et suis antecessoribus a multis temporibus retroactis impensa, in retributionem possessionem suam desertam in Buxane, Gomiliane dictam, prope aliam villam suam Radoslavla vas, quas Ladislaus ex dono Belae regis cum privilegio de anno 1257. septimo idus Februarii. et per aliud privilegium Stephani totius Croatiae bani in 1252 scriptum acquisiverat dedit et tradidit praedictis nobilibus.

Ex litteris confirmatoriis Sigismundis regis de a. 1412 extradatis ad petitionem Utisen filii Mathiae de Gomelya. In actis ablatis ex regni archivo per banum Khuen-Hedervary. N. R. A. Fasc. 446.

DCCLX. *1258. 21. Septembris.* Bela IV. rex significat, quod cum Corrardus comes filius Stephani comitis, sorores suas filias Poth, consortem videlicet Pauli comitis filii Ekch et consortem Stephani bani filii Chak comitis coram rege convenisset, requirendo ab eis possessiones Ilsova et Rohoaba, responderunt ex adverso Aba filius Nicolai et Matheus filius Achilei procuratores consortis Pauli comitis et Stephani bani filii Chak comitis dictas possessiones in quartam eisdem dominabus datas fuisse et easdem triginta annorum spatio tenuisse pacifice et quiete, ad hoc absolvit rex sententialiter praedictos procuratores imperando Corando comiti perpetuum silentium.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. cont. XI. p. 444.

DCCLXI. **Spalati.** *1258. 18. Novembris.* Temporibus Rogerii archiepiscopi Spalatensis, nobilis viri Guidonis comitis Veglae, Modrussae et Vinodoli potestatis, Srezae Cazetae, Gregorii Grubi, Dobrae Dussazae judicum. Laurentius domini potestatis vicarius, judices et consiliarii, pro utilitate totius communitatis vendiderunt Sabbi Travaiae introitus molendinorum communitatis, hinc usque ad tredecim menses pretio sexcentarum librarum denariorum parvorum, sub poena dupli et cum bonorum suorum obligatione si non solveret. Molendina vero sunt in Salona in quibus molunt octo molae (sequuntur pacta). Actum in ospitio d. potestatis praesentibus, curia et Johannis Cigaidae, Duimi Cassarii, Michae Madii et plurium. Lucas spalat. canonicus scripsit

Ex archivo aulico Vindobonensi. Acta Spalat. XVI./184. 1.

DCCLXII. *1258.* Bela IV. rex notificat, quod nobiles de Almissio, videlicet comitem Ozur, Rados et totam communitatem recepisset in suam gratiam sicut alios nobiles regni sui, praeterea promittit eis quod ipsos in ipsorum tenebit libertate; terras, domos et vineas tenebunt pacifice sicut hactenus, si aliqua essent de iuribus ipsorum per aliquem hominem occupata, eisdem restitui faciet justitia mediante. Castrum etiam ipsorum ei assignatum, ut eorum captivos, scilicet Juram et alios socios eorum valeat liberare, tenebit donec ei videbitur expedire, nec alicui dabit, sed eisdem dum ei visum fuerit, restituet. Insuper habebunt iidem pacem cum illis cum quibus rex habet, et illos persequentur qui ei et eius contrarii fuerint. Sancitum est etiam ut banus vel castellanus non praesumat eos capere in persona, nec eorum liberos aut uxores, nec recipere res ipsorum, nisi convicti fuerint iuris ordine observato. Ad haec promittit eis rex, ut ipse et eius successores, et banus qui nunc est vel fuerit in futurum ipsis et successoribus promissa omnia debeant irrevocabiliter observare. Ut haec omnia robur obtineant firmitatis, duxit rex conferendam fidem suam et baronum suorum, inter caeteros: Stephani bani totius Slavoniae et capitanei Styriae, Dionisii comitis de Zonuk, Moysis magistri dapiferorum et comitis de Urbaz (Vrbas), Alexii comitis de Zala, Andreae comitis Worosdiensis. Concedit insuper rex quod iidem ad Spalatum vel Tragurium aut ad alias terras regis cum mercibus et aliis rebus suis libere veniant et secure, nec ab eis tributum aliquod exigatur. Adjicit etiam, quod terras haereditarias si quas habent a Sirmonicha usque ad Gozd versus Zol-

much easdem confirmavit. Et super his omnibus dedit privilegium bulla aurea roboratum.

Fejer: Codex dipl. T. IV. vol. II. p. 450.

DCCLXIII. *1258.* Bela IV. rex notificat, quod Stephanus banus Slavoniae et capitaneus Styriae proposuit ut terram Gurbusae filii Miconis existentem in comitatu Zaladiensi ultra Dravam, quae ad manus ipsius bani fuerat devoluta, eo quod idem Gurbusa culpis suis exigentibus finivit in patibulo vitam suam, contulisset Sceme filio Pouchae servienti suo pro suis servitiis, hac conditione ut idem Sceme vel fratres sui aut haeredes, quamdiu eis placuerit ipsam terram tenebunt pacifice, si vero sine liberis decesserint dicta terra ad Stephanum banum vel ad eius haeredes sine ulla difficultate devolvetur, vendere eam sine scitu bani non possint, nec donare seu legare. Meta autem terrae incipit a fluvio Drava et vadit per varias metas arboreas ad viam, deinde ad silvam et ad fluvium Plitiche (Plitvica) et per eum ad metas terrae Opoy comitis, ubi terminatur; quam donationem factam Scemae rex confirmavit. Datum per manus Smaragdi albensis praepositi, aulae vicecancellarii, electi colocensis.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. p. 484.

DCCLXIV. **Zagrabiae.** *1258.* Stephanus banus totius Slavoniae et capitaneus Styriae significat, quod cum inter fratrem Jordanem domorum Militiae Templi per Ungariam et Slavoniam magistrum ex una parte, et Wolk, Koyan filium Zibislai, Gregorium Abrank, Mortun filium Welezlai, et Wolk filium Budimiri, Saulum, Velimerium et Wolkatam filios Chuduzlai ex altera, super terra quae jacet ultra Cuppam et extra ipsam aquam Cupae a parte Zagrabiae, sub illis metis quae in litteris capituli Zagrabiensis ejusque sigillo, et sigillo Guidonis abbatis quondam de Toplica nec non sigillo Nemeri comitis quondam Zagrabiensis sigillatis plenius continentur, et etiam super terra Noak, quaestio fuisset diutius ventillata, tandem Wolk et caeteri praenotati, cognoscentes se contra Magistrum et domum Templi iniustam movisse suspitionem dictas terras domui Templi reliquerunt perpetuo possidendas.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XI. p. 452.

DCCLXV. *1258.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notificat, quod Stephanus banus totius Slavoniae et capitaneus Styriae missis suis litteris petiit ut iuxta tenorem suarum litterarum stabilium Branichio filio Selk et suis fratribus concessarum super certis eorum terris stabiles conferret litteras, huic petitioni capitulum annuit et litteras confirmavit.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. cont. XI. p. 454.

DCCLXVI. Stephanus banus totius Slavoniae et capitaneus Styrie significat, quod cum Bela rex terras castri a tempore Colomani regis (et ducis) alienatas, vindicare per totam Slavoniam precepisset, tandem pervenit ad Zagoriam et ibi incepit vindicare castra. Andreas igitur comes Vorosdinensis et secum omnes jobagiones castri de Zagoria, scilicet Salamon Volpoth, Stephanus Volpoth, Johannes filius Jobannis, Petrus filius Voychen, Ladislaus filius Vrazlav, Mortun filius Jordan, Beneduc Volpoth, Benk filius Benedicti, Petrus filius Turdina, Laurentius filius Nezbor, Ivan filius Iruzlo (Jaroslav),

Ende filius Michaelis etc., accepto homine banali, terram ad duo aratra, ex terra S. Georgii (sub Belec) a Vratislao et Noreta filiis Jaco, reambulaverint nomine castri; et utraque parte coram bano constituta, Andreas comes Vorosdinensis et omnes jobagiones proposuerint, quod illa particula terrae fuisset castri et eam praefati filii Jaco violenter occupassent. E converso Vratizlav et Noreta responderunt, quod eadem terra esset eorum haereditaria. Auditis his una cum nobilibus regni iudicavit banus Andream comitem ad iurandum cum quatuor jobagionibus super eo, quod illa terra sit castri. Sed adveniente termino comes Andreas et illi 4. jobagiones non ausi fuerunt jurare, sed permiserunt eam cum omnibus jobagionibus filiis Jaco; et misit banus hominem capitularem reambulare dictam terram et omnes terras filiorum Jacov tam S. Georgii quam terram Scelniza; et circuierunt terras comes Andreas et jobagiones una cum homine exmisso et invenerunt has metas: Prima igitur S. Georgii incipit de Cremena Goriza ab oriente et cometaneus est comes Michael, a septemtione sunt cruciferi a S. Joanne, ad meridiem super Zotizka in magno spatio est commetaneus comes Michael. Inde terra Wlchinae, ad occidentem cadit in Birch ubi est una via, ad meridiem terra Mortuni filii Curda, ab occidente venit ad rivulum Blatna. Inde ad siccam Botinam, inde cadit in Cochinam (Konšćinam) ubi eadem cadit ad magnam Batinam, et pervenit ad caput Cochina, ab occidente est commetaneus Benedictus filius Buculo iobagio castri. Versus aquilonem venit ad locum qui vocatur *Pogana Gostun*, inde per metas iuxta Batinam ad monticulum Pechta et sub montem Bilch (Belec) et alter mons Scynch remanet versus partes comitis Farcasii et cadit in lapidem Pecha, ad meridiem vero ad montem Oztruz (Oštrc) super quem ascendendo egreditur in alto Birch versus aquilonem et cadit in Honos in campum Vila et in locum Calch, ubi adiungitur metae comitis Farcasii et ab aquilone cruciferorum S. Johannis. Deinde super magnum Honos qui est supra Cruciferos et eundo per Birch cadit iterum in Cremena goricha ubi fuit inchoata. Ibi terminatur terra S. Georgii. Terra autem Szelniza incipit in Crapina in siccam Botinam, ultra Crapinam commetaneus est comes Atha ex parte meridionali. Deide ad aquilonem est Pecurna filius Cupan. In occidente sicca Botina cadit in magnam Botinam et per varias metas cadit in unum rivulum ubi est commetaneus Georgius filius Chonk. Ad aquilonem sunt Stephanus Valpoth et eius generatio commetanei. Per varias metas versus meridiem venit ad locum ubi rivulus Climin cadit in Botinam. Versus aquilonem commetaneus est Bratila et per Climin eundo venit ad vimina quae vocantur Zelencha; deinde descendit in Scelnizam ex adverso rivuli Milniza; deinde exit ad montem ad viam exercitus et vadit versus orientem de meta ad metas, et tandem venit ad metam Dursan filii Rack et pervenit ad locum ubi oritur rivulus Jarouz et cadit in fluvium Crapina iuxta comitatum Hrosna; deinde per Crapinam inferius eundo jungitur ad comitatum de Moroucha ad locum ubi sicca Botina cadit in Crapinam, ibi terminatur. Pristaldus erat Elex.

Tkalčić: Mon. episc. I. p. 227.

DCCLXVII. *1258.* Stephanus banus totius Slavoniae et capitaneus Styriae significat, quod cum rex Bela dedisset in mandatis ut terras Castrorum per totam Slavoniam et specialiter in comitatu Varasdinensi a tempore Colomani

regis alienatas vindicaret, tandem Andreas comes Varasdiensis et omnes jobagiones castri scilicet Martinus Volpoth filius Jezdusa, Paulus filius Pose Joachimus filius Orancha, Fulchumar, Samask filius Thomae, Rinchiz filius Rink, Vlchik filius Isan, Volcozlo filius Srobina, Demetrius filius ejus, Atuzlo, filius Ata, Martinus filius Zulch, vocati jobagiones castri varasdiensis; et Benedictus Volpoth, Salamon, Stephan filius Rochus, Benk et Isan frater ejus, Ivan filius Onevzlai jobagiones castri de Zagoria, terras filiorum Selk scilicet Branich, Selk et Elia filii Ivance nomine castri tam in Varasdino quam in Zagoria reambulaverunt. Qua occasione Andreas comes varasdiensis cum omnibus jobagionibus castri quasdam terras a filiis Selk receperunt ad castrum, quas sciverunt esse castri, alias haereditarias, emptitias et donatarias relinquendo penes eos. Quocirca misit idem banus homines suos Alexium et Hermanum, una cum homine Andreae comitis varasdinensis, et cum jobagionibus castri ad terras filiorum Selk quae eis in pace remanserunt, quarum terrarum metas in scriptis portaverunt. Prima igitur in Zagoria incipit ab aquilone de fluvio Hugvicza, inde tendit ad magnam viam et ascendit montem, ab oriente sunt terrae Gregorii filii Abramae, ab occidente filiorum Selk. Eundo per varias metas venit ab oriente ad terram Farcasii comitis. Commetatur etiam terrae ecclesiae S. Michaelis et Thomae filii Tonc. Per varias metas terreas et arboreas vadit ad partem, quae pertinet populis castri de Sevencha, ascendit monticulum et pertransit viam Seunicha per Berk. Populorum castri Sevencha est Petus commetaneus, item pervenit ad magnam viam inde vadit in aquilone ad montem qui vocatur Locus civitatis, ubi finitur meta terrarum Petus et est commetaneus Wlaslo. Per varias metas descendit ad magnam viam Hugussa ad partem meridionalem. Metae terrarum comitatus Varasdiensis incipiunt ab arbore gercian, ab occidente terrae filii Isaac. Per varias metas terreas et arboreas vadit in campum et inter magnam viam quae tendit ad Vorosd; contra occidentem venit ad terram filii Isac, et est commetaneus Wlchuc, et per campum civium iuxta Vorosd usque ad fundatam viam et per terram Isaac ad terram filiorum Lodomerii, et per dictam viam contra orientem. Inde exit de via, vadit contra meridiem et conterminatur terrae castrensi, intrat in vallem et in oriente in quandam lacunam quae vulgo Malacha dicitur. Item exit de via per amplum spatium et intrat in lutum nomine vulgari Mlacha; et per varias metas ad dumos, qui vulgo Raquetie vocantur, usque ad fundatam viam, et interum per varias metas attingit terras filiorum Lodomerii et terram Atoslav et vadit ad viam magnam et viam fundatam, et per viam et vallem, et densam sylvam mixtam spinis pervenit ad fluvium Zbelev et deficiente terra Otoslav est commetaneus Martinus filius Sulich cum fratre et Atoslav cum fratre, deinde terra Pauli filii Pousa. Per varias metas exiens de silva vadit ad viam que tendit ad Worosd ad terram dicti Prouch? et ad locum cujusdam aquae defluentis in Dravam et per spatium cadit meta in magnam Dravam, de qua in vallem lutosam quae vulgo Sotpuza vocatur, ubi est commetaneus Vlkoslav cum filio Demetrio, et per longas metas venit ad ecclesiam S. Bartolomaei et transiens magnam viam tendit ad silvam, usque dum pervenit ad aquam Zbelav et ibi in rippa est meta terrea, et juxta metas arboreas ad rippam aquae Plutvycha, ibi deficit terra Wlcoslay. Ex alia parte est commetaneus Gregorius de Seninusa cum

Martino fratre; et per longum spatium intrat in lutum quod vulgo Churnuch dicitur ubi et commetanus Wlcheuc filius Isan.

Ex mea antiqua collectione, orig. membr.

DCCLXVIII. *1258.* Stephanus banus totius Slavoniae et capitaneus Styriae notificat, quod cum rex Bela ei in tota Slavonia et specialiter in comitatu Vorosdiensi terras castri a tempore Colomani regis alienatas vindicare praecepisset, tandem Andreas comes Worosdiensis et jobagiones castri ejus universi, scilicet Damask, Martinus Volpot filius Nezdasa, Wlcozlav et Demetrius filius ejus, Folcumar, Paul filius Pousae, Renchet, Martin filius Zulich, Iwahen filius Manche, Acuzlav filius Acha, et caeteri jobagiones castri, ex terra filiorum Selk nomine Ebrys apud sanctum Elysm, ubi est commetaneus Martinus filius Zulich quandam particulam terrae ad alterum dimidium aratrum reambulantes proposuerunt coram bano contra filios Selk quod ipsa terra castri esset, ad quod filii Selk responderunt ipsam particulam et alias terras emptitias esse suas a Zopina et Endre comparatas et super hoc privilegium capituli Zagrab. praesentarunt. Unde auditis partium propositis et tenoribus privilegii capituli duxit banus dictam particulam terrae castro Worosdiensi esse relinquendam. Sed postmodum Andreas comes et jobagiones castri eandem particulam in Ebrys ex eorum beneplacito filiis Selk relinquerunt in perpetuum. In cuius concambium in terra Zbelov (Zbelava) prope ad Varasdinum a filiis Selk tantam terram receperunt, quod factum banus etiam ratum habuit.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. III. 491.

DCCLXIX. Spalati. *1259. 19. Martii.* Regnante Bela IV. rege, temporibus Rugerii archiepiscopi Spalatensis, nobili viro Widone Vegliensi comite, Vinodolii et Modrusiae ejusdem civitatis Potestate. Cum idem Potestas cum judicibus, consilio et communitate Spalatensi et similiter cum judicibus, consilio et communi Traguriensi in guerra maxima pro honore coronae regiae et fidelitate observanda permanerent cum infidelibus Pollizanis dictae coronae; comes Butteco, Dei et regia gratia maritimus banus promissit et firmavit sacramentum et se voluntate propria obligavit in eadem guerra iuxta praedictas communitates esse, nec pacem aliquam facere velle sine consensu praedictarum communitatum promittens etiam omnes fideles subditos coronae intrare in guerram dictam. E converso juraverunt potestas et dictae communitates bano cum eo fideliter perseverare in guerra, nec eum relinquere ullo modo. Haec omnia fuerunt facta coram fratre Sebastiano priore fr. Praedicatorum de Spalato et fratre Gessa et aliorum fr. affirmata. Tres litteras alfabeto divisas fecerunt communitates sigillibus repartiri inter Butteco comitem. Spalat. commune et Tragur. commune.

Lucius: De regno Dalm. et Croat. Lib. IV. cap. IX.

DCCLXX. *Apud* Ortam. *1259. Mense Martio.* Manfredus rex Siciliae notum facit, quod licet totius Dalmatiae homines dati in sensum reprobum olim contra patrem eius multa enormia commisissent et damna plurima fidelibus eius intulissent piraticam exercendo, quoniam tamen syndici universitatis Spalatensis venientes ad eius praesentiam promiserunt solemniter, et tam pro parte eorum quam aliorum civium dictae terre juraverunt, quod contra regni-

colas regni sui nullatenus piraticam exercebunt, nec alias eos offendent, concedit eis licentiam ut in dictum regnum Siciliae cum navibus suis salvi veniant, mandando omnibus suis fidelibus ut nullus eos impediat. Per manus Gualterii de Orta regni Siciliae cancellarii.

Lucius: *De regno Dalm. et Croat. lib. IV. cap. IX.*

DCCLXXI. *1259. 3. Aprilis.* Bela IV. rex notificat, quod licet inter magistrum Petrum patronum ecclesiae s. Mariae in insula Egidii et cives de Grech materia controversiae fuisset suborta, quod duo molendina super fluvium, qui dividit terram capituli et castri Grech per dictum Petrum archidiaconum Zagr. ordini Ciscercitarum donata et per regem privilegio confirmata, tamen rex de novo confirmaverit idem privilegium.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. pag. 121.

DCCLXXII. *1259. 19. Aprilis.* Philippus episcopus Zagrabiensis significat, quod Cucmano filio Wete, Endree, Andrea et Paulo ac caeteris filiis Petri proposuerint: quod cum avi eorum cupientes sub protectione ecclesiae permanere, se cum sua possessione Casna inferiori ecclesiae spontanee submisissent; et cum multo tempore eos capitulum confovisset, tandem ipsis, pro quibusdam inimiciis capitalibus relinquentibus dictam terram et moram facientibus in partibus alienis, cum redire vellent ad eandem, ipsos excluserunt ab omni utilitate et possessione, quare petebant restitutionem. Capitulum asserebat quod avo eorum dictam terram ei simpliciter donaverit, nullo retento jure, et hoc rex Andreas confirmaverit; adiudicatum fuit ad hoc ut sex canonici deponant sacramentum super suam assertionem. In dicto termino canonici noluerunt deponere sacramentum, sed ad evitandum scandalum donaverunt adversae parti terras Martini filii Nork, quae contenta cessit terram Casna capitulo.

Tkalčić: *Mon. hist. T. I. p. 121.*

DCCLXXIII. *1259. Mense Junio.* Jurko praepositus quinqueecclesiensis notum facit, quod prout ex litteris Belae regis percepisset quod causa, quae inter Ladislaum, Philippum et Gregorium filios Kleti comitis ex una parte et Julam de genere Kata, nomine nobilis matronae Chen vocatae relictae Petri comitis de Opor filiae magistri Philippi et sororis comitis Philippi, super quarta sua et do e matris suae in praesentia regis ex altera diu extiterat ventilata, tandem ex permissione regia mediantibus viris reverendis et providis: patre Philippo episcopo Zagrabiensi, magistro Smaragdo tunc praeposito Albensi, et vicecancellario, Alexandro comite de Zana et magistro Bach ad hoc deventum fuisset, quod terram Scent Iwan quam dicti Lad. Philippus et Greg. fratres ipsi dominae pro dote et pro quarta suae matris statuerunt eadem domina ipsam terram Scent Ivan dictis fratribus relinqueret, quae terra per Thomam, fratrem Philae praepositi et sup. comitis, ex parte Ladislai, Philippi et Gregorii et per Ivankam comitem filium Balan et Samsonem de de genere Bov pro parte adversa pro 45 marcis extitit aestimata, de quibus dicti fratres eidem dominae et dicto Julae 20 marcas persolverunt. Quam compositionem rex Bela confirmavit.

Fejer: Codex dipl. T. IV. vol. II. p. 518.

DCCLXXIV. **Sevrini. Kal.** *1259. 1. Julii.* Bela IV. rex vollens possessionem Sczolovna quam a castro Szaladiensi quondam exemptam pater ejus Iwachino comiti Scibiniensi bonae memoriae filio comitis Beche pro multiplicibus servitiis donaverat, filiis eius et haeredibus conservare, commemorat quaedam eius servitia, inter caetera, quod cum Assenus Burul imperator quondam Bulgarorum auxilium a patre regis contra infideles suos de Budino ex amicitiae fiducia implorasset, rex ipse Iwachinum associatis sibi Saxonibus, Olacis, Siculis et Bissenis in subsidium transmissit, qui cum supra fluvium Obozt pervenisset tres duces de Cumania ipsis occurrentes, cum eis praelium commiserunt, quorum duobus occisis, tertium nomine Karaz comes Iwachinus vinctum transmisit ad regem. Perveniens ad castrum Budin duas portas civitatis igne combusserit et post forte praelium ibi comissum, licet equo suo occiso, ipse acceptis lactalibus plagis vix vivus remanserit. Tamen quatuor cognatis et aliis militibus per Bulgaros occisis castrum Budin ad manus eidem B. Asseni restituit. Item in exercitu quem pater regis contra Romanum ducem Ruthenorum levavit, in quo idem dux capite fuit truncatus, comes Iwachinus clara opera fidelitatis praestitit, quocirca illi pater regis possessionem Sczolovna donavit. Rex autem post mortem patris sui revocando omnes donationes, revocavit etiam praefatam, sed respectu servitiorum Ivachini ad petitionem filiorum ejus Philippi episcopi Zagrabiensis et Thomae comitis de Crocov, restituit ipsis eandem possessionem Sczolovna, commemorans ipsorum quoque servitia, nam comes Thomas in minori adhuc aetate constitutus contra Tartaros apud fiuvium Soiov laudabiliter dimicavit, ubi laetale vulnus in brachio dextro accipiens, amissis omnibus bonis suis vix mortis periculum evasit. Invalescente Tartarica tempestate apud Jadram etiam cum patruo suo Dionisio comite et bano totius Slavoniae ardenti studio servivit se mortis periculo exponendo. Dictus autem episcopus cum adhuc in minori officio constitutus praepositura Dimisiensi et cancellaria dominae reginae consortis regis Belae fungeretur, continuo studio servivit, legationes in regno et extra regnum ad regem (Bohe)miae dilectum cognatum et ad partes Bavariae, quando filiam regis Elisabetham filio ducis Bavariae matrimonialiter sociaverit. Quorum omnium intuito dictam possessionem rex eis restituit. Tandem tempore quo per Stephanum banum totius Slavoniae et comitem Paulum iudicem curiae occupata et confusa tempore Tartarorum jura castrorum in statum debitum revocari faciebat rex, suborta dubitatione de metis revisae sunt metae per Felicianum praepositum colocensem; quarum prima incipit ab aquilone de terra Vulchuk a fluvio Ehnech lutoso, inde per terras, quae Mege dicuntur ad magnam viam qua itur Varasdinum — inde vergit per Bedniam et transit ipsam et pervenit ad fluvium Stopnik, ubi est ab oriente terra Horasnik; et per cursum ipsius Stopnik et per quandam Baram ad viam et ad montem Gradich in quo castrum antiquitus fuerat, et per circuitum montis venit ad magnam viam quae Berczut dicitur et per eandem viam vadit ad Zogenefrie (?) et cadit in viam Slobiduta ubi ab oriente est terra Vulchuk quae Zegene vocatur et a parte meridionali est terra Razina et in eadem via per Borcz venit ad vineam et transiens viam descendit ad fluvium Razina et in minorem Razinam, a parte meridionali sunt jobagiones castri Crisien. Scibislov et cognati eius, et superius ad aquam Wopak et ascendit quendam Bercz tendit ad montem ubi est Holm in fine ipsius Bercz cadit in Lizkochpotoka

ubi ultra est terra Greiacov et descendit in Bedniam quae venit ad Greiacopotoka a parte occidentali terra Greiacov. Per viam in Bercz venit ad caput Strmech et terram Chresnieucz, quae est Christiani. Porro terra Potey quae Zuhodol dicitur et descendit ad caput Zolonapotok et venit ad magnam viam, Varastini ab occidente est terra Crisiensis filii Zenesae, ubi castrum construxit, et vadit prope ecclesiam s. Martini et transeundo ecclesiam per viam cadit in Chnech potoka, per quem circuit ecclesiam s. Crucis et terminatur in Vulchuk.

Antiquum transumptum in charta conservatur in mea collectione.

DCCLXXV. **Albae.** *1259. 3. Octobris.* Bela IV. rex commendat memoriae, quod Philippus episcopus Zagrabiensis super terra sancti Martini condam Borych bani a Paulo filio eiusdem Borych in causam attractus, idem Paulus dictam terram utpote haereditariam sibi restitui postulasset, episcopus vero dictam terram titulo emptionis dixit se habere, et hoc ex litteris Rembaldi domorum hospitalis Jerusolimitani per Hungariam et Slavoniam tunc maioris praeceptoris comprobavit. Cumque super hoc diutius coram rege litigatum fuisset, tandem eisdem Zagr. episcopo et fratri Arnoldo domorum hosp. per Hung. et Slavoniam maiori praeceptore, qui fratri Rembaldo immediate successit, ex una parte et Paulo filio Borych bani ex altera coram rege constitutis praesentibus baronibus regni, ipse Paulus deprehensus est litteras regias falsicavisse. Quo circa ipsa terra s. Martini et alia bona Pauli propter vicium falsitatis ad manus regias devolvi debuissent, sed rex tamen adiudicavit eandem terram episcopo.

Hoc documentum confirmavit a. 1275. rex Ladislaus et transumpsit cap. Chasmense a. 1615. Ex actis c. r. archivo per banum Khuhen-Hedervary ablatis N. R. A. Fasc. 1531. N. 13. Tkalčić: Mon. I. p. 122.

DCCLXXVI. **Tragurii.** *1259. 3. Decembris.* Temporibus Columbani episcopi Tragur., Romani Stoche et Duymi de Cega iudicum Tragur., Pasculus et Helias fratres, filii quondam Berisii Soldani, confessi sunt se recepisse a canonicis Tragur. 40 libras denariorum parvorum Venetorum pro quibus vendiderunt terram suam haereditariam sitam ad Vicum super terra Stanae relictae Rosco, et pro cambio receperunt a canonicis unum passum de terra per longum et amplum apud Blatta de Pantano. Testes fuerunt Cerne Chvalotae, Sabaciolus et alii plures. Silvester de Urso examinator manum misit. Gervasius communis Trag. jur. notarius scripsit.

Farlati: Illyr. sacr. T. IV. 346.

DCCLXXVII. **Anagniae.** *1259. 3. Decembris.* Alexander IV. papa ad petitionem prioris et conventus monasterii s. Mariae de insula Egidii cisterciensis ordinis Zagrab. dioecesis confirmat donationem duorum molendinorum super fluvium qui dividit capitulum a castro Grech eis per regem factam.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 123.

DCCLXXVIII. **Zagrabiae.** *1259.* Stephanus banus totius Slavoniae et capitaneus Styriae transsumit ad petitionem Thomae filii Bratovan litteras Alexandri comitis de Podgorja vicebani sui et judicis Zagrabiensis in quibus continetur: quod praefatus Thomas tertiam partem terrae Scepnice accepto pristaldo vicebani Bosino ac Micus, Nicola et Stephano filiis Nicolai ream-

bulasset, quam asseruit suam esse. Dum intra partes super eadem dutius causa ventilata fuisset, tandem quartam partem terrae reambulatae per Petrum curialem comitem suum Zagrabiensem praedicto Thomae et suis filiis assignari fecit jure perpetuo. Metarum terrae prima incipit juxta rivulum Scepnica, ultra rivulum vadit sub montem supra quem est vinea retro villam filiorum Nicolai et est commetanes Bolozod. Per rivulum venit ad molendinum et in uno loco cadit parvulus fluvius in rivum Scepnice et manet in meta Thomae; inde procedens unam viam et per varias metas terreas, arboreas et per montes venit ad terram filiorum Marge et ad septemtrionem est terra fratrum sancti Sepulcri.

Orig. perg. in mea collectione.

DCCLXXIX. **Zagrabiae.** *1259.* Magister Alexander banus maritimus et comes Zagrabiensis significat, quod cum super facto terrae, quae incipit a ponte Glyna et vadit per magnam viam usque ad Motoy in dextra parte, inter abbatem toplicensem ex una parte et filios Rata ex altera coram eo questio verteretur, et eadem fuisset deducta ad judicium domini sui Stephani bani, tandem idem banus decrevit, quod ut praedicta terra esset ecclesiae toplicensis, Ivan filius Jerozlai, qui pro abbate litem portabat, cum Ivan filio Ortun de Blyna et Huet officiale abbatis, secundo die Mariae Magdalenae coram capitulo Zagrab. deberet praestare sacramentum, quod idem Ivan filius Jerozlai praestitit. Unde ipsa terra monasterio restituta est.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 244.

DCCLXXX. *1259.* Capitulum ecclesiae Zagrab. describit metas cujusdam terrae monasterii B. M. V. de Toplica et quidem: de monte ad tres metas unde descendit in aquam Petrina; inde exit ad Belipotok, vadit per fluvium ad caput eiusdem; deinde ad Domasingum; deinde ad viam que venit de Blina, per viam descendit in Precopam et per valles et montes ad Cochinam, deinde ad caput rivuli et in Ravnam ubi terminatur. Pristaldi fuerunt Gurk filius Merge terrestris et Blasius curiae capituli. Per manus Michaelis lectoris ecclesiae.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 124.

DCCLXXXI. *1259.* Stephanus banus totius Slavoniae significat, quod Chornug filius Chornouech jobagio castri de Glauniza a filiis Endre requisivisset: Prediuoy, Volkonam, Scynarkum, Volkomirum, Vlkoynum et Stoysam nomine suorum servorum, super quibus filii Endre dicebant, quod praefatus Churnug secundario praedictos homines qui semper liberi fuissent, impeteret in servitutem; et quod praedictos homines iustificati fuissent contra eundum Churnug et dixerunt super hoc litteras Gurk(onis) quondam comitis Zagrabiensis se habere; quas cum filii Endre in die ad hoc assignato exhibuissent, dictus Churnug eas falsificavit. Demum dictus Churnug in forma compositionis habite in duello quod habebat contra filios Endrae super terris Dobony et Zuhodol praedictos quinque homines tamquam liberos et litteras Gurk comitis tamquam iustas reliquit. Banus itaque confirmat libertate dictos quinque homines et litteras comitis pro iustis declarat.

Cod dipl. patrius IV. p. 37.

DCCLXXXII. *1259.* Bela IV. rex significat, quod cum Persinus requireret a civibus de monte Grech de Zagrabia terram Ambrosini duobus aratris sufficientem et quedam instrumenta super eadem exhiberet, cives autem e converso exhibuissent privilegium regis bulla aurea roboratum, rex volens privilegium suum, praesertim cum ipsa terra sit inter metas memoratae civitatis conservare, dimisit eandem terram Ambrosini ipsis civibus in perpetuum.

Ex mea antiqua collectione.

DCCLXXXIII. *1259.* Maria regina Hungariae notificat, quod cum possessionem Pucyna filii Urban, Lobor vocatam, cum castro in eadem constituto, comiti Michaeli fratri Buzad eius consors Bela rex contulisset, postmodum Cheh, filius eiusdem Pucyna, dictam possessionem Lobor et castrum a patre suo ablatum indebite asserebat et sibi restitui postulabat. Verum, quia donatio comiti Michaeli facta, per regem non fuit revocata, regina attendens servitia eiusdem Cheh quae in regno et extra regnum in legationibus suis exhibuit, terram Dobouch sitam in Posega cum silva Zoaberka in concambium terrae Lobor et castri dicto Cheh contulit in perpetuo possidendam. Praeterea cum inter ipsum Cheh et Elisabetham relictam Demetrii familiarem sociam uxoris Johannis cognati reginae matrimonium celebratum fuit efficiente regina, hanc duxit ei gratiam faciendam, quod si ipsum Cheh absque haerede prius quam dictam uxorem mori contingeret, ex tunc dicta ejus consors terram Dobouch possideat, quoad vixerit, post obitum autem ad generationem dicti Cheh pleno iure devolvatur. Metae autem per Philippum comitem de Posega circumscriptae tales sunt: Prima incipit ab oriente in radice montis lapidosi, ubi coniuguntur Oroycha et Lypouch, inde versus meridiem in quoddam Berch per fluvium Lipouch ad montem in cujus cacumine est meta; inde versus orientem in vallem ad fluvium Bregomnik usque terram Bilotae, Oroycha vocatam. Per varias metas cadit in potok Zuini, ubi est commetaneus Dras et versus Oroycha est locus a parte Nadoslak pertinens ad Dobouch. In margine silvae sunt tria loca pertinentia ad Dobouch: Bogdassa, Velika Boboycha et Kereklaz vicina domini Dras. Per montem descendit ad potok Kuhnek, deinde ad potok Zkorin, qui cadit ad potok Dobouch. Per varias metas vadit iuxta terram Pose et potok Skopchonik inde ad potok Pokolasnik inde ad villam Mortunus jobagionis castri inferior Vrba vocatam. In magno spatio vadit ad fontem Pokolasnik ubi exit ad Calistam; revertitur ad aquam Dobouch ubi Kolin est commetaneus. Per Berch vadit ad radicem montis Trihuch inde ad montem Calistam inde ad terram Ivance filii Drusk. Per longum vadit ad villam Zochan et ex parte terrae Zkrabatnik revertitur ad primam metam. Extra metas habet dictus Chech in aqua Chernech loca piscaturae, unam in fine campi Unuhlev, alteram in Kaponicha et clausuram in aqua Kneznicha et piscaturam in aqua Luki.

Ex actis e regni archivo per banum Khuen-Hedervάry ablatis. N. R. A. Fasc. 1502. N. 2.

DCCLXXXIV. *1259.* Stephanus dux (et capitaneus Styriae) confert Chak magistro pincernarum suorum pro suis servitiis castrum Horig et cum spectantibus terris ad Myltumberg, cum villa Saxumfeld prout Morsulfus de Treun ipsam possedisset.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XI. p. 463.

DCCLXXXV. *1259.* **Stephanus** dux donat Lancredo filio Buzad duas terras Polona cum terris Nedelk (Nedelišće) et Zunk sitas inter Muram et Dravum exemptas a jurisdictione castri Zaladiensis.
In camerali archivo Budensi. N. R. A. Fasc. 1516 N. 45.

DCCLXXXVI. *1259.* Idem Stephanus dux Styriae, confert comiti Ponith filio Arnoldi duas terras inter Dravum et Muram fluvios situatas quarum una castri Zaladiensis ad 5. aratra extenso cum nemore Zomor vocato, altera vero Chrisanecz dicta.
In camerali archivo Budensi N. R. A. Fasc. 1516. N. 45.

DCCLXXXVII. **Spalati.** *1260. 10. Februarii.* Regnante Bela IV. rege, temporibus Rogerii Spalatensis archiep., Nicolae Dessae, Nicolae Duimi et Cosmae Petri Camurci iudicum; Michae Madii, Alberti Janin et Michaelis Leonardi iudicum; Ticha relicta Michae Stossae, tale ordinavit testamentum: Imprimis omnia instrumenta quae eius nepotes filii Stani quae eis ipsa vel ipsorum patres vel matres de rebus fecerant irrita permaneant et nullam vigoris obtineant firmitatem. Cui dispositioni Elias Stani illic praesens contradixit et se et suos fratres et sorores sub protectionem curiae posuit, dicens suam avam non recte esse locutam. Actum in domo ipsius Tichae in praesentia Nicolai quondam sacristae eius patris spiritualis, Dessae Michaelis, Philippi Cusae, Laurentii Devae et plurium. Gervasius Grubessae scripsit. Lucas canonicus Spalat. et notarius communis confirmavit, testibus: Stanicha, Ven.tumre et Jacobi Petri.
Wenzel: Cod. Arpad. cont. II. p. 326.

DCCLXXXVIII. *1260. 26. Febr.* Bela IV. rex notificat, quod cum abbas et fratres ord. cisterciensis de Toplica zagr. dioec. in insula s. Ladislai, quae prius Wyhugh nuncupabatur, turrim et domos pro defensione sua de regio consensu construere cepissent, volentes prope castrum praedictum in aliqua terra grangiam sibi providere, rex eis terram Pridislai et Ludugari nomine Crala, cum omnibus pertinentiis suis, silva, insula et piscationibus contulit.
Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 124.

DCCLXXXIX. **Jadrae.** *1260. 25. Martii.* Laurentius archiep. Jadrensis, habito consilio cum universo capitulo et cum pluribus sapientibus et religiosis viris, considerans quod moniales monasterii s. Nicolai de Jadra ordinis s. Benedicti, quod abbatissa caret cum omnibus rebus suis, tam mobilibus quam immobilibus, de consensu patronorum ipsius monasterii, adscribi voluerunt ordini franciscano s. Clarae et colere disciplinam coenobii s. Damiani ratificat eandem donationem, eximendo dictum monasterium cum omnibus juribus suis, et dictas moniales ab omni jurisdictione sua. Praesentibus Damiano plebano s. Petri novi de Jadra, Geminiano Jadrensi primicerio, et nobilibus viris Cerne de Merga, Chrisogono de Mauro, Paulo de Lampredio, Joanne de Zivaletti et Lampredio Nicolae.
Farlati: Illyr. sacr. T. V. 79.

DCCXC. **Anagniae.** *1260. 26. Martii.* Alexander IV. papa ad relationem episcopi Traguriensis, quod clerici castri de Sibenico ejus dioecesis a praedecessore ejus pro denegata sibi obedientia, sint excommunicati, quidam

tamen non obstante eo susceperunt ordines et celebrarunt officia, quare petit a sede apostolica pro eis absolutionem. Concedit igitur papa ut episcopus eosdem excommunicatos absolvat a lata sententia.

Lucius: Mem. di Trau. p. 78.

DCCXCI. **Venetiis.** *1260. 9. Aprilis.* Rainerius Geno dux Venetiarum, una cum minori et maiori consilio et collaudatione populi, attendentes fidem et devotionem quam Joannes, Guido et Henricus, olim comites Veglae, et praedecessores ipsorum ad commune Venetiarum habuerunt, concedunt et confirmant nobilibus viris (Joanni) Schinelae, nato quondam comitis Bartholomaei, ac ejus filiis Petro Schinellae, Bartholomaeo et Federico, Bartholomaeo et Guidoni, filiis quondam Guidonis de Vegla, et eorum haeredibus masculis in perpetuum ita, quod unus alteri succedat, universum comitatum Veglae et insulae de Previchi cum omnibus redditibus, viris, rationibus, honorificentiis, collectis et regaliis, et quidem comes Schinella et filii et eorum haeredes medietatem totius comitatus, et Federicus, Bartholomaeus et Guido ac eorum haeredes aliam medietatem. (Sequuntur pacta et conditiones). Et est sciendum: quod pro dicta concessione ipsius comitatus solvi et dari debent communi Venetiarum libras nongentas veneticas parvas; de quibus habebit 700 dux pro salario ei concesso, 200 autem nobilis vir Laurentius Teupolo donec vixerit, et eo decedente communis Veneta. Praeterea quandocunque per commune Venetiarum armabuntur galeae 30 aut superius, armari debent unam galeam homines ipsius comitatus eorum expensis. Et si magnitudo Venetiarum ibit per partitionem, unus ex comitibus de domo Veglae ibit personaliter in dicto exercitu et stabit donec alii nobiles Veneti morabuntur suis expensis. Item infra decem annos venturos, debent dicti comites et eorum haeredes ponere in Venetiis in possessionibus libras decem millia veneticas parvas et pro comparandis possessionibus. Tempore belli dabunt 100 aut 200 homines pro soldo quale dabitur in Venetiis. Et quando predicti comites erunt pro tempore in Venetiis, debent simul esse cum maiori consilio, sacramento astricti. Subscripserunt Raynerius Geno dux, Joannes Quirinus judex, Joannes Gradenicus judex, Gibertus Dandulus judex, Marcus Totulus consiliator, Marsilius Georgii consiliator, Marcus Clurio, consiliator, Thomasinus Maurocenus consiliator, Nicolaus Quirinus consiliator, Conradus cancellarius scripsit.

Ex transumpto Marcantonii Vinciguerra de a. 1480. Habet quoque Lucius de regno Dalm. et Croat. Lib. IV. cap. 8. et Ljubić: Mon. spec. hist. Slav. Merid. I. p. 91, cum aliquibus mutationibus.

DCCXCII. **Anagniae.** *1260. 20. Aprilis.* Alexander IV. papa mandat archidiacono Spalatensi ut sententiam latam ab archiepiscopo Jadrensi contra archipresbyteros et clericos de Sibenico, sicuti est justa, auctoritate pontificis, appellatione remota, firmiter observari faciat.

Farlati: Illyr. Sacr. T. IV. p. 347.

DCCXCIII. **Venetiis.** *1260. Mense Aprili.* Rainerius Geno dux Venetiarum notum facit, quod cum inter Joannem Teupolo, filium quondam Jacobi ducis Venetiarum, comitem Absarensem, pro se et hominibus Absarensis et Chersi ex una parte et nobiles viros Fridericum, Bartholomaeum et Gvidonem comites Veglae pro se et eorum haeredibus et hominibus Veglae et Vino-

doli et aliarum terrarum ipsis subjectarum, de quibusdam intervenisset contentio, tandem ad pactum et concordiam pervenerunt ad invicem et remiserunt omnia damna, iniurias et offensiones per illorum homines factas, viceversa. Item filii comitis Gvidonis filios Cagi Berti de Absaro, quos captos detinent ad praesens liberos relaxabunt. Item damna illata Rannasio et eius sociis et aliis absarensibus debent satisfacere homines Veglae. Nicolao Tanolico debet satisfieri de equo. Praeterea offensio mortis Drasimiri, hominibus Chersi per comites Veglae remissa est. Ligna invicem non audet incidi et auferri sub poena duorum byzantinorum pro qualibet barcha etc. Et promiserunt pacta omnia servare sub poena mille librarum veneticarum parvarum. Subscripsit Raynerius Geno dux.

Ljubić: Listine. I. p. 93.

DCCXCIV. Spalati. *1260, 7. Junii.* Regnante Bela IV. rege. Temporibus Rogerii archiepiscopi Spalatensis, Nicolae Dessae, Nicolae Duymi et Cosmae, Petri Camusci iudicum publicatur, quod eodem anno 1260. die 10. Februarii temporibus Rogerii archiepiscopi, Michae Madii, Alberti Jancii et Michaelis Leonardi iudicum, Ticha relicta Michae Stosce ordinavit sibi fieri testamentum. Imprimis dixit: quod Stanus ejus gener cum Scemosa sua uxore habuerunt a Micha suo viro 50 perperos, et alios 50 habuerunt ab ipsa, cum quibus redimerunt domum ipsius Stani a Chereba Solubae qui eam in pignore tenebat. Item quod Scemosa acceperat a Micha Bacianae 50 perperos, quos Micha ipsi Tichae dare tenebatur. Item quod Stanus accomodaverat ab ipsa 240 libras denariorum parvorum et alia vice 120 libras pro quibus dedit aliqua pignora, sed violenter abstulit una cum instrumentis de suis possessionibus, et debitis. Stanus habuit etiam barcusium ejus ad custodiendum et 100 pecudes ad pascendum, sed nichil de his omnibus dedit. Item filia Scemora habuit 16 pensas auri de Tragumo de quibus voluit Ticha quod Dabra ejus filia medietatem habere debeat, aliam haeredes Scemosae filiae. Soluta medietate recipiant ipsi haeredes in se terram quae est ad Cazanam, quam pastinavit filius Besazi et terram de Duye, quam pastinavit Plesketae filius, et terras de Cerenaso, que fuerunt divisae cum Brde Russi. Et terram in Dilato penes ecclesiam St. Cosmae et Damiani et duas terrulas in Dilato que vocantur Vosicze et terram in insula Bracia quam debent dividere cum Dabro Laduli. Dabra autem dixit quod habeat terram ad fontes, ad laculos dein Darcutio ad Sillatum (Dilatum), dein in Pinuzo ad paludem, et declaravit omnia instrumenta, quae ejus nepotes filii Stani, vel matres fecerant, pro irritis. Quibus Elias Stani contradixit in nomine suo et suorum fratrum et sororum, dicens suam avam non recte fuisse locutam. Item voluit Ticha quod pars quam habebat in Solta et terra ad S. Mariam de Pansano vendentur et dentur pro sua anima patri spirituali, clericis pro exequiis, matri Diusse, suo nepoti et monasterio S. Stephani et S. Mariae de Solta, Slavae Cacasci, patribus minoribus certae summae. Debitum Mihae Bazianae reliquit Dabrae. Legavit etiam aliqua monasteriis S. Benedicti et S. Stephani. Superlectilia, utensilia, vegetes et omnia in domo suo legavit filiae Dabrae. Executores nominavit Duimum Cassari et Bujaldum Duimi. Actum in praesentia Nicolai patris spiritualis, Dessae Michaelis, Philippi Cusae, Laurentii Dessae, Gervasius Grubasie scripsit. Lucas can. Spal. jur. not. scripsit etc.

Ex archivo aulico Vindobonensi, acta Spalat.

DCCXCV. **Anagniae.** *1260. 11. Junii.* Alexander IV. papa ad postulationem abbatissae S. Nicolai Jadrensis et eius sororum suscipit eorum monasterium in protectionem B. Petri, statuens ut ordo monasticus qui B. Benedicti regulam atque imitationem monialium inclusarum S. Damiani Assinatensis et formulam vitae suae a Gregorio papa ordini eorum traditam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis temporibus observetur. Confirmat praeterea omnes possessiones et bona eiusdem monasterii. Et quidem locum ipsum in quo situm est idem monasterium. Item ecclesiam S. Joannis de Mezam cum vinea et terris. Vineas de Gillum cum terris, quae sunt ad Slacam et quae sunt ad Bravo, cum omnibus domibus et casalinis in civitate Jadrensi, et cum aliis utilitatibus. Datum per manus magistri Jordani vicecancellarii.

Farlati: Illyr. sacr. T. V. p. 79.

DCCXCVI. **Lacromae.** *1260. 2. Novembris.* Slavius episcopus (Tribuniensis) et abbas monasterii Lacromaae cum fratribus Pascale et Ysaya confitentur (quid? non producitur). Presbyter Pascalis com. not. scripsit.

Farlati: Illyr. sacr. T. VI. p. 291.

DCCXCVII. **Zagrabiae.** *1260.—1265. 15. Nov.* Rolandus banus totius Slavoniae significat, quod filii Jurgis, Volkota et Volkuzlov ac Obrad filius Jurenk ex una parte, et Mirozlaus ex altera personaliter constituti, prima pars confessa sit quod quasdam terras ipsi Miroslavo impignoratas redimere non potuerat, idcirco eas eidem dedisse in perpetuum, sicut in litteris Tiburcii et Martini comitum Zagrabiensium continetur, in quibus idem Tiburcius comes anno 1260. testatur, quod supradicti filii Jurgis et Jurenk vendiderint duodecim vretenos de terra sua comiti Miroslao pro 15 pensis denariorum zagrabiensium, alii 12 vreteni fuerint inpignorati et positi inter terram Raduhne et fluvium Odra. Venditioni astiterunt, et approbarunt eam fratres venditorum Gylkunk et Stepan, Martinus autem comes Zagr. attestatus similiter Zagrabiae in festo S. Marci 1265. quod comes Mirozlaus praesentavit literas Alexandri viceiudicis comitis Ladizlai quondam Zagrabiensis in quibus continebatur quod Volkota particulam terrae juxta Harastya, quatuordecim dimensiones quod vulgari dicitur vreten Miroslao pro quatuor marcis impignorasset et praetergresso termino in perpetuum reliquit; item quod Georgius Chenetk et Michael filii Descyn proximi Volkota dictam terram bona pace dimiserunt Miroslao contradictione non obstante nobilium regni. Mortunus filii Mortunus, Buthnik, Nicolai filii Gneus

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis N. R. A. Fasc. 135. N. 18.

DCCXCVIII. *1260.* Bela IV. rex manifestat, quod cum Deus rabiem Tartaricae gentis excitasset contra eius regnum, per quos Tartaros in campestri praelio convictus, fugaeque praesidio Maritimas partes adiret, et aquarum latibula conquaereret, ubi cum funera suorum fidelium videret, more Rachel plangeret, quia eorum solatio fuit destitutus; tunc pater miserecordiae ad consolandum eum, Federicum et Bartholomaeum nobiles de Vegla quasi de coelo proiecit, qui ei cum omni eorum parentela adhaerentes inter actus promiscuos fideles ei exhibuerunt famulatus, et non modicam pecuniam eorum, que ultra XX marcarum millia transcedunt, in cyphis aureis et argenteis et

aliis rebus praetiosis ei de bonis suis donaverunt. De consilio igitur reginae Mariae consortis suae et baronum suorum donavit eis civitatem circa litus maris existentem, Scen vocatam, cum omnibus pertinentiis et tributo. Datum per manus Farkasii electi albensis, aulae vicecancellarii.

Ex transumpto Caroli regis de a. 1322 in actis per banum Khuen-Hedervary et regni archivo ablatis. N. R. A, Fasc. 1646. N. 1.

DCCXCIX. Bela IV. rex significat, quod cum in conflictu cum Tartaris in campo Su (Sajo) ab iisdem totaliter victus et confusus fuisset, videns nullum auxilium adesse, quinimo quod aufugere debeat, sicuti etiam aufugit ad partes maritimas quaerens locum abscondionis et receptionis intra mare. Ubi deplorans sicut Rachel consideravit ruinam et necem suorum. Sed Deus misericordiae misit ad eum tanquam ex coelo consolandos illustres, magnificos et eximios viros Fridericum et Bartholomaeum Frangepan, qui donarunt ei in scyphis et poculis aureis et argenteiis plusquam XX milia marcarum in pecunia, uno verbo in scyphis magni valoris. Considerans haec fidelia servitia donavit eis locum qui est penes mare, Vinodol cum omnibus pertinentiis. Cuius confinium ad tramontanam imprimis est fluvius et locus Rika in monte maris incipiendo et libera aqua Richina usque ponticulum penes Probovo. Trans aquam prima meta est in uno lapide in quo est littera *A* et aqua sequitur libera, quae aqua ex monte Grobnicensi et confinio scaturit. Murus supra inchoatur in Jilievicheh, qui dicitur Prezum, murus in piscina ad Praputische ex illa parte Terstenik, locus autem Terstenik manet regius et integer. Inde ad Kupin kamen, ad Lisen kamen, ad Bila voda in vale Papruthio, a valle ad montem Berinschek, inde ad Gromacha, ad Prezidin et Babinopolye. Haec sunt vera confinia a parte maris usque ad Babinopolie.

Documentum hoc publicatum per Krčelić in notitiis Praeliminaribus p. 195 si est ex toto apochriphum, sicut omnia indicia, stylus inusitatus eius temporis, et nomen Frangepan comitibus Veglae tunc adhoc incognitum testantur. Videtur esse falsificata copia praecedentis privilegii Belae regis cum donatione urbis Segniae. Existebat in copia in regni archivo Croatia Fasc. 370, N. 35 ex Fasc. 1858. N. 1, per banum Khuen-Hedervary Budam ablatam.

DCCC. *1260.* Stephanus junior rex primogenitus Belae IV. notificat, quod Chak magister Tavernicorum suorum et comes Zaladiensis postulavit ut quandam terram praeconum castri Zaladiensis, Cheusy quinque aratrorum, Tordae filio Heur confere dignaretur. Rex considerātis servitiis dicti Tordae qui in bello contra ducem Austriae conservavit castrum Lewka pugnans facie ad faciem contra Teutonicos, de quibus multos occisos, multos decapitatos, quamplures etiam captos dicto Chak praesentavit. Porro in acie domini sui (Chak) in Bulgariam proficiscens ibidem exhibuit laudis merita recolendae obponens se prae aliis exercitui Bulgarorum pro honore regis. Pro quibus rex ei dictam terram contulit cuius meta incipit de aqua Lysco et vadit per varias terras.

Cod. dipl. patrius VI. 105.

DCCCI. *1260.* Bela IV. rex notificat, quod consideratis fidelitatibus comitis Perchini, quas tum in deferendis rebus seu mercibus praeciosis de Venetiis, non parcendo rebus nec personae, fideliter impendit et pro rebus

eisdem C et XX marcas, quibus ei tenebatur, terram seu possessionem Glavnicha, quam Welezlaus et caeteri cognati sui residebant, quae terra ad homines castri de Morocha pertinebat in comitatu eiusdem existens de munificentia regia et consensu omnium baronum, archiepiscopi, et episcopi iure perpetuo contulisset a castroque de Morocha et aliis castris in servitiis extraxisset. Datum per manus mag. Smaragdi praepositi Albensis aulae vicecancellarii.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. 520.

DCCCII. *1260.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notificat, quod magister Petrus archidiaconus Zagr. nomine Philippi episcopi ab una parte ab altera vero Wlcuzlav et Gordun filii Gordun terram haereditariam Gaj circa Worosdinum prope terram episcopi confessi sint, se vendidisse eidem episcopo jure perpetuo pro 50 marcis. Huic facto interfuerunt Wytemer et Nicolaus filii Bere. Datum per manus magistri Michaelis lectoris eccl. Zagr.

Tkalčić: Mon. episc. I. p. 125.

DCCCIII. *1260.* Capitulum Chasmensis ecclesiae significat, quod Vitimer et Nicolaus filii Bere ex una parte ex altera autem magister Petrus archidiaconus de Kamarcha et Hudina comes, vice et nomine Philippi episcopi Zagrabiensis, constituti coram, dictus Nicolaus spontaneum praebuit consensum facto venditionis terrae Obris ipsum Vitumerium contingentis, quam eidem episcopo vendidit, secundum quod in litteris Belae regis continetur.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 126.

DCCCIV. *1260.* Bela IV. rex concedit magistro Tiburtio liberorum solatio destituto, propter laudabilia sua servitia, liberam de omnibus juribus possessionariis et rebus mobilibus ad lubitum suum, Cruciferis duntaxat exceptis, testandi atque disponendi facultatem.

Ex actis monasterii de Garić. Fasc. I. N. 2, per banum Khuen-Hedervary e regni archivo ablatis.

DCCCV. *1260.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis significat, quod constitutis ab una parte Iwanca nomine et vice patris Philippi episc. Zagr. ab altera Gardun, filio Gordun, qui confessus est terram suam Bezenche se vendidisse eodem episcopo pro 15. marcis. Astitit Wlcuslav filius Gordun qui venditionem approbavit. Datum per manus magistri Mychaelis lectoris ecclesiae Zagrabiensis.

Tkalčić: Monum. hist. T. I. p. 125.

DCCCVI. *In villa* **Buzad.** *1260.* Ch. magister Tavarnicorum regis et Ste(phanus) comes Zaladiensis declarant, quod cum altercatio quae inter fratres eorum Michaelem scilicet comitem ex una parte, et Lancredum comitem ex altera super divisione possessionum exorta fuerat, ut inter illos concordia reformaretur ad ipsos accesserunt, qui licet diucius voces super facto mutuassent, tamen taliter factum possessionum ordinarunt: ut deinceps Lancredus in nullo titulo possessionis praetaxare vel molestare comitem Michaelem debeat cum omnino idem comes Michael rationabiliter sit excusatus et separatus in

divisione possessionum. Interrogabat etiam comes Leonardus an quaedam terra sita inter Drawum et Muram ad ipsum possit pertinere, cui etiam Michal contradixit et contrarium demonstravit. Et sic cum bona pacis tranquilitate ab invicem sunt separati.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arp. VII. 532.

DCCCVII. **Vrhlab** *1260.—1272. in festo s. Crucis.* Stephanus Uroš rex Serbiae confirmat mercatoribus Ragusinis privilegia concessa eis a praedecessoribus suis juxta legem et consuetudinem antiquam, ad petitionem missorum Ragusii Nicolai Krusić et Binculae Tosković.

Miklosich: Mon. Serbica p. 51.

DCCCVIII. **Dlgo Polje.** *1260.—1272.* Stephanus Uroš rex Serbiae ad petitionem missorum Ragusinorum Grubesae et Nicolai confirmat privilegia Ragusinis a patre eius concessa et statuit controversias inter Serbum et Ragusinum dirimendas esse a duobus judicibus quorum alter Serbus alter Ragusinus sit; controversias vero inter Saxonem et Ragusinum a duobus judicibus Saxone et Ragusino.

Miklosich: Mon. Serbica p. 51.

DCCCIX. *1260.—1272.* Stephanus Uroš rex Serbiae confirmat privilegia Ragusinis concessa eis a fratre suo Stephano rege.

Miklosich: Mon. Serb. p. 50.

DCCCX. **Catari.** *1261. 13. Februarii.* Capitulum ecclesiae S. Triphonis cum voluntate totius populi civitatis (Cattari) rogaverunt Marcum episcopum cattarensem ut ecclesiam SS. Cosmae et Damiani et S. Helisabet consecrare dignaretur, qui precibus obaudiens dictam ecclesiam consecravit et reliquias sanctorum in ea collocavit. Temporibus Alexandri Pontificis, regnante rege Uroscio, regente comite Catari Budislavo, asistente in consecratione Gròbina electo ecclesiae Dulcinensis.

Orig. In museo nationali Zagr. ex collectione Mich. Sabljar.

DCCCXI. **Venetiis.** *1261. m. Aprili.* Rainerius Geno dux Venet. cum suo maiori consilio et collaudatione populi, attendens puram fidem et devotionem quam Johannes Gvido et Henricus olim comites Veglae et eorum praedecessores hactenus habuerunt ad commune Venetiarum, concedit et confirmat Schinelae nato quondam Bartholomaei comitis Veglae ac ejus filiis Petro Schinellae, et Bartholomaeo; ac Friderico, Bartholomaeo et Gvidoni filiis quondam comitis Gvidonis de Vegla, et eorum haeredibus masculis, in perpetuum comitatum Veglae et insulam de Previchi, sicut ipsi comites et eorum praedecessores hactenus habuerunt et tenuerunt; et quidem unam medietatem comes Schinella et filii ejus aliam vero Fridericus, Bartolomaeus et Gvido ac eorum haeredes. Datum per manus Conradi curiae ducalis cancellarii.

Ljubić: Listine. I. p. 96.

DCCCXII. **Viterbii** *1262. mense Julio.* Urbanus IV. papa concedit omnibus qui ad neo extructam ecclesiam S. Georgii ordinis fratrum Hospitalis

Jerosolomitani (in Planina) in festo supradicti sancti et in anniversario die dedicationis eiusdem ecclesiae accesserint, plenam indulgentiam peccatorum.

Orig. mem. in Actis collegii Sac. Jesu Zagrab. Fasc. 26 et 2 in archivo regni.

DCCCXIII. **Spalati.** *1261. 3. Augusti.* Regnante rege Bela IV. temporibus Rogerii archiepiscopi Spalatensis, Michae Madii, Gregorii Grubae et Petri Zachae iudicum, iidem iudices cum consensu nobilium civitatis seu communitatis plenam contulerunt potestatem Thomae archidiacono et Marino Bonaiuntae quos in ambasciatores civitatis ad d. regem destinarunt inveniendi denariorum sub mutuo super ipsa communitate, qui in primo viagio eundo vel redeundo seu stando pro expensis necessarii fuerint, erga integram restitutionem per communitatem. Actum intra ambas portas civitatis praesentibus Joanne Cigaidae, Creza Cazettae, Duymo Catarii, Dobre Dussizae testibus. Thomas Dussiczae examinator manum misit. Magister Franciscus imperialis notarius et Spalat. iuratus scripsit.

Ljubić: Mon. 1. p. 98.

DCCCXIV. *In* **Zolum.** *1261. 3. Septembris.* Bela IV. rex refert in suis epistolis Ottoni episcopo Patavino de conversione Cumanorum, oratque eum ut Ottocarum Bohemiae regem, nepotem suum et regni implacabilem inimicum moveat ad implendas pacis conditiones. Adiicit etiam quod post habitam pacem inter eum et Ottocarum homines eiusdem de Styria, de exercitu suo ad propria redeuntes magnam partem terrae in comitatu Worosdiensi crudeliter vastaverunt; homicidia, spolia, incendia, captivationes pauperum et multa mala alia faciendo.

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. III. p. 30. Hormayers Archiv. Monath October 1828. p. 31—3.

DCCCXV. **Zagrabiae.** *1261 20. Septembr.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis attestat, quod Jacus filius Beruway et consangvineus suus Draxa filius Woik jobagiones castri Crisiensis ab una parte, ab altera vero Bochov serviens Andreae comitis de Noak filii Nicolai bani, nomine domini sui, eidem Andreae comiti vendidissent vineam suam in terra Kemluk positam pro 27 pensis denariorum Zagrabiensium, quarum singulae quinque pensae marcam tunc temporis faciebant.

Ex actis per banum Khuen Hederváry ex regni archivo ablatis. N. R. A. Fasc. 465. N. 20.

DCCCXVI. **Venetiis.** *1261. 7. Octobris.* Capta est pars in consilio quod nullus Venetus audeat portare vinum de marcha in Slavonia per Dalmatiam vel Quarnerium erga perditionem vini, et quod omnes comites de Dalmatia teneantur capere quemlibet quem invenerint sic portantem et una cum vino et lignis destinare Venetias.

Ljubić: Listine. I, 99.

DCCCXVII. *1261.* Maria regina Hung. significat, quod cum in regnum Slavoniae ad ordinandum et reformandum totum statum ducatus filii sui ducis Belae intrasset, cives de monte Grech sua plurima gravamina explicaverunt, que volens miserecorditer relevare, praesertim cum idem Castrum de novo

sit constructum et erectum in principaliori loco ducatus, ad utilitatem et servitium totius regni et ad tutelam confinii fundatum, relaxavit eis debitum ducentarum pensarum quas cives eiusdem castri bano nomine ducatus annuatim solvere tenebuntur. Insuper compobavit civitatem liberam et exemptam esse ab omni jurisdictione episcopalis dignitatis, praesentibus et consentientibus magistro Thobia praeposito, mag. Petro archidiacono, mag. Buza cantore, Prothasio custode et Stephano decano.

Tkalčić: Mon. civit. Zagrab. T. I. Doc. 36.

DCCCXVIII. *1261.* Bela IV. rex notificat, quod cum Kurei civis Vorosdiensis ei et filio suo Stephano multa servitia et obsequia praestitisset, eidem ob merita sua terram Petri Calvi jobagionis zaladiensis castri sine haerede decedentis, in comit. zalad. existentem cum omnibus pertinentiis, sicut eam Csak banus Transilvanus, comes de Zounuc, secundum mandatum regium circumscripsit, contulit sub hac conditione: ut ibidem debeat commorari. Metarum autem prima incipit in littore Drave et tendit iuxta terram Cruciferorum, abinde transit fluvium Bugne et per fluvium Bugniche vadit versus meridiem ad rivulum Chernec ubi in distancia a metis Cruciferorum coniungitur metis terrae in Copij. Tenet metas cum Romano et per longum vadit ad rivulum Halyna. Per viam venit ad pontem ubi Halyna dupplicatur, et per veterem viam ad fraxinum iuxta villam supra rivulum Scegune cadit in stratam exercitualem prope domum Martini filii Ladizlai. Ab oriente ad monticulum Ozloa goriche, per varias metas et villam Georgii reddit ad litus Dravae.

Ex transumpto capituli Chasmensis ad petitionem Kurei civis Vorosdiensis de a. 1365. Carta membr. in archivo civitatis Varasdiensis Fasc. I. N. 5.

DCCCXIX. *1261.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis attestatur, quod cum Bela rex Hung. terram Keminuchka in comitatu de Guerche magistro Petro praeposito Chasmensi et fratri eiusdem Andrae comiti contulisset, et Rolandus banus totius Slavoniae qui ipsos de mandato regio in possessionem introduci debebat capitulum pro testimonio petiisset, nominatus fuit Martinus quondam custos vaciensis tunc sacerdos dioecesis Zagrab. ecclesiae S. Mariae de Podgorje, qui una cum pristaldo bani Nicolao, qui dictam terram dicto magistro Petro et ejus patri Andreae resignaverunt. Prima meta terrae incipit a fluvio Culpa et vadit per unam Malakam usque ad fluvium Bryn iuxta terram castri Goriciensis. Per varias metas et silvam paludosam et silvam Ligetk (aut Sigetk) tendit usque ad stratam publicam quae vadit de ecclesia S. Jacobi versus locum curiae castri Goriciensis, et per montes, valles et metas terreas et arbores descendit iuxta terram castri in vallem, et viam quae vadit de loco curiae Goricensis ad domum Utnnyzlav et transit in fluvium Zalaztnyk et cadit in Culpam ubi terminatur.

Ex actis per banum Khuen-Hedervàry ex regni archivo abblatis. Acta Monasterii de Kamensko Fasc. I. N. 1.

DCCCXX. *1262.* Rolandus banus totius Slavoniae attestatur, quod Berizlav Vulchk, Stepan, Vytko, Vulchik filius Rese, Vulchey filius Drask et Dragoslav pro se et omnibus proximis reambulantes cum homine bani terram I lagusa de Martino ventroso jobagione castri Zagr. proposuissent, quod dicta

esset eorum haereditaria, et idem Martinus eandem occupans, depossuisset ipsos violenter. Contra respondebat Martinus: quod ipsa terra sua esset haereditaria ab antiquo posessa per patrem et praedecessores suos, et quod antedicti Berislav, Vulchk et socii sui in exhibitis per eum protinus litteris Alexandri quondam vicebani et comitis Zagrab. et privilegio Stephani bani in quibus continebatur: quod iidem Berislaus et socii in facie judicii provocati fuerant ad productionem testium faciendam; illi vero nullam productionem facere potuissent, nec aliquam ostendere cautionem; et ideo Martino cum undecim consimilibus hominibus adiudicatum fuisset juramentum et iurasset cum eisdem. Banus igitur una cum magistro Moys simigiensi et Vorosdiensi comite, magistro Nicolao judice curiae dominae reginae et pluribus nobilibus publico judicio assedentibus, Ivanka filio Inzlay, Hrenkone, Farcassio de Zagoria, Povorseno filio Rata et aliis considerans eosdem Berislaum et suos cognatos litem primitus litigatam et ex novo terminatam resumpsisse, decrevit eosdem manifeste calumniatores remansisse. Et quamquam ipsos secundum constitutam vindictam calumniae, adustis per medium nasis iudicare debuisset, tamen ad instantiam petentium, pepercit eis, relinquens terram Martino et eius successoribus, adversae parti perpetuum silentium inponendo. Coram Pristaldo curiae bani Thoma filio Sanctus et terrestri Pristaldo Boseno filio Inuse.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 126.

DCCCXXI. **Viterbii,** *1262. 11. Januarii.* Urbanus IV. papa Philippo episcopo Zagr. qui postulaverat archiepiscopatum Strigoniensem rescribit, quod eam secundum consuetudinem ecclesiae per suos legatos: N. episcopum Penestrinum, I. electum Portuensem et P. s. Mariae in via lata diaconum cardinalem examinari fecisset et licet compertum fuerit postulationem canonicam extitisse et licet ipse noverit quod ex eius magnificis meritis eum maiora decerent et amplioribus esset honoribus attolendus, tamen servari volens statutum sedis apostolicae, postulationem ad praesens distulit, nominat tamen eum in procuratorem dictae Strigonensis ecclesiae, tradens ei curam et administrationem in temporalibus et spiritualibus, citatque eum in praesentiam suam infra festum s. Jacobi apostoli.

Theiner: Mon. Hung. hist. I. 243.

DCCCXXII. *Apud domum* **Hudinae.** *1262, 9. Februarii.* Bela IV. rex mandat omnibus judicibus regni: cum Stephanus, Iwan et Johannes filii Beriwoy dicuntur esse adhuc in aetate tenera constituti et eis de consuetudine regni gratiam duxit faciendam, quod super factis possessionum, servorum et ancillarum, tempore patris sui exortis, non iudicentur usque dum in aetate legittima fuerint constituti, quatenus eos ultra gratiam eis factam judicare non praesumant.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. p. 30.

DCCCXXIII. **Ragusii.** *1262. 26. Februarii.* Frater Alexander de ordine fratrum minorum, archiepiscopus Ragusinus, notum facit, quod cum Joannes sacerdos prior ecclesiae Scte. Mariae de Rabiato, Joanni praedecessori eius ac ipsi subditus ac monasteriis suis pro tempore respondens parochialibus functionibus tamquam preaelato dioecesano, elapsis jam annis duodecim sine

interruptione legitima, utpote per dictum Joannem institutus in dicta ecclesia et introductus in spiritualem possessionem, ipsi etiam in archiepiscopali palatio obedientiam fecit, cum aliis collectam solvit, visitationem ejus recipit, convictum dat pluries, et ad synodum venit, recognoscens eum praelatum et judicem suum ordinarium; nunc autem obedire contemnit, visitationem renuit et omnia prius facta et servitia denegat, quocirca eum cum dolore animi sui tamquam rebellem et contumacem excommunicat. Praesentibus Salvio Tribuniensi episcopo, ac omnibus abbatibus, canonicus Ragusinus et notarius archiepiscopi scripsit.

Ex transumpto bullarii archivi Ragusini. M. S. in mea coll. p. 370.

DCCCXXIV. *1262. 7. Martii.* Bela IV. rex commendat memoriae, quod cum terram Megeriza iam dudum comiti Hudinae pro meritis suis contulisset, quamquam eadem quod idem comes est solacio virilis sobolis destitutus, ipso sublato de medio ad regias manus reduci iure domini potuisset, attendens tamen ipsius comitis servitia et delicias quibus regem et suos continue honoravit, ad instantiam patris Philippi episcopi Zagr. aulae cancellarii in archiepiscopum Strigoniensem postulati, duxit annuendum ut comes Gregorius filius Grobesa et fratres et cognati comitis Hudinae eandem terram perpetuo possideant.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 127.

DCCCXXV. *1262. 30. Junii.* Bela rex notificat, quod pugil Johannes filius Joannis supplicasset ut terram castri Zagoria Batina vocatam, terrae suae haereditariae contiguam, ad tri aratra sufficientem sibi dare dignaretur. Rex igitur consideratis ejus servitiis ei dictam terram Batina contulit et in possessionem corporalem per magistrum Moys, tunc comitem de Symigio, fecit introduci. Cuius terrae metae prout in literis Lamberi comitis, officialis magistri Moys continebantur, hae fuerint: Prima ex parte meridionali juxta magnam viam ex parte Bokouch terrae suae, cui meta Nicolai filii Gregorii associatur; deinde in eadem via procedendo versus occidentem descendit in vallem et ibi in dorso montis qui Graduch dicitur est meta lapidea, deinde descendit ad fluvium Sarusbur, deinde venit ad aliam viam iuxta vineam Johannis, inde descendit ad fluvium Bonnam?. — Juxta viam est meta Martini filii Gurdina et Cuzmicho, deinde per latus montis ad haereditariam terram Johannis, quae Dulga vocatur, inde ad primam metam. Datum per manus magistri Pauli electi albensis, aulae vicecancellarii.

Ex archivo familiae Janković de Bribir. Fejer: Cod. dipl. VII. vol. 3. pag. 43.

DCCCXXVI. **Zagrabiae.** *1262. 6. Julii.* Fabianus comes Zagrabiensis notificat, quod Wlxa et Bodyk filii Vratyzlai jobagiones castri Zagrabiensis, accepto ab illo pristaldo Nepne Salicz cognato Velizlai citavissent in eius presentiam Lukach, Vyd et suos fratres filios Endre, proponentes contra eos, quod cum iidem ratione compositionis factae inter eos de terra sita inter Lomnicham ex parte populorum de terra Chehi triginta wretenos terreos dare debuissent, sicut in loco sacramenti per sententiatores extiterat ordinatum, quod sacramentum eisdem filiis Endre adiudicaverat (comes) sed illos non

dedissent. Contra quod praedicti filii Endre responderunt, quod filii Wratyzlai ratione concambii illos 30 wretenos terrae dimisissent eis, quod concambium per Wlxa et Bodyk in terra eorum contra Chehienses fecisse retulerunt, cuius series in litteris capituli continetur. Quibus auditis comes ipsos triginta wretenos filiis Wratyzlai statuerat, quia filii Endre fideiussores producere non potuerant; sed postmodum statuerunt eos, et quidem Martinum ventrosum, Dazlaum, Borch, Leuchem, Bosenum, Stephanum filium Nicolai, Endreh, Minyzlaum et Oporisium, qui se fideiussores esse pro filiis Wratyzlai non negaverunt, dicentes, quod cum filii Endre, populis de Chechi in terra eorum pro Wlxa et Budyk concambium dedissent pro eo, quia terra illorum melior esset quam terra Chechiensium, illos 30 vretenos filii Wratyzlai reliquissent illis perpetuo possidendos, exhibentes super hoc etiam litteras comitis; ad haec requisivit praefatus comes nobiles regni, videlicet: Myrozlaum magnum, Heericum comitem, Michaelem de Vrus, Joannem filium Gruzloy, Noretam filium Jako et Martinum filium Wlkoy de Blina qui dixerunt, quod filii Wratyzlai condemnandi essent sicut manifesti calumniatores. Ideo reliquit comes ipsos 30 vretenos filiis Endre, filiis autem Wratyzlai sicuti calumniatoribus imponens perpetuum silentium.

Orig. perg. in mea collectione.

DCCCXXVII. *1262. 3. Augusti.* Bela IV. rex notificat, quod Farcasius, Petre et Petrus fratres petiissent ut terram castri de Gresencha Pectenna eis conferre et privilegio confirmare dignaretur, petitionibus eorundem juvenum acquiescens, consideratisque meritis eorum quae ei, regno, una cum Oliverio magistro tavarnicorum reginae consorti impenderant, dictam terram eisdem contulit et capitulo Chasmensi mandavit ut una cum homine magistri Oliverii supradicti comite de Gresenche unum ex eis mittant, qui terram per metas distingueret. Sicut ex litteris capituli patet meta terrae incipit ab oriente in ripa Peclenna hinc per vallem siccam et ascendendo et descendendo cadit in fluvium Glonnycha (Glogovnica) venit ad terram filiorum Kuchk et per Pomlov ascendit ad metam Petri filii Petri de Monozlo, ad terram Nicolai Hungari et per valem silvosam cadit in fluvium Peclenna, Simone filio Lecha commetaneo, a meridie terra Stephani Ungari. Datum per manus magistri Pauli praepositi albensis, aulae vicecancellarii.

Cod dipl. patrius VII. p. 81. Ex actis com. Erdödy e Croatia Galgoczam ablatis.

DCCCXXVIII. **Almissi.** *1262. 2. Septembris.* Tempore comitis Rados in Almisio, idem comes Rados et comes Jurra cum suis propinquis et cum tota communitate civitatis testificant, quod ad eorum civitatem accessissent nuntii Ragusinorum scilicet: frater Michael de ordine Praedicatorum et Petrus de Kercusi cum litteris Philippi Contarini comitis Ragusii et totius communitatis eiusdem terrae, qui composuissent bonam pacem cum Almissanis pro homicidio perpetrato in Ragusio duorum hominum et tertio semivivo; et quidem dabunt Ragusini pro morte filii Radini Spertalisi 160 libras denariorum parvulorum venetorum, et pro morte Varse filii Vosoie 150 libras eiusdem monetae et pro filio Slavce nepote Dragani, qui fuit ad mortem percussus libras 45. Quod velint firmam pacem tenere, jurarunt comes Rados item

Radin pater defuncti, Caprega filius Radini et frater defuncti, Cekrec socer ejus, Bogdanus Bastardi, Luca filius Pupeli, Desislaus filius Pred miri, Stojan filius Dragovani, Dimisce filius Bolebrat, Pelnos filius Mekinae, Jupanus Rasumir, Brainsch frater defuncti Varse, Jurco de Corcera, Dobrosius de Cetuna, Bogdanus Dubocel, Dragona, Velihna et Predislav de Corcera, fratres, homines et propinqui illius qui mortuus fuit in Ragusio, et Dragan et Slavec pro nepote et filio suo, qui vulneratus est, sicuti Radinus Spertalis et Branich frater Varse cum parentibus illorum jurarunt. Testes autem fuerunt supanus Sfoimir, Etsemir, Prodanus, Mattheus, Reste, Pupec, Padoslav, Mahnig et plures alii, et Jupanus Petrus civis almisiensis carente notario in civitate scripsit.

Orig. membr. in archivo aulico Vindobonensi. Acta Ragus. N. 964.

DCCCXXIX. **Venetiis.** *1262. 29. Novembris.* Rainerius Geno dux Venetiarum scribit rectoribus et communi de Tragurio, cum de comitatu Curzolae et Melitae olim multae quaestiones in consilio minori et maiori Venetiis extiterint, et statutum fuit, ut nobili viro Marsilio comiti suo et praesenti comiti Jacobo Grimani obedire in omnibus debeant, requirit eandem civitatem Tragurii, quatenus eidem comiti auxilium et favorem cum opportuerit ad manutenimentum ipsius regiminis praebeat, cum etiam Slavis et Latinis dictae insulae mandaverit, quod dicto comiti in omnibus obedire debeat.

Lucius: Mem. de Trau. p. 107.

DCCCXXX. *Apud urbem veterem. 1262. 13. Decembris.* Urbanus IV. papa mandat archiepiscopo Colocensi, ut ab Oliverio Sirmiensi episcopo suffraganeo suo, qui gravi corporis langvore gravatus pastorale officium exercere non potest, adeoque sirmiensem ecclesiam retinere nequit, et per magistrum Thomam thesaurarium et Petrum canonicum suae ecclesiae postulavit ut cessionem ipsius recipi et transeundi ad fratres minorum ordinis sibi licentiam dari mandaret, cessionem officii sui recipiat et licentiam ad dictum ordinem transeundi nomine pontificis tribuat.

Theiner: Vet. mon. Hung. T. I. p. 243.

DCCCXXXI. *1262.* Stephanus rex confirmat hospitibus in suburbio castri Walkow commorantibus, privilegium patris sui Belae IV. (1244.)

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. III. p. 79.

DCCCXXXII. *1262.* Bela IV. rex confert Merse filio Benedicti ob suam et fratris in expeditione contra Bulgaros suscepta virtutem, possessionem Sanefalva (Sinje) in Neogradensi comitatu, quae a Bank bano infideli suo ad regem devoluta fuit.

Fejer: Codex dipl. T. IV. vol. III. p. 60.

DCCCXXXIII. *1262.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis significat, quod accedentes in eius praesentiam de genere Drugsen (Družen) Volkoy, Dragota filius Vezk, Descyuoy, pro se et fratribus suis, Zobeth, Wlca, Dethmar Boguzlav pro se et fratre suo Doklesa, Buzka pro se et fratre suo, Mlathk, Dragonis, Zlavosa, Petrisa, Raducha et Gurduna, astante ab altera parte magistro Petro praeposito Chasmensi asseruissent, quod cum ipsi terram Ka-

mezka (Kamenska) dicto magistro Petro et fratri suo comiti Andreae vendidissent, insurrexit supradictus Dragota, movendo questionem super dictam terram, ad solvendum 50 pensas ante ingressum litis. Datum per manus magistri Michaelis lectoris.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis. Acta monasterii de Kamensko Fasc. 1. N. 2.

DCCCXXXIV. *1262.* Magister Benedictus iudex curiae reginae, comes Castriferrei significat, quod cum de mandato speciali reginae venisset Posegam ad restituendas terras tam castri quam a gentibus iudebite occupatas, inter alias, terras Bylotae, Belch et Petrizlo, Oriavicha et Scelta vacatas, invenisset jure detentas, quo circa illas regina dictis fratribus restituit jure perpetuo possidendas.

Ex actis e regni archivo per banum Khuen-Hederváry ablatis. N. R. A. Fasc. 1531. N. 27.

DCCCXXXV, *1263. 13. Januarii.* Bela IV. rex notificat, quod quum nobilis vir magister Thobias de Bogud praepositus Zagrabiensis et filii regis Belae ducis totius Slavoniae cancellarius, exhibens a suis maioribus incoatam et a patre suo continuatam fidelitatem, qui in regni conspectu strenue militans pro regni et regis defensione occubuit manibus Tartarorum. Item quia ipse magister Thobias tempore eo, quo rex neptem suam regi Boemorum in matrimonium dando ut legitima impedimenta obviaret, eundem Thobiam ad curiam Romanam destinavit, cuius ministerio in impedimentis supradictis apostolicam dispensationem procuravit, regno autem pacem perpetuam (cum Boemis). Pro quibus servitiis ei contulit dominium Carniolae (Krainburg) cum omnibus castris et urbibus quod rex a matertera sua (Catharina) ducissa Carinthiae et filia ducis Meraniae (Bertholdi) sine haerede mortua, haereditaverat. Datum per manus Farcasii aulae vicecancellarii, electi ecclesiae Albensis.

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. III. p. 100.

DCCCXXXVI. *1263. 28. Januarii.* Bela IV. rex mandat Rolando bano totius Slavoniae, ut tradat comiti Petro de Lyca quasdam terras in commutationem aliarum terrarum, quod postquam per comitem Stephanum banum maritimum effectum fuisset, rex confirmat.

Orig. in archivo comitum Frangepani in castello Porpetto. N. 3.

DCCCXXXVII. Sebenici. *1263. 7. Februarii.* Tempore Stepconis comitis de Breberio, potestatis Sibenicensis, nec non judicum Petri et Tolen et consiliariorum civitatis faciunt pacem et concordiam cum Valentino de Casariza et Duymo filio archidiacono ambassatoribus civitatis Traguriensis, nomine ipsius civitatis sub his conditionibus: Imprimis quod illa privilegia quae temporibus Gvidonis comitis potestatis Tragur. et Danielis comitis Sibenicensis facta extiterint sint firma ab utraque communitate servanda; item quod omnia malefacta inter Sibenicenses et Tragurienses perpetrata sint irrita, exceptis juridicis sententiis, item si ambae civitates aliquos homines extramiserint et hi propter famem aliquas bestias viceversa rapuerint, bestiae hae per civitatem restituantur, vel praefixo pretio persolvantur, et quidem: pro ariete aut ove

20 soldos, pro capra 30 sol., pro yrco 40 sol., pro agno vel capretto 10 sol., pro uno, de ultimis caseis 5 sol. Item si aliquis de Slavonia scilicet de regno Ungariae fuerit inimicus Tragur. et Sibenicenses habebunt eum inimicum et e converso; et pro facto damno aequaliter et insimul quaerere auxilium. Item si pastores viceversa destruerent bladum aut vineam domini habent jus quaerere auxilium penes communitatem cui pastor adhaeret. Haec omnia fideliter servare iurarunt potestas, iudices, consiliarii et totum parlamentum civitatis Siben. ambasatoribus Tragurinis. Firmatum ante ecclesiam S. Jacobi a publico parlamento civitatis Siben. Testibus Dragoio Sinaita, Nigero Bastinae, Dragovano Boborizo, Mirza D. Anzana, Gregorio de Curtisia et aliis. Dobren misit manum, magister Petrus clericus Siben. et notarius scripsit.
Lucius: Mem. di Trau. p. 78.

DCCCXXXVIII. **Venetiis.** *1263. 15. Aprilis.* Capta est pars in maiori consilio, quod comes Jadrae non possit facere vel fieri facere mercatum, nec aliquis de sua masnata vel societate, excepto, quod possit equos suos vendere.
Ljubić: Mon. I. 99.

DCCCXXXIX. *1263. Apud urbem veterem. 24. Sept.* Urbanus IV. papa scribit Timothaeo electo Zagrabiensi: quod Zagrabiensis ecclesia solatio episcopi destituta, praepositus et capitulum ejusdem ecclesiae convenientes in unum, Stephanum capellanum pontificis nepotem episcopi Penestrini praepositum Pozoniensem, pacientem in aetate defectum in Zagrabiensem episcopum postulassent, papa autem provisionem et ordinationem eiusdem ecclesiae episcopo Penestrino duxit committendam, qui nolens habere respectum ad Stephanum, supradictum Thimotheum tunc subdiaconum et capellanum pontificis, archidiaconum de Zala in ecclesia Vesprimiensi et canonicum Zagrabiensi pro dicta ecclesia elegit, quam electionem pontifex ratam habens confirmat, de suaquae nominatione praepositum Zagrab. clerum, populum civitatis et dioecesis, et vasalos ecclesiae Zagrabiensis certiores facit.
Theiner: Mon. vet. hist. Hung. I. 245.

DCCCXL. *1263. 9. Octobris.* Bela IV. rex notificat, quod cum inestimabilis multitudo rabidae gentis Tartaricae per climata regni eius perfusa, et ille una cum fidis primatibus et egregiis nobilibus extra monarchiam suam usque ad littus pontus, atrocissime persecutus in quandam insulam se salvasset, de qua etiam Tartari eum vi extrahere satagentes per naufragium in eum irruere connassent, ubi in conflictu certaminis inter suos et ipsos Tartaros servato, suorum corruentium funera more Rachelis rigide plangebat. Tunc pater misericordiarum rege iam illis et quasi praecipito virtutem suae dextrae porrigere dignatus est, quoniam ad refulciendum et corroborandum eum Feldricum et Bartholomaeum nobiles de Wegla, tanquam angelos protectionis de arce polorum misit, qui ei cum eorum parentella et familiarum caterva armigera in personae regis tutellam adhaerendo, per eorum strenua certamina, quosdam ductores ipsorum Tartarorum, sequacesque eorum dirae necis exterminio necari et quosdam captos regi offere non destitissent, ubi etiam crebra et gravia stigmata sustulerunt, et multos ex proximis et familiaribus amiserunt, copiosam etiam pecuniam in auro et argento, ac rebus praetiosis quantitatem ad viginti millia marcarum se extendentem, regi pro assu-

mendis stipendiariis et expeditionibus variis offere maluerunt. Quorum ob meritum eos et eorum haeredes universis iuribus, gratiis et honoribus et solemnium libertatum illustrium primatum regni Hungariae praerogativis participes instituit. Eliberat etiam ab omni judicio curiae et regni judicum, dempta regalis persona. Datum per manus Farcasii Albensis electi et aulae vicecancellarii.

Fejer: Cod. dipl. T. IV., vol. III. p. 108.

DCCCXLI. *1263. 10. Novembris.* Rolandus banus totius Slavoniae significat, quod cum Ladislaus filius Renoldi super occupatione et metarum destructione terrae Gurbisae per Stephanum banum, piae recordationis, Scema comiti collatae et postmodum per magistrum Nicolaum filium eiusdem et fratres suos ipsi Ladislao traditae, Georgium comitem filium Mauritii ad praesentiam bani evocatum convenisset; idem comes Georgius respondit quod terra ipsius sub certis metis a terra Gurbise esset ab antiquo separata, quam sine contradictione hactenus possedit sed super hac nullum potuit munimentum seu privilegia exhibere, Ladislaus autem praesentavit privilegium Stephani bani de a. 1251 (vide ibidem) cuius serie intellecta, provocatus comes Georgius non potuit contradicere privilegio, unde sententia nobilium mediante banus per Johannem filium Henrici, hominem suum fecit metas renovari, et terram Ladislao restitui.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. cont. VII. 355. erronee sub a. 1253.

DCCCXLII. *Apud urbem veterem. 1363. 21. Decembris.* Urbanus IV. papa ad postulationem Mariae reginae Vngariae, quae una cum marito suo Bela IV. propter timorem de Tartarica feritate conceptum dum ad loca maritima transitum fecisset, et nobilibus positis in gravi necessitaie compaciens pro sustentatione ipsorum de suis parafernalibus bonis non modicam expendisset pecuniam, cui propterea rex in compensationem aliquam castrum de Posega ad eum pertinens in ducatu Slavoniae constitutum cum consensu filiorum Stephani regis et Belae ducis Slavoniae nec non prelatorum et baronum donavit, dictam donationem ratam habet.

Theiner: Mon. vet. Hung. I. 254.

DCCCXLIII. *Apud urbem veterem. 1263. 21. Decembris.* Urbanus IV. papa suscipit Belam ducem Slavoniae in suam protectionem cum ducatu Slavoniae ac de Olcha (Wlcha), de Bragna, Symigio, Sala et ferreo castro nec non salibus aquaticis et aliis juribus et pertinentiis suis ad Ducatum ipsum spectantibus, quae in praesentiarum rationaliter se obtinere proponit.

Theiner Mon. vet. Hung. I. 255.

DCCCXLIV. *1263.* Bela IV. rex notificat, quod magister Nicolaus cancellarius dapiferorum regis, comes de Kemluc, et Iwachinus magister pincernarum Belae ducis totius Slavoniae, filii regis, confessi sint, quod cum Karul et Ladislaus filii Reynoldi a primaevo suae pueritiae tempore, patri eorum Stephano videlicet bano quondam totius Slavoniae existente et eis grata et accepta servitia inpedissent, in signum cuisdam retributionis terram Zemefelde nuncupatam, quod ipsi patri eorum et eis ratione terrae sine haerede decedentis contulerant inter Drawum et Plutvycham existentem donaverunt

jure perpetuo, sub eisdem antiquis metis, quibus dictus Zeme dinoscitur possedisse. Quam collationem rex confirmat. Datum per manus mag. Farcasii electi Albensis, aulae vicecancellarii.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VIII. 58.

DCCCXLV. *1263.* Bela IV. rex remunerat Herbordum filium Leustachii de Hethys de commitatu Simigiensi cum particula terae Udvornicorum de Hethys, quia in bello cum Ottokaro rege Bohemiae cernentibus ipso rege, Rolando palatino, Stephano bano totius Slavoniae, Henrico comite Simigiensi iudice curiae et coeteris baronibus, fuerat captivatus, in qua captivitate ei dimidiam aurem absciderunt et duos dentes extraxerunt.

Cod. dipl. patrius VII. p. 87.

DCCCXLVI. *1263.* Bela IV. rex notificat, quod cum rex Stephanus, filius ejus nato sibi primogenito duce Ladislao ad annunciandum gaudium destinasset ad eum Dominicum magistrum pincernarum suorum comitem de Zemlen, eidem Dominico in signum magni gaudii et in remunerationem servitiorum ejus contulit totam possessionem Ipoliti nepotis Mohor sine haerede decedentis, fecitque eum per hominem suum Cheleum de Gumba et per testimonium ecclesiae quinqueecclesiensis introduci. Cujus possessionis prima meta incipit ab oriente ubi terminatur terra Ponich, inde egreditur per Wlkou in longitudinem, tenet metam cum villa Hermani, vadit ad Asvanto et incipit tenere metam cum Crucigeris de Dubicza. Per eundem fluvium Wlkov versus orientem iuxta terram Chizar, dein per varias metas arboreas venit ad fluvium Ozuthna, qui dividit terram Chizar, Muthna vocatam, vadit ad caput unius fontis et tenet metas cum Cruciferis de Dobza, vadit ad quandam viam magnam. Per varias metas, planities virgulta venit ante villam Izow inde ad villam Burizlo. Tenet metas cum populis de villa Dubza (Dubica) et cum Cruciferis de Dubza. In meridie ad villam Borza, a parte terra Ipoliti; postea incipit tenere metam cum Gark et cum episcopo Boznensi, vadit ad fluvium Ilzva, tenet metam cum Thoma comite fratre Fyle praepositi. Inde cum populis de Gara, et per varias metas ad portum Lazar, et ad fluvium Koroug, ad magnum portum, ubi tenet metam cum Zotmar et cum Dionisio et pervenit ad fluvium Lazar et ibi terminatur. Datum per manus magistri Farcasii Zagrabiensis electi, aulae regiae vicecancellarii.

Ex actis e regni archivo ablatis per banum Khuen Hedervary N. R. A. Fasc. 1502. N. 9.

DCCCXLVII. *1263.* Bela IV. rex notificat, quod cum terram Hvalus de Guerche sine haerede decedentis, Kemenchke (Kamensko) vocatam, sitam in confinio, quam Stephanus bonae memoriae, Chak cognato suo contulerat, et ipso eandem terram relinquente, quidam Myrizlaus absque regia collatione occupaverat, fidelibus magistro Petro praeposito Chasmensi, et magistro Andreae fratri suo conferente, per Rolandum banum totius Slavoniae, mandasset assignari; idem banus litteris insinuaverit, quod aliis negotiis praepeditus miserit Fabyanum comitem Zagrabiensem, qui eandem terram praeposito et fratri Andreae, nullo contradicente statuit et tradidit. Prima meta terrarum incipit a Culpa ab oriente, et vadit per unam Mlakam latam versus occidentem, usque ad fluvium Brin iuxta terram castri Goriczensis; inde per metas terreas et silvam paludosam usque ad stratam publicam, quae vadit

de ecclesia S. Jacobi versus locum curiae Goricensis, et de loco curiae ad domum Tomyzlai, et per montes et valles et magnam sylvam transit ad fluvium Zalatnyk versus orientem, et cadit iterum in Culpam. Datum per manus magistri Farcasii Zagrabiensis ecclesiae electi, aulae vicecancellarii.

E transumpto capituli ecclesiae Zagrab. de a. 1463. ad petitionem Nicolai filii Thomae Rankoych dicti de Korana generationis Ztrelech In actis monasterii de Kamensko per banum Khuen-Hedervary e regni archivo ablatis. Fasc. I. N. 3.

DCCCXLVIII. *1263.* Bela IV. rex tradit terram Kemenche (Kamensko), quam Stephanus condam Chak banus cognato suo donaverat et certus Miroslaus occupaverat sine haerede decedentibus Hvalus de Goriche ac Ivano et Marco fratribus bani, filiis Vokovoj de Goricha propter militaria servitia sub Rolando bano praestita, fecitque illos per Fabianum comitem Zagr. introduci. Metae sicut in anterioribus documentis super Kamensko.

Ex actis monasterii de Kamensko per banum Khuen-Hedervary e regni archivo ablatis. Fasc. 1. N. 4.

DCCCXLIX. *1263.* Bela IV. rex notificat, quod cum Wolkey et Keremer filii Ratko de Garig, Borokon et Forkos nepotes eiusdem Ratki, magistrum Michaelem filium Simeonis ad praesentiam regiam evocassent, proposuerunt contra ipsum, quod terram ipsorum de Garigfeu quae Ratk felde nuncupatur detineret indebite occupatam. Michael vero magister ex adverso respondit, terram ex donatione regis possidere, super quo exhibuit privilegium regium in quo continebatur, quod filiis dicti Ratki homicidium perpetrantibus et se transferentibus de eadem, terra vacua remanserat, quam rex more praedialium contulerat dicto Michaeli propter quod filiis et nepotibus dicti Ratk perpetuum silentium impositum fuit.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 128.

DCCCL. *1263.* Bela IV. rex confirmat donationes factas monasterio de Abraam per Moys magistrum thavernicorum domini Belae ducis filii regis et comitis Simigiensis et Vorosdiensis una cum fratre eius Alexandro.

Fejer: Codex dipl. T. IV. vol. III. p. 121.

DCCCLI. *1263.* Stephanus rex iunior et dux Transilvaniae confirmat hospitibus in suburbio castri Walko privilegium patris sui Belae de a. 1244.

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. III. 153.

DCCCLII. *1263.* Stephanus junior rex Hung. et dux Transylvaniae notificat, quod pro fidelibus servitiis Michaelis filii Michaelis villam Borotk in comitatu de Wolko, que fuerat patris ejusdem, contulisset ei in perpetuum.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex regni archivo ablatis N. R. A. Fasc. 1502. N. 4.

DCCCLIII. *1263.* Capitulum Chasmensis ecclesiae significat, quod Martinus frater Mathaei, Petrus et Georgius filii Dyanae de Garig confessi sint, quod terram eorum emptitiam a Mykov et Mixe et a filiis Mikula pro undecim marcis comiti Ruh vendidissent; cujus prima meta incipit a fluvio Chasma

inde vadit per unam mlakam ad rivulum Poloziticha, inde cadit ad fluvium Zmick et per eundem iuxta terram Paulin cadit in fluvium Zalatinyk, vadit ad silvam Ravna et transiens fluvium Poloziticha cadit in Zaviam et revertitur per Chasmam. Iidem filii Dyanae vendiderunt unam suam vineam in terra castrensi iuxta vineam Hudinae, existente Herrico comite castri.

Cod. dipl. patrius VII. p. 89.

DCCCLIV. *1263.* Capitulum ecclesiae s. Petri de Posega declarat, quod Mark comes ex una parte, ab altera vero Cuech terram tenens dominae reginae constituti coram eo, idem Mark confessus sit terram suam quam de Dras comparaverat, pro eo quod dicta terra esset contigua terrae dicti Cheh, pro quinque marcis argenti vendidit, secundum estimationem nobilium Thomae filii Chepani, Halen terram tenentis, Georgii et Heliae vicecomitum de Posega. Meta incipit iuxta potok Skorin, per varias metas cadit in rivum Cohinich et in Scivinec potok vadit per valles et metas arboreas ad silvam Zaka ad priorem metam.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex regni archivo ablatis. N. R. A. Fasc. 1502. N. 5. Habet quoque Fejer: Cod. dipl. I. p. 264 et T. IV. vol. III. p. 180, et Wenzel: Cod. Arpad VI. 528.

DCCCLV. *1263.* Capitulum Bachiense notificat, quod Chepanus filius Choba de Vylok (Ilok) particulam terrae suae haereditariae nomine Vylok ad tria aratra sufficientem a parte Monasterii S. Spiritus de Wolko, vendidisset comiti Selthae pro decem marcis. Metae vadunt ad vallem Renencha (Ravanica) ad terram monasterii supradicti ad arborem Moghol etc.

Cod. dipl. patrius VI. p. 117.

DCCCLVI. *Apud urbem veterem. 1264.* Urbanus IV. papa confirmat Robertum subdiaconum suum cantorem ecclesiae de Posega dioec. Quinqueecclesiensis et capellanum episcopi Prenestini et ap. Legati Stephani, in archidiaconum de Wlco, quod officium tenebat Tymothaeus tunc electus episcopus Zagrabiensis promotionis suae tempore.

Theiner: Mon. vet. Hung. I. 258.

DCCCLVII. In alio brevi de eodem dato mandat Urbanus IV. episcopo Wesprimiensi ut eundem Robertum in possessionem dicti archidiaconatus inducat.

Theiner: Mon. vet. Hung. I. p. 160.

DCCCLVIII. *Apud urbem veterem. 1264. 16. Jan.* Urbanus IV. papa ad petitionem Eventii presbiteri canonici Zagrabiensis, quod cum ipse papa Stephano episcopo Prenestrino concesserit jus conferendi beneficia ecclesiastica, personatus et dignitates, illas quas Timothaeus episcopus Zagrabiensis tempore suae promotionis in regno Ungariae optinebat et dictus episcopus Prenestrinus has dignitates una cum canonicatu domibus, curia etc. eidem Eventio tradiderit, eundemque per suum annulum investivit, hoc factum ratum habet.

Theiner: Mon. vet. Hung. p. 260.

DCCCLIX. *Apud urbem veterem. 1264. 16. Januarii.* Urbanus IV. papa mandat archiepiscopo Colocensi et abbati de Toplica cisterciensis ordinis Zagrab. dioecesis, ut Eventium canonicum Zagrab. et capellanum S. episcopi Praenestini in possessionem canonicatus, prebendae, domorum, iurium, pertinentiarum auctoritate pontificali inducant.

Theiner: Mon. vet. Hung. I. 261.

DCCCLX. *Apud urbem veterem. 1264. 18. Jan.* Urbanus IV. papa mandat praeposito et capitulo Zagrabiensi, quod cum fratrem Timothaeum archidiaconum de Zala in ecclesia Vesprimiensi, subdiaconum et capellanum suum, praefecerit in episcopum et pastorem ecclesiae Zagrabiensis, cuius nuntii et procuratores quos ad eandem ecclesiam destinaverat, ut in absentia illius curam gerent ecclesiae praedictae, non fuerant admissi; quatenus ei tamquam pastori sui obedientiam debitam impendant et fratri Gvalterio poenitentiario et capellano Pontificis, cui idem episcopus et ipse papa ad ipsius beneplacitum curam ecclesiae commiserit, auxilium et favorem praestent.

Theiner: Mon. vet. Hung. I. 262.

DCCCLXI. *Apud urbem veterem. 1264. 23. Januarii.* Urbanus IV. papa fratri Gualtero de ordine fratrum minorum poenitentiario, capellano et nuntio suo episcopatum Zagrabiensem in spiritualibus et temporalibus, usque beneplacitum Timothei episcopi, administrandi potestatem tribuit.

Farlati V. p. 373. — Theiner: Mon. vet. Hung. I. p. 262.

DCCCLXII. *Apud urbem veterem 1264. 11. Martii.* Urbanus IV. papa confirmat Joanni archidiacono Jauriensi capellano suo et nepoti Stephani episcopi Praenestini collatum ei per eundem episcopum autoritate sedis apostolicae archidiaconatum Zaladiensem nec non canonicatum et praebendam quos Timothaeus episcopus Zagrabiensis promotionis suae tempore in Wesprimiensi ecclesia tenebat.

Theiner: Mon. vet. Hung. T. I. p. 263.

DCCCLXIII. *In insula de* **Bichich**. *1264. 15. Martii.* Michael comes de Sana notum facit, quod de mandato regis medietatem terrae de Krala, sicut eam Pribislaus comes tenuit in vita sua, abbati de Toplica, per fratrem Desiderium monachum suum assignasset in praesentia episcopi Ladislavi ea libertate qua dictus Pribislaus eam tenuit, et ibidem pro voluntate sua grangiam aedificandam. Pristaldus Jacobus comes curialis de Bichich.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 128.

DCCCLXIV. *Apud urbem veterem. 1264. 18. Martii.* Urbanus IV. papa Urbatio praeposito de Posega et nepoti episcopi Praenestini (ap. legati) canonicatum in ecclesia Paduana, addicit.

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. III. p. 229.

DCCCLXV. *In insula:* **S. Maria in insula.** *1264. 28. Maii.* Philippus archiepiscopus Strigoniensis et Schmaragdus colocensis, Rolandus banus totius Slavoniae, magister Mauritius tavarnicorum regis, Ladislaus woywoda Transylvanie, magister Baas judex curiae, judices ab utrisque regibus pro

utilitate regni deputati significant, quod piscinam ecclesiae Budensis Chechtov, portui Zintha adiacentem, decreverint restitui praedicte ecclesiae.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. cont. III. p. 106.

DCCCLXVI. *Apud urbem veterem. 1264. 15. Julii.* Urbanus IV. papa insinuat priori provinciali fratrum Praedicatorum in Hungaria, quod ad petitionem Mariae reginae et Belae regis, cum dicta regina propter timorem de Tartarica feritate conceptum, transiens una cum rege ad partes maritimas, nobilibus suis in gravi necessitate positis compatiens, pro sustentatione ipsorum, de suis parafarnalibus bonis non modicam expendit quantitatem. Demum vero idem rex huiusmodi pietatis opus clementer attendens, castrum de Posega ad eum pertinens in ducatu Slavoniae constitutum, accedente ad id consensu filii sui Stephani regis primogeniti, ac Belae Ducis Slavoniae nati regis et reginae, praefatae reginae liberaliter donavit. Quapropter non obstantibus constitutionibus contrariis, pontifex eandem donationem ratificavit et confirmavit, dictoque priori mandavit quatenus dictam reginam non permittat contra confirmationis huiusmodi tenorem ab aliquibus indebite molestari.

Theiner: Mon. vet. hist Hung. T. I. p. 272.

DCCCLXVII. *Apud urbem veterem. 15. Julii 1264.* Urbanus IV. papa confirmat Belae duci totius Slavoniae, Belae regis filio, possessionem castrorum de Baragna, Wulco, Simigio, Zala et Olcha cum iuribus et pertinentiis eorundem, nec non in salibus aquaticis ad ducatum eius Slavonie pertinentibus. Item iniungit episcopo Wesprimiensi quatenus ducem non permittat super praemissis ab aliquibus indebite molestari.

Theiner: Mon. vet. Hung. I. 273.

DCCCLXVIII. *Apud urbem veterem. 1264. 15. Julii.* Urbanus IV. papa ad petitionem nobilis mulieris Agnetis viduae ducissae Galliciae, de Bosna et de Mazo dominae, ac nobilium virorum Michaelis et Belae filiorum eiusdem, quod rex Bela, pater ipsius ducissae, quondam Radozlao duci Galliciae viro suo, ac ipsi ducissae quasdam terras et possessiones Belin et de S. Demetrio contulisset, obtenta etiam petitione praefati regis et Mariae reginae, matris ipsius ducissae, eisdem ducissae et filiis praedictas possesiones auctoritate apostolica duxit confirmandas. Quocirca mandat priori provinciali fratrum Praedicatorum de Hungaria quatenus praefatos ab aliquibus molestari nullatenus permittat.

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. III. p. 235. Theiner: Mon. vet. I. 273.

DCCCLXIX. *1264. 25. Augusti.* Bela IV. rex notificat, quod comes Leustachius filius Vyd de Copulch exhibuit litteras magistri Nicolai comitis de Kemnuk in quibus refert regi, quod Preznicham (Breznicam) terram castri Kemnuk, quam praecepit statuere Leustachio, eandem una cum jobagionibus Buduoy, Petus, Zolat, Woyn et Bark ac Martino filio Vatasa, Martinoque comite terrestri et populis super ipsa terra residentibus, videlicet sex mansionibus, reambulavit et assignavit dicto Leustachio. Eiusdem terrae in comitatu de Kemnuk prima meta incipit ab ortu solis a supercilio montis ubi est arbor sorbelli, inde cadit in vallem et venit ad piscinam Jonae comitis (Junk? comitis). Inde cadit in fluvium Preznicha ubi est pons et portus.

Inde per varias metas venit ad montem in occidente ubi est via et per illam in aliam viam ad terram generationis Hudyzlai. Inde venit ad magnam viam et cadit in praedictum fluvium ubi est portus. Exiens ad orientem in montem et declinat contra meridiem procedens ad primam metam. Rex itaque servitia ipsius Leustachii quae ei una cum Rolando bano totius Slavoniae inpendisset, dictam terram Preznicha eo maxime, quia idem Leustachius ipsi castro utilis habebatur, confirmavit possidendam.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 129.

DCCCLXX. *1264. 12. Octobris.* Bela IV. rex tradit memoriae, quod cum multitudo inestimabilis rabidae gentis Thartaricae per climata totius eius regni perfusae severrissime ulciscendo fuisset, et regem cum fidis primatibus et nobilibus suis extra monarchiam suam, usque ad littora pontus acrissime persequendo, ipse rex in quandam maritimam insulam Veglae contiguam repellendo coerguisset, de qua etiam vi extrahere satagentes eum per varia naufragia et derivativa ingenia bellica in regem et exercitum irruere et caput ejus regium truncari aut in miserabile iugum paganissimum traducere connasset, ubi in quodam turbinoso invasionis afflictu, rege hinc inde trepide dilatendo, circumquoque multitudine pugnatorum gentium ipsorum Tartarorum obsessus, in universis novis insultibus, asperrimis jaculis, crudelium verberum ictibus afficiendo, gladiis feriunt turmas regis, sagitas lanceasque suas inebriant sanguine occissorum, undique rex ut muro obstructus, aut piscis in guttro comprehensa, incommodissimis verberibus strictissime afflictus, ut nec antea procedere nec fugae locum habere poterat. Ubi inter milites regis et ipsos Tartaros, servato intervallo, nostrorum funera plusquam ultimum capitis regii exterminium alta ad dominum intensius suspiria fundebat, iam preceps praecipitus terribilem necem in momento expectabat. Tunc pater misericordiarum dignatus est ex excelso angulo suo et quasi de nube Olimpi mittere tres indolis virilis juvenes Kres (Krez) videlicet, Cupissa et Rak de Sirmio oriundos, cum triginta octo fortissimis pugnatorum fratribus et consanguineis suis, a rege nec postulati nec stipendiario salario appreciati, qui se contra asperrima agmina in pugna Tartarorum militari brachio viriliter contulerunt pugnaturos, caput regium eliberando, hinc inde per acies et propagulos ipsos Tartaros in ore ensium feritando. Ubi acies fortiorum pugnatorum persenserunt, illac se ferventius contulerunt pugnaturi. Banderium regium in giro fidelium aulicorum trepide tenentium feliciter reservando. Interea unum mirabilem artificem prae omnibus fortiorem et acriorem, diligenti habito clanculo, praedictus Krez tenso suo arcu, sua acutissima sagitta, simul ambos suos effixit oculos et coram regiis oculis vivum in carinam proiecit maris. Rursus in alios sequaces et pugnatores audacius insultando et eosdem illac et istac ut iumenta in ore gladiorum subtus pedes eorum in terram calcando, per littora pontus transpassim trucidando, illico resumptis viribus ad refulciendum et corroborandum animum regium, cum universis primatibus et aliis gentibus, alacrius iterum in ipsos Tartaros asperrime ut imber pluviarum irruendo et eosdem translatius ut flamen exordio voraginis trans litus et ultra usque fluvium Kerka et ad Brescha (Brezcza) transparsius sunt transfugati. Unde dicti Krez, Cupissa et Rak tanta regi et regno fidelissima exhibuerunt obsequia, quantum caput regium praevalebat. Ipsi quoque non parva ad ca-

pita et humeros eorum laetalia tulerunt vulnera et viginti quinque fratres et proximos vita miserunt exutos. Rex igitur illos in veros et illibatos nobiles et aulicos regales nominando, eis quasdam spatiosas terras regales, unam contiguam terrae monasterii in Thopolzka, aliam in contiguitate terrae generationis Sallach, reliquam in contiguitate terrae generationis de Resnyk (in conf. dipl. Dresnyk), omnes in comitatu Zagrab. sitas, eosque per Farcassium praepositem albensem et vicecancellarium introduci fecit. Pro quibus terris debuerunt titulo servitii regii tempore generalis regni exercitus tres equites faretrarios in propriis sumptibus ad quindecim dies sub regium banderium parare, transactis autem diebus, usuali stipendario salario famulari debeant. Decimas consuetas monasterio B. M. V. in Thopolzka solvere tenebunt. Iudicia et causas iustitiarias in sede comitatus Zagr. ad instar aliorum nobilium observare tenentur. Alias universas causas eorum territorii in eorum sede iudicare poterunt. Datum per manus magistri Farcasii, Albensis praepositi et aulae vicecancellarii.

Idem diploma confirmatum per reges Ludovicum I. a 1364, Vladislaum IV. a. 1499. Ludovicum II. a. 1519. Ferdinandum I. a. 1548. Maximilianum II. a. 1571. et Rudolphum II. a. 1583. In archivo communitatis Draganić et Krašić. Conservatur etiam in archivo comitum Erdödy.

DCCCLXXI. **Tragurii.** *1264. 19. Oct.* Tempore Columbani Tragur. episc., Rolandi comitis et totius Slavoniae bani, Valentini de Kasariz et Lucae Petri iudicum Tragurii. Praemissis literis Urbani IV. papae de dato 8. Januarii ad Columbanum episcopum, quibus ei facultatem tribuit vendendi fratrum minorum illa bona quae eis Desa Lucae legavit, et de precio quod ex eis provenerit aliquem locum guardiano et fratribus aptum emendi; supradictus Columbanus episcopus viso tenore dictarum litterarum et testamenti dicti Desae, de consensu etiam procuratorum bonorum dicti Desae et de assensu fratris Rainerii gvardiani loci Traguriensis ord. min. vendidit dicta bona Valentino et Cebbri filiis quondam Petri Lucae. Fuerunt autem terrae et vineae istae: In primis terra et vinea Vulcotta quae est 14 vreten., posita supra S. Martam prope terram haeredum Mariae de Cegha. Item terra ad Arcam 7 vretenorum prope terram Stane Munnii ab occidente, et terra de Crisize 22 vretenorum prope terram Marini et Ivi Valentini. Item terra prope terram Helenae de Veriticis quae est 20 vretenorum et prope terram Marini comitis. Item terram ad S. Mariam de Spilliano 18 vreten. prope terram Georgii Ucegha, Reciza 20 vreten. prope terram quondam d. Berzazziae. Item Stanice 10 vreten., Sabice et terra ad s. Georgium quae sunt 6 vretenorum. Item terra prope s. Stephanum de Campo 6 vreten. et alia prope s. Laurentium de Campo $2^1/_2$ vreten. Item terra ad Carban 7 vreten. prope terram monasterii s. Johannis. Terra ad s. Stephanum super s. Stephanum prope terram Bastiani 2 vreten. Terra de valle s. Danielis 11 vreten. prope terram s. Barbarae. Terra ad s. Mariam de Esverize prope terram Petri Graciae 2 vret. Terra super Belanzane prope terram Sabbazoli 4 vret. Terra ad Kertinum prope terram quondam Nusmari quae est Nuvalentini 5 vreten. et alia ad Kertine prope terram Dobromiri Sechene 4 vreten. Terrae ad Belanzana prope terram comitis Marislavae Thomae, ad Schernipole, quae est cum alia Cebbri de Kasarize. Item pastinus ad Reciza prope vineam Nicolae Kalendae 20 vreten. Et pastinus

Dragossii et Nicolae et Marintii ad Lecchovin prope vineam Cerni Colocte. Item vinea ad Loquize et aliae vineae prope Eliam Cebbri et comitem Marini. Item domus in Tragurio prope domum Georgii de Cegha, item locus sive paratinea prope domum Crome. Item 280 pecudes. Quae quidem omnia precio mille sexcentarum librarum venetorum parvulorum venditae sunt. — Praesentibus testibus Jacobo archidiacono, Gervasio primicerio Tragur. Jannicha Casiocti, Duimo de Cegha, Donato Soladini, Nicola Jacobi et Bertanno Marini. Silvester de Urso examinator manum misit. Bonaventura Petri civis anconitanus notarius communis Tragurii scripsit.

Farlati: Illyr. Sacr. T. IV. p. 347.

DCCCLXXII. **Prelog.** *1264. 6. Decembris.* R(olandus) banus totius Slavoniae significat, quod cum comes Mogek jobagio castri Zaladiensis cum fratribus suis Symone, Jacobo et Egydio, Lanceredum comitem filium Buzad coram Bela rege super terra Tornava et Dravamuracuz sita convenissent, et idem rex ad examinationem bani fine debito decidendam transmisisset, ut de more et consuetudine regni Slavoniae approbata facere debebat. Idem banus hominem suum Gregorium de Zynussa (Svinuša) pro pristaldo eidem Mogek ex fratribus ad citandum Lanceredum ad bani praesentiam, transmittendum duxit. Verum cum partes coram eo constitutae fuissent, confessus est Lanceredus antequam in formam judicii procederent, terram Tornava haereditariam esse Mogek comitis et patrum suorum. Unde auditis partium propositionibus banus pristaldum suum Gregorium ad limitandam et secernendam terram exmisit. Cuius terrae Tornavae prima meta incipit a flumine Zaratka ubi sunt duae metae una Laurentii, altera comitis Mogek et fratrum. Hinc iuxta magnam viam iterum duae metae dictorum. Hinc ad secundam et tertiam magnam viam. Hinc ad aquam Ternava et per ipsum fluvium per longum venit ad metas antiquas, quarum una Laurentii alia Mogek et fratrum. In oriente venit ad terram comitis Lanceredi, hinc ad unum stagnum Churna malaca vocatum, reflectitur ad aquam Tornava et venit ad terram Lexa. Per varias metas eundo venit ad fluvium Zaratka et terminatur.

Originalis pergamena in collectione musaei nationalis Zagrabiae. Donata per d. jurassorem Kovachoczy.

DCCCLXXIII. *1264. 23. Decembris.* Bela IV. rex ad postulationem magistri Tyburcii, concedit illi cum liberorum solatio careat de omnibus rebus et possessionibus suis facultatem ordinandi et dandi cuicunque velluerit exceptis duntaxat Cruciferis. Datum per manus magistri Pauli electi Albensis aulae reg. vicecanceliarii.

Ex actis monasterii de Garić. Fasc. I. N. 2, per banum Khuen-Hedervary e regni archivo ablatis.

DCCCLXXIV. *1264.* Stephanus iunior rex Ung., dux Transilvaniae et dominus Cumanorum, confert comiti Hazos, qui a primaevis aetatis suae temporibus in multis et diversis articulis ei fideliter serviverit, terram Nazwod, ad quam reumbulandam exmisit Both maiorem exercitus castri de Walko.

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. III. p. 202.

DCCCLXXV. *1264.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis significat, quod constitutis in eius praesentia ab una parte Jacov et Stephk filiis Cheral, et ab altera Ladicha comite pro se et Stephano fratre suo, iidem Jakov et Stepkh confessi sint, terram eorum Colovrat iuxta terram Ladichae comitis sitam eidem comiti et fratri suo vendidisse pro undecim marcis. Huic venditioni astiterunt consanguinei venditorum: Sebule, Obrad et Osko approbantes venditionem. Meta terrae incipit in radice rivi Slotina ubi cadit in Culpam, venit ad locum Siget et Birch et Slotvas.

Ex originali in pergam. in archivo comitis Lud. Blagaj N. 3.

DCCCLXXVI. *1264.* Capitulum ecclesiae Chasmensis signific t, quod constituti ab una parte Petrus filius Petri ab altera vero Thomas filius Thomae de Monozlov pro se et patre suo Stephano, qui Petrus confessus est, quod de terra ipsius Thomae Hrastavicha vocata, unam particulam, ad mortem duorum hominum videlicet Neschen et filii Dragus, item vulnus unius hominis et destructionem unius villae, ab ipso Thoma et fratre Stephano requisivisset, qui tandem ad compositionem pacis devenerunt, quod ipse Thoma cum suo fratre pro ipsa terra requisita, quod sua sit juravisset, et sic sibi et fratri suo eam justificasset jure perpetuo possidendam; sed pro morte duorum hominum et vulnere unius et destructione villae Thomas ipsi Petro persolvit viginti marcas minus una.

Cod. dipl. patrius VII. 93. Ex actis comit. Erdödy.

DCCCLXXVII. *1264.* Capitulum ecclesiae Chasmensis significat, quod Nedulk filius Tholomeri praedialis de Guerzence pro se et fratre suo Horvatin cum curiali comite suo Marcello et cum conpraedialibus suis rogavit eos, quod terras ipsius certis metis separatas a vicinis, inseri suo privilegio facerent, quia iidem praediales dicebant, quod quamvis ipsi filii Tholomeri, eodem quo et ipsi gaudeant privilegio libertatis, tamen cum aliis privilegium regis accipere non potuissent impediti aetate pupilari, pro quorum iustis petitionibus miserunt magistrum Gregorium concanicum suum qui metas quiete erectas tales esse dixit: Prima incipit in vicinatione Demetrii filii Deme in fluvio Prebin, versus occidentem intrat in fluvium Kuttina et superius intrat in minorem Kutinam, per quam venit ad terras Johannis et Demetrii comitis, abhinc in vallem et versus aquilonem ad metam in Horh tendit ad montem intrat in fluvium Prebin, inde ad priorem.

Cod. dipl. patrius VII. p. 92.

DCCCLXXVIII. *1264.* Capitulum Chasmensis ecclesiae significat, quod Wlcheta filius N. ab una parte ab altera vero Voynich et Chuerk filius Woyn jobagiones castri de Garig confessi sint: quod unam particulam terrae pro quinque marcis jam acceptis eidem Wlchetae vendidissent, cuius meta incipit ab oriente juxta nemus ubi est arbor egur inde declinat ad magnam viam, inde ad meridiem et venit ad fluvium Platerni ad metam ubi vicinatur terris Drugon et Iwan, inde ad partem occidentalem et per eundem Platerni cadit in Chasmam ibi vicinatur terrae magistri Moys.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VII. p. 108.

DCCCLXXIX. *1264.* Capitulum Chasmensis ecclesiae significat, quod constituti ab una parte Nicolaus gener Bogdan ab altera Elias filius Bogdan pro

se et fratribus suis, Urbano, Isep, Benedicto et Endrey, qui Nicolaus confessus est, quod terram suam in Garig, cum qua idem Bogdan socer suus filiam suam dotaverat, ipsi Elyae et fratribus pro septem marcis vendiderit, cujus terrae meta incipit in vicinatione Stepk iuxta rivum Bachyn, inde in parva valle ascendit ad magnam viam per quam ad septemtrionem tendit versus ecclesiam s. Jacobi in magno spacio, descendit in sicca valle in Lipouch, descendit iterum in vallem Istermechaga, inde ascendit in berch per vineas et valles cadit in Bachyn et revertitur.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VIII. p. 109.

DCCCLXXX. *1264.* Capitulum ecclesiae b. Petri de Posaga memoriae commendat, quod Nicolaus filius Dezyslay ab una parte ab alia autem Mathias frater Zauydae de genere Borych bani constituti coram illo, tale cambium inivissent, quod praefatus Mathias, frater Zauide, terram suam Podwrs vicinam terrae dicti Nicolai dederit eidem Nicolao et eius successoribus perpetuo possidendam. Cuius terrae prima meta incipit ab oriente a fluvio Hodal iuxta terram Nicolai et vadit per magnam viam et incidit in fluvium Lezkov, per quem ascendit versus aquilonem et pervenit ad duas metas ad quoddam berch et descendit ad vallem in fluvium Zqworch et per eundem supra mansionem Wolkaz exit ad meridiem, et descendit ad rivum Dolboka et per eundem rivum est contigua ipsa terra Podwrs. E converso dedit terram suam Proucha conterminam dicti Matthiae, cuius terrae meta incipit in fluvio Proucha et vadit per unam viam versus orientem ad aliam viam veterem quae declinat versus meridiem, et tendit ad unum puteum. Insuper Nicolaus addidit Mathiae decem novas marcas.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VIII. 113.

DCCCLXXXI. *1264.* Moys comes Symigiensis et de Worosdino significat, quod Woyn filius Cherna de Bahcha jobagio castri de Podgora pro se et fratre suo Orascynch, Volkona filius Halapsa, Petina filius Belizlaw pro se et Muzina filius Zlauetich, Dobrona filius Stanizlav pro se et fratribus suis, Scausa, Dubrislav et Kodizlav, Zlobnich filius Herenk pro se et Crysan fratre suo, Rados filius Widona pro se et Wlchank filio suo, Durink filius Wechedrag pro se et Draguan filio Raduna et pro Ladizlao filio Puezygoy, ab altera autem parte Ladizlaus filius Raduzlav pro se et patre et fratribus suis, Bogdano, Dragus et Voyn, astantes coram dicto comite terram suam Zazvoba confessi sint se vendidisse praedicto Ladizlao et fratribus ejus pro quindecim marcis. Introduxit ejus et conscripsit metas Herbertus comes de Podgoria. Prima incipit de fluvio Toplica, vadit ad magnam viam, inde versus occidentem ad parvam viam, transit fluvium Syn, vicinatur terrae Micos filii Cherne, tendit versus aquilonem ad Berek, venit ad magnam viam, vicinatur terrae Woyn et eundo per viam ad orientem terrae Pryba filii Priba. Transiens viam ad montem Vydunae, deinde ad fluvium Rascha et ad Toplicha ubi vicinatur terrae comitis Alexandri et terminatur.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis N. R. A. Fasc. 441. N. 12.

DCCCLXXXII. *1264.* Erney villicus, Fridericus, Marcellus, Laztissa ac omnes hospites liberae villae de Dobicha significant, quod cum ex omni favore Colomani Dei gratia ducis totius Slavoniae, Croatiae et Dalmatiae, ad

terram Dubichensem quam tenore sui privilegii eis irrevocabiliter stabilivit, liberaliter fuissent congregati. Idem dux Colomanus ductus misericordia spirituali, eos rogavit, ut Heremitis viris religiosis locum in terris suis concederent congregandi, unde ad instantiam et praeceptum ducis contulerunt quandam particulam in terra sua, ubi vivere valeant, cuius terrae cursus talis est: ab oriente incipit super ponte Bychcha in via magna per quam ascendendo iuxta silvam vadit in ecclesiam s. Dominici in qua suas orationes solvere deo consueverunt, abhinc supra montem ubi silva finitur, et per viam versus occidentem et aquilonem ad caput cuiusdam aquae eruptionis, deinde per cursum aquae currentis in fossato, venit usque nemus Chereth et recurrit ad pontem Boychcha (sic) supra nominatum.

Hanc donationem confirmavit Stephanus rex 1270. et Ludovicus I. rex. Anno 1364 et 1362. Ex actis monasterii Paulinorum de Dubica, per banum Khuen-Hedervary e regni archivo ablatis. Fasc. 6. N. 4.

DCCCLXXXIII. *1265. 14. Januarii.* Bela IV. rex memoriae commendat, quod cum inter Mark, Jurusam et Myrozlaum comites de Ryuche (Rovišće) ab una parte, et praediales liberos Hungaros videlicet et jobagiones castri de Ryuche ex altera super denariis descensualibus comiti parochiali debendis, frequens discordia suscitata fuisset, rex finem litibus imponere cupiens, mediante patre Philippo archiepiscopo Strigoniensi, aulae cancellario, cui status et libertas terrae Ryuche plenius constabat ab antiquo, taliter sententialiter ordinavit: ut vigintiquinque praediales supradicti tantundem solvere teneantur ratione descensus ipsis comitibus de Ryuche, quantum tunc solvebant cum fuerunt sexaginta praediales, videlicet septem marcas, sicuti in priori regis privilegio continetur, nec aliquatenus ad maiorem solutionem per comites compellantur non obstantibus litteris si quas eisdem comitibus medio tempore secundum tenorem libertatum praedialium de Garig concessit rex. Caeterum super indebitis citationibus et iudiciis, quibus se dicebant aggravari, taliter decrevimus ut praedicti comites vel sui officiales, memoratos praediales et jobagiones castri nec non populos eorundem in illis casibus in quibus iidem coram comitibus parochialibus astare ...... non debeant, nec valeant iudicare nisi associato sibi uno de tribus nobilibus Slavoniae, Incone videlicet comite filio Izaak, vel Farcasio filio Tolomeri aut Stephano filio Belus bani, nec sine testimonio capituli vel loci conventualis iidem praediales et eorum populi citari valeant ad praesentiam comitum praedictorum. Datum per manus magistri Farcasii electi in praepositum Albensem? et aulae vicecancellarii.

Ex transumpto Ludovici I. regis de a. 1380. 26. Junii extradatum ad petitum Andreae filii Dragoch jupani, Petri filii Iwan, Petrizlai filii Mark et Gregorii filii Fabiani Nobilium jobagionum castri de Ryuche. Wenzel: Ex archivo camerali Budensi. Cod. dipl. Arpad VIII. 124.

DCCCLXXXIV. **Jaderae.** *1265. 11. Februarii.* Temporibus Rainerii Genii ducis Venetiarum et magistri Laurentii Jadrensis archiepiscopi ac Jacobi Quirini comitis. Vitha uxor quondam Versinge habitans Jadrae facit manifestum, quod pro redemptione animae suae, mariti et filii sui donaverit ecclesiae s. Nicolai de Jadra duas suas vineas positas in Monte Ferreo et ad rivum super terram archiepisc. cum omnibus aliis suis bonis mobilibus et immobilibus. Testes fuerunt Bartha filius quondam Jurislavi de Stepe et Prode

filius Petri dicti Cecon. Lampridius de Nicola examinator manum misit. Vincentius s. Mariae majoris clericus Jadr. notarius scripsit.

Orig. membr. in mea antiqua collectione inter miscellanea Dalmatica.

DCCCLXXXV. *1265. 17. Februarii.* Bela IV. rex notificat, quod accedens ad eius praesentiam Zobuzlo (Sebislav) de villa Chicher supplicavit, ut quandam particulam terrae de terra Chicher excisam, sine haerede Mikae decedentis, proximi scilicet sui, a quo eandem, secundum regni consuetudinem ad se et suos proximos devolutam fore asseruit, sibi confirmare dignaretur. Quam terram cum sylvis pratis et fluvio Latorza olim Colomanus rex condam Johanni Fridriae Prurentis (?) scilicet Andreae, Franta dicti, proavo dicti Zubuzlo donavit. Rex igitur petitioni consensum praebens, dictam terram eidem Zubuzlo et per eum Laurentio, Simoni et Lorando proximis suis duxit de novo conferendam. — Dedit itaque Gregorio comiti de Ungh (Ugra) in mandatis ut praefatam terram praefatis statueret, et eandem reambularet. Cujus terrae prima meta incipit a septemtrione iuxta aquam Vincetresso (?) et currit ad cacumen montis hegy Fuck, inde ad meridiem ad locum Matra molve. Inde per longum spatium ad angulum sylvae quae vocatur Labor heg et currit ad aquam Martin pataka. Inde ad locum ubi rivulus Chraztha triplicatur. Ab hinc usque ad stagnum melly (mali) Mochar ad quod aqua defluit tempore inundationis de Buszna turinnye supra quoddam fossatum iuxta ripam aquae Latorza, abhinc usque ad terras Bis et sic terminatur.

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. III. p. 267.

DCCCLXXXVI. Venetiis. *1265. 20. Februarii.* Capta fuit pars in consilio maiori quod teneatur terra Almesii secundum illum modum et ordinem qui videbitur d. Duci et sapientibus hominibus de consilio.

Ljubić: Mon. I. 100.

DCCCLXXXVII. Zelin. *1265. 28. Febr.* Rolandus banus totius Slavoniae declarat, quod Mirozlaus filius Stephani de genere Endre, una cum Mykula filio Nicolai, Mikus et Stephano fratribus eiusdem petierunt, ut litteras privilegiales capituli Zagr. super vendita terra 25 veretenorum confectas ipsi Mirozlao confirmaret, quorum supplicationi Lucach et fratres sui, filii Endre, Goryna, Ladizlaus filius Gemzyna, Stepko, Preda, Radus filius Georgii, Bork, Zlavina ac caeteri jobagiones castri Zagrabiensis cum suis proximis et generatione, vicini et commetanei, praesentes plenum consensum praebuerunt. Tenor autem litterarum capituli fuit, quod Mycula filius Nicolai, Mirozlao filio Stephani de genere Endre, terram suam in Herchen contingentem, ad viginti quinque veretenos sitam iuxta Scyna mlakam pro 25 pensis vendiderit in perpetuum. Per manus magistri Michaelis lectoris.

Ex actis per banum Khuen-Hederváry ex regni archivo ablatis. N. R. A. Fasc. 135. N. 21.

DCCCLXXXVIII. *1265. 6. Martii.* Temporibus .... ducis Venetiarum, magistri Laurentii archiepiscopi Jadrensis et Antonii Superantii comitis, Buna relicta quondam Pelegrini de Dragogna cum suis haeredibus, de voluntate suae matris Bossae, vendit Nicolao de Matafaro quoddam terrenum suum in confinio Gomellicae pro 12 libris ducatorum venetorum parvorum. Testes

Bukche de Petrigna et Martinus Spavrafei. N. de Matafaris examinator subscripsit. Cenerius Alexii Jadrensis notarius scripsit.

Transumptum in mea collectione.

DCCCLXXXIX. **Ragusii.** *1265. 7. Aprilis.* Cum nobiles viri Micha Madii et Michael Leonardi ambasciatores et nuntii speciales Spalatenses Ragusium accessissent et coram Johanne Quirino comite Ragusii et suis iudicibus et consiliariis se presentassent, facta salutatione, petierunt ut dimittant homines qui sunt capti per eos cum suis rebus. Habito consilio electi sunt quatuor nobiles Theoporus Bobaciae, Petrus Bogdani, Volcassius Johannis et Serssius Clementis cum quibus dicti nuntii pacem et concordiam tractare debeant, nomine totius communitatis Spalat. cuius cartam procurationis ostenderunt. Conventiones pacis haec fuerunt: Capti homines Spalat. libere cum barcussis dimissi. Utrumque commune convenire debuit in stagnum seu stanicum in medio loco qui dicitur Prevlack ad medium mensem Octobris, et pro qualibet parte tres judices, aut plus aut minus secundum voluntatem, qui jurare debebunt, quod fideliter audire velint omnes contentiones, aut quaestiones atque discordias utriusque partis et ea sanare atque diffinire, et si concordare non possent archiepiscopi utriusque communis habent illud placitum diffinire. Si archiepiscopi impediti essent, eligere debeant novos judices, et si non possent concordare in electione eligantur in medio per sortes. Testes fuerunt Mathias Balaziae, Domitrius Menzii, Andreas Benesse et Domianus Gondolae jurati judices; presbyter Petrus, Ragusii notarius scripsit.

Ljubić: Mon. I. p. 100.

DCCCXC. *1265. 25. Maii.* Bela IV. rex manifestat, quod cum Carachinus comes Crisiensis quandam particulam terrae ultra Dravam in Koruska existentem, super qua Pousa et Wlche residebant, nomine vacuae terrae castri de Kemnuk petivisset sibi dari, magister Thomas notarius regis specialis et Johannes frater ejus exhibuerunt privilegium regis super collatione terrae Bolysk jobagionis castri praedicti, cuius terram eodem Bolisk sine haerede decedente ad manus regias devolutam, praedictis magistro Thomae et Johanni ac patribus ipsorum dederat rex, quae igitur terra quam praefatus comes Charachinus dari sibi postulaverat, non esset terra castri de Kemnuk sed semper fuerat antedicti Bolysk; rex igitur collationem suam terrae Bolysk de novo confirmat Thomae et fratribus, revocans eam ab eodem comite.

Orig. perg. in mea collectione.

DCCCXCI. *In* **Culpatu.** *1265. 24. Junii.* Rolandus banus totius Slavoniae declarat, quod cum dominus rex de liberis hominibus et de jobagionibus castri de Ryvche viginti quinque praediales exclusis aliis in eodem comitatu constituisset et singulis eorum portionem suam in terris cum suis utilitatibus et metis per suas litteras assignare iniunxisset, ipse banus ne iidem praediales in posterum per comites de Rivche in suis juribus impetantur, vice sua Chrachinum comitem Crisiensem cum magistro Paulo canonico Chasmensi ad distinguendas metas transmisit. Qui redeuntes inter caetera metas portionis Bensae filii Nicolai inter dictos 25 praediales nominati retulerunt se taliter distinxisse et statuisse, cui etiam Jurse et Gregorius pro patre suo Marco, comites et jobagiones castrenses de Rivche in nullo contradixerunt

imo approbarunt. Quarum metarum prima incipit in fluvio Conzka procedit ad terram Wydos et ad viam, per longum spacium commetatur terrae Pangratii comitis, venit ad caput Dobouch sicci, ibique incipit tenere metas cum Prelsa comite, cadit in fluvium Clokochevech per quem exit ad magnam viam de domo Prelsae comitis, in qua itur ad Riuche ibi commetatur terrae castrensis in eadem via ad occidentem vadit in magno spatio per metas terreas et arboreas ad metam iuxta viam ubi commetatur terrae Laurentii. Inde ad occidentem transit per Mlakam in fluvium Konzka et vadit ad primam. Idem Bensa et sui consortes liberi praediales liberam habent etiam facultatem quemcunque voluerint ad suam portionem recipiendi, nec comites de Riuche ipsos poterunt in hoc prohibere.

Cod dipl. patrius VII. p. 94.

DCCCXCII. **Perusii.** *1265. 11. Julii.* Clemens IV. papa scribit episcopo Traguriensi, cum prior et fratres ordinis Praedicatorum Spalatensium confessi sint coram eo, quod Nicolaus Albertini civis Tragurii, quemdam fundum suum in civitate et jus patronatus capelle in eodem fundo erecte eis contulisset intuitu pietatis. Quam capellam ipsis pro habitatione Urbanus papa confirmavit et quod iuxta eam construere possint domos et officinas concessit, cui constructioni se praedictus episcopus opposuit. Quocirca ei mandat ut praedictos fratres permittat capellam pacifice possidere et iuxta illam construere domos et officinas, dando insuper archipresbitero Scardonensi in mandatis ut eum a molestatione dictorum fratrum auctoritate sedis apostolicae compellat.

Farlati: Illyr. sacr. T. IV. p. 359.

DCCCXCIII. **Perusii.** *1265. 28. Julii.* Clemens IV. papa ad petitionem Salvii episcopi Tribuniensis qui per schismaticos episcopatu et bonis suis fuit spoliatus ab archiepiscopo autem Ragusino, metropolita eius, ex affectu compassionis cum administratione tunc vacantis monasterii Lacromae ord. s Benedicti remuneratus, sed per comitem et communitatem civitatis e possessione eiectus, audiens insuper papa quod per quosdam laicos, quos ibidem posuerunt, non solum proventus, possessiones et terrae verum etiam ornamenta ecclesiae, cruces, calices etc. vendita et distracta sint, mandat archiepiscopo Antibarensi ut in rem inquirat et auditis testibus factum sedi apostolicae referat, bona autem monasterii Salvio restituat.

Ex transumpto bullarii archivi Ragusini. M. S. in mea coll. p. 372.

DCCCXCIV. **Tragurii.** *1265. 10. Augusti.* Columbanus episcopus Traguriensis post missarum solemnia ab eo celebrata in burgo civitatis Tragurii ad honorem Dei et B. M. virginis causa aedificandi ibi ecclesiam et locum fratribus minoribus de Tragurio, ad quem locum dicti fratres se transferre proponunt, ubi est ecclesia aedificanda, immissit et immitti fecit primos lapides quatuor. Bonaventura notarius rogante episcopo scripsit.

Farlati: Illyr. sacr. T. IV. p. 349.

DCCCXCV. *In castro* **Višegrad.** *1265. 13. Octobris.* Bela IV. rex dirigit magistrum Demetrium archidiaconum Borsiensem suae nurus ducissae cancellarium et fratrem Paulum ordinis fratrum minorum suum confessarium ad pontificem Clementem IV. super suis et regni negotiis, et specialiter pro facto

ecclesiae Zagrabiensis, quod praecipuum reputat, petens quatenus eisdem nuntiis benignam audientiam praebere et petitiones admittere cum effectu dignaretur.

Farlati: Illyr. sacr. T. V. p. 374.

DCCCXCVI. **Ragusii.** *1265. 19. Octobris.* Johannes Quirinus comes Ragusinus cum consiliariis de parvo et magno consilio constituunt nobiles viros Theodorum Bobatiae et Dimitrium Menzi atque Sergium Clementis in iudices communales ad audiendum et determinandum cum communalibus iudicibus Spalati lites omnes, quas habere sperant vel sperabant apud stanicum in loco Prevlac cum communitate civitatis Spalati, dantes eis generale mandatum et plenam potestatem singulas questiones et lites audiendi et terminandi. Testes fuerunt Dobroslavus Romanae, Andreas Cerevae et Margaritus de Sfilu iurati iudices. Presbyter Petrus notarius Ragusinus scripsit.

Ljubić: Mon. I. p. 103.

DCCCXCVII. *1265.* Bela IV. rex notificat, quod Rolandus banus totius Slavoniae ab una parte, Farcasius autem comes et Gregorius filius ejus de Zagoria, ex altera parte inter se concambium fecisse retulerunt ita, quod idem Rolandus terram suam in Zagoria Vyvdvor (Novi Dvori) vocatam ex regia et Belae ducis collatione possessam, quae primo fuerat Gregorii filii Abramus assignavit praedictis Farcasio et Gregorio. Iidem vero omnes suas possessiones in terris Sirnounicha et Stopnicha existentes dicto Rolando in cambium dedissent, qui insuper eis solvit ducentas viginti marcas pro qualibet marca quinque pensas denariorum Zagrabiensium computando. Hoc igitur concambium rex ratum habet. Datum per manus magistri Farcasii Albensis electi aulae visecancellarii.

Ex actis e regni archivo ablatis per banum Khuen-Hedervary N. R. A. Fasc. 457. N. 22.

DCCCXCVIII. *1265.* Bela IV. rex notum facit, quod comes Ruh exhibuit ei litteras capituli Chasmensis petens ut easdem regali privilegio dignaret confirmare (quae litterae de a. 1263. agebant de venditione terrae Zalatnik aut Slatnik); rex petitioni annuens confirmavit eas.

Cod. dipl. patrius VII. p. 100. Ex actis com. Erdödy Galgoczam ablatis.

DCCCXCIX. *1265.* Stephanus rex et dux Transilvaniae ad petitionem hospitum de Wynch (in Transylvania) confirmat eorum libertatem eis per Laurentium condam vojvodam Transylvaniae et comitem de Wolkou concessam.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. cont. III. p. 120.

CM. *1265.* Stephanus Uroš rex Serbiae scribit Joanni Quirino (**Кѵринѹ**) comiti et toti communi Ragusii petens ut monacho Niconi vel salem vel pecuniam tradant.

Miklosich: Mon. Serb. p. 49.

CMI. *1265.* Ela regina Hung. Dalm. Croat. etc. notum facit quod Ruh comes humiliter supplicasset: ut eidem de terra castri de Garig usui sex aratrorum sufficiente, iuxta Zalatynik, ob suorum servitiorum merita providere dignaretur, sed quia quantitas et cursus metarum reginae non constabat man-

davit Moysi comiti Symigiensi et Worosdiensi ut eandem terram accederet et sub metis suis assignaret. Qui terram accedendo et eam cum suis metis distinguendo, nullo contradicente, eandem dicto Ruh comiti statuit, quod et regina confirmavit, cum metis sicut eas capitulum Chasmense in suis litteris stabilivit. Utpote prima incipit iuxta terram episcopi et iuxta terram castrensium de Garig a parte occidentali, inde ad vallem Farkasvelg inde per varias metas arboreas et terreas cadit in aquam Pribinisich versus orientem et vicinatur terrae Bogdani et Eliae filiorum Chakan, inde iterum per varias metas venit ad mlacam Sceterna, per varias metas eundo cadit in aquam Chasma et vicinatur terrae comiti Ruh, per magnum spatium vadit usque ad longum pontem et vicinatur terrae regis et ecclesiae et ascendit in longum pontem qui ducit versus Rachchan et venit in unam viam, quae ducit versus domum Paulini, inde per varias metas et puteos ad metas terreas in dumo Munorov, cadit in aquam Zalatinik et pervenit ad priorem Datum per manus magistri Farcasii electi Albensis, aulae reginae vicecancellarii.

Cod. dipl. patrius VII. p. 96. ex actis comitum Erdödy Galgoczam ablatis.

CMII. *1265.* Capitulum Chasmensis ecclesiae significat, quod Mortun filius Brezhal cum uxore sua filia Adolini de Kamarcha confessus sit se vendidisse comiti Roh terram suam haereditariam in Garyg cum una vinea in terra Nazled pro centum viginti duobus marcis. Cuius metae sicut canonicus Petrus retulit tales sunt: Prima incipit in rivulo Babych (Bobuk) exit ad unam vallem et vergit versus meridiem et ascendit in Berch ad magnam viam venientem de Garyg. Cadit in vallem siccam quae cadit in rivulum Desche, tenet metam cum filiis Berivoy et vadit ad metam filiorum Beryzwal (Beryzlaw), cadit in vallem Graboa, venit ad metam Gordos et filiorum Brezwal, iuxta domum Wlchetae ducit in rivulum Desche, venit ad vineam sacerdotis et in montem ibique cadit in magnam viam et per illam viam ad Berch et transiens viam ad vallem Kremena, ducit in rivulum Bobuch. Item Chuntfi serviens Mortuni vendidit comiti Roh terram suam Dedecha pro tribus marcis, cuius meta vadit in vallem Lypoa et in alteram Nogvelg. Astiterunt venditioni Mortun, Bartak, Ivan, Domonkus, filii Berizlay. Item Gregorius, Ivan Thomas, Mortun filii Nerivoy, item Vlcheta.

Cod. dip. patrius VII. p. 100. Ex actis comitum Erdödy Galgozam ablatis.

CMIII. *1265.* Capitulum Chasmensis ecclesiae significat, quod constituti coram eo ex una parte Crysk et Stephanus filius Ivan pro patre suo, ab altera vero Gyurk, Nicolaus et Radcsa filii Radeh, Abram, Petrus, filii Dragat, Wlchizlav frater eiusdem, Wlchoy filius Ruman, Georgius filius Gyura, Madcha filius Stephani, Farcasius et Andreas filii Ladizlai, Martinus et Gyurk filii Johannis Cruschen, Zuchibili et Gordoy filii Drask de genere Chanov, qui confessi sunt se vendidisse Crysk et Iwano terram eorum Vratna pro viginti marcis, sicut continetur uberius in litteris comitis Crisiensis. Meta autem terrae incipit a terra Crysk haereditaria in una palude Mlaka vocata. Inde procedit ad orientem ad terram Farcasi et Mortunus, et vadit ad domum Enok. In meridie ad Chana, inde per varias metas arboreas ad fluvium Vratna, de quo exit apud arborem venez. Dimittendo terram Enok et Chana transit Vratnam et commetatur terrae Hans et Wlchetae, a parte orientali terra Junk remanente. Inde per varias metas et silvam paludosam, transeundo magnam viam

inter silvam et venit iterum ad flumen Vratna et ad silvam Dobowch, ubi coniugitur terrae haereditariae Crisk et Ivan.

Ex collectione comitum Kegletić in archivo academiae scientiarum Zagrabiae.

CMIV. **Perusii.** *1266. 21. Januarii.* Clemens IV. papa Timotheum episcopum Zagrabiensem quem Bela rex ob ignobilitatem reiciendum censuit, acriter tuetur, cum Deus omnes homines lege propagando communi, ex similibus nasci seminibus, eodem coelo contegi, similique gaudere spiraculo voluit, nudus in mundum ingredi et nudos egredi pari ratione decrevit. Quod obiicis (dicit papa), imputare non potes, quum se ipsum non fecerit, sed a domino factus fuerit. Nec parentes nobiles eligere sibi potuit, nec peccavit si illos habuit, quos dominus ei dedit. Miratur quod dictum episcopum ab Urbano papa promotum et ab ipso (Clemente) regi commendatum adeo severe abhoruerit, precibus et mandatis sedis ap. non obediens, immo nec fratrem Gualterium in pacifica possessione episcopatus gaudere permisit et per nuntium suum Demetrium archidiaconum strigoniensem ab ipso rege sibi iniuncta talia proposuit quae solummodo pro regis reverentia patienter audita sunt.

Theiner Mon vet. Hung. I. 281.

CMV. **Perusii.** *1266. 15. Martii.* Clemens IV. papa hortatur universos Christi fideles ut succurant priori et fratribus ordinis Praedicatorum Jadrensibus, qui ibidem ecclesiam (S. Platonis) extruere coeperunt. Hanc bullam pontificis transumit 5. Oct. 1267. Laurentius archiepiscopus Jadrensis.

Farlati Illyr. sacr. V. 78.

CMVI. *1266. 20. Martii.* Bela IV. rex notum facit, quod magistro Michaele filio Simeonis ex una parte comite Pancratio et Paulo filiis Pasca ex altera in praesentia regis constitutis, idem magister M. confessus est, quod terram quam in Garig, Garigfeu vocatam, ex donatione regia possidebat, dictis Pangratio et Paulo, vicinis suis pro centum marcis argenti vendidisse, ad quorum petitionem rex non obstante contradictione Gregorii filii quondam Thomae bani et commetaneorum, concessit perpetuo possidere. Datum per manus magistri Farcasii electi Albensis aulae vicecancellarii.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 130.

CMVII. **Zagrabiae.** *1266. 31. Martii.* Capitulum Zagrabiensis ecclesiae notificat, quod constitutis in eius praesentia ab una parte Gyan comite, filio comitis Vid de Modros et ab altera Pernicholo Potestate de monte Grech nomine Rolandi bani totius Slavoniae, idem Gyan confessus est nomine suae uxoris filiae Alexandri comitis dotem eiusdem et res parafernales ipsi, ex parte prioris mariti sui Ratoldi filii praedicti bani debitam et debitas, plenarie recepisse eodem bano persolvente.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 315. N. 6.

CMVIII. **Cattari.** *1266. 8. Aprilis.* Marcus episcopus Cattarensis significat, quod Paulus filius Boscae cognatus eius, nobilis civis Cattarensis cum coniunge sua Dobra, sorore episcopi, coram eo constituti, praesentaverunt

tamquam eius legitimi patroni ecclesiam sancti Pauli, quae est iuxta ecclesiam sancti Tryphonis cathedralem, quam propriis expensis aedificaverunt, tamen cum sine haerede essent carnali, sibi pro filiis adoptaverunt Fr. Michaelem priorem ff. ord. Praedicatorum de Ragusio et Catharo et fratres Florianum, Tryphonem et Marcum fratres conventus Ragusini, vice fratris Michaelis generalis magistri eiusdem ordinis, ut ipse ordo et fratres possiderent ipsam ecclesiam S. Pauli cum domo et aliis pertinentiis suis in perpetuum. Postulaverunt igitur ab episcopo ut ipsorum praesentationem ratam haberet et confirmaret tali conditione: quod si ipsi fratres de Ragusio et Catharo recederent, dicta ecclesia redeat ad supradictum Paulum et uxorem suam, post quorum mortem jus patronatus transibit ad consangvineos proximores eorum. Quam dispositionem episcopus confirmavit coram testibus Basilio Dragonis jurato judice, Marco Laurentio Basilis, Bartholomaeo filio Boscae; diaconus Micha comm. notarius scripsit.

Farlati: Illyr. Sacr. T. VI. p. 44. p. 441.

CMIX. **Spalati.** *1266. 14. Aprilis.* Regnante Bela IV. rege, temporibus Rogerii Spalat. archiepiscopi, Rolandi totius Slavoniae bani et comitis Spalatensis, Michae Madii, Dobri Dliscizae et Kamureii Petri judicum; Dragan Radomiri accepit ad pastinandum a Duymo Kassarii terram suam in Dilato, promittens omni anno vretenum unum atque dimidium plantare, et secundum bonam consvetudinem civitatis Spalatensis laborare, tertiam partem fructus eidem Duymo assignando; e contra promisit ei Duymus pro quolibet vreteno vitium quem pastinaverit, antequam ipsum incipiat pastinare solidos quadraginta denariorum parvorum. Actum in domo notarii, praesentibus Leonardo Draczany, Stephano Justi, Stanco Dragae testibus, Jacobus Patri conscius examinavit, magister Franciscus imp. notarius Spalat. scripsit.

Ex archivo aulico Vindobonensi. Collectio act. Spalat. XVI. 1. 68.

CMX. **Viterbii.** *1266. 13. Junii.* Clemens IV. papa annuens postulationibus Columbani episcopi Traguriensis suscipit in protectionem ecclesiam eius et statuit ut quascumque possessiones eadem ecclesia juste et canonice possideat ei et successoribus eius illibatae permaneant. Et quidem locum ipsum in quo dicta ecclesia sita est, monasterium S. Nicolai, S. Michaelis ac S. Jacobi, ecclesia in castro de Sebenico cum decimis, parochiis et pertinentiis suis, loca Drid, Gusterna et Dubrovacz, possessiones et decimas in villis de Neveste, Radosich, Gradac, Ostroch, Spellan et S. Petri. Et quidquid juris obtinet in comitatu Zagoriae et omnia alia jura praerogativa et privilegia ecclesiae. Subscripserunt, Clemens papa, Odo Tusculanus episcopus, Stephanus Prenestinus ep. fr. Joannes Port. et S. Rufinae ep. Henricus ostiensis et velletrensis ep. Ancherus Tit. S. Praxedis presb. card. Guilelmus Tit. S. Marci presb. cardinalis, Ricardis S. Angeli diaconus card. Jacobus S. Mariae in Cosmedin diac. card. Gottifredus S. Georgii ad velum aureum diac. card. Ubertus S. Eustachii diac. card. Per manum magistri Michaelis S. Rom. eccl. vicecancellarii.

Farlati: Illyr. sacr. T. IV p. 350.

CMXI. **Viterbii.** *1266. 20. Junii.* Clemens IV. papa ad supplicationem Mariae reginae Hungariae, donationem camerae Syrmiensis et quarumdam

20

aliarum terrarum quas ei maritus ejus rex Bela titulo dotis contulerat, et filius eius Stephanus rex confirmaverat, ratum habens, litteras ejusdem regis Stephani transumit, in quibus continetur, quod ei cameram de Syrmio insuper villam Rugas Ismaelitarum ad tempus vitae, item praedium de Posega quod ei Bela rex pro impensis factis in partibus maritimis, tum etiam ratione dotis, cum omnibus appenditiis, castris scilicet, villis, tributis et collectis contulerat, de novo concedit et confirmat.

Theiner: Mon. vet. hist. Hung. I. 283.

CMXII. **Viterbii.** *1266. 22. Junii.* Clemens IV. papa mandat archiepiscopo colocensi, quod cum episcopi Zagrabienses, qui fuerunt praedecessores fratres Timothei Zagrab episc. terras, possessiones, redditus, vineas, nemora, domos, iura, iurisdictiones et alia bona ad episcopalem sedem spectantia nonnullis clericis et laicis ad firmam perpetuo vel sub censu annuo concesserunt, ea quae de bonis ipsius sedis per concessionem huiusmodi alienata invenerit, non obstantibus litteris perennis, renuntiationibus, iuramentis et confirmationibus, ad ius et proprietatem sedis studeat legitime revocare.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 131.

CMXIII. **Viterbii.** *1266. 4. Julii.* Clemens IV. papa iniungit archiepiscopo Strigoniensi et Timothaeo episcopo Zagrabiensi, ut magistrum Farcassium vicecancellarium regis in praepositum Albensem confirment, postquam per eum negotium ecclesiae Zagrabiensis fuerit expeditum, quod vehementer cordi dicti pontificis inhaeret et quod celeriter in effectum perduci optat.

Theiner: Mon. vet. Hung. T. I. p. 287.

CMXIV. *1266. 20. Augusti.* Rolandus banus totius Slavoniae ad quaerelam Hormisae, Oscul, Zirnis, Dragulan, Ozel, Nork et Voyn castrensium Zagrabiensium contra Ambrosium et Benk filios Vitalis attractis in causam quod de villa Crenisapula, terram Jalez sibi usurpassent, exmissis pro investigatione Inus comite Zagrabiensi et Endrich comite terrestri cum aliquod jobagionibus castri Zagr. et homine capituli qui metas terrae questionatae conscripserunt, adiudicat eandem terram Jalaz antedictis filiis Vitalis. Inter metas autem occurrit fluvius Blizna, qui terram a capitularibus dividit et fluvius Tornava pariter limitaneus capituli.

Marcellovich: Extractus ex dipl. cap. Zagr. ms.

CMXV. *1266. 23. Augusti.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notum facit, quod constitutis in praesentia ejus ab una parte Rolando bano totius Slavoniae ab altera vero Petro, Mathia et Crisan filiis comitis Baboneg, idem Petrus cum fratribus confessi sint se terram eorum haereditariam pro portione sua ipsos in Vodichan contingentem, excepta portione Jakou fratris eorum, dedisse bano iure perpetuo possidendam pro possessionibus Serovicha, Boyna et Stoymerichi, quas idem banus eis in concambium dedit, et insuper centum viginti marcas, quas a bano plenarie receperunt. Hoc concambium processit ex permissione magistri Chach comitis de Vrbaz et magistri Nicolai comitis de Kemluk, qui Nicolaus personaliter renuntiavit parti suae quam habebat in terris, quas banus dedit in concambio. Subiunxerunt etiam, quod si quando gratia regalis indignationem a filiis Stephani revocaret, et possessiones eorum

redderet ipsis, praedictum concambium eo facto debeat esse revocatum, ita filii Baboneg redditis bano 120 marcis terram eorum rehabebunt ad banum autem terrae per eum datae revertantur.

Ex actis per banum Khuen-Hedervàry ex regni archivo abblatis. Fasc. 457. N. 3. — Fejer: Codex dipl. T. IV. vol. III. p. 377.

CMXVI. **Zodyzlo Suynicha.** *1266. 14. Septembris.* Junus comes Zagrabiensis significat, quod cum de terra Zodyzlo Suynicha questio esset, Bogdanus et Martinus filii Wlkyna accedentes confessi sint, tres vineas filiorum Gurk in praedicta terra Zodyzlo Sunycha sitas et iuxta vineam filiorum Wlkyna positas, et silvam Wonycha gora, eidem possidendas tradidisse.

Orig. membr. ex actis per banum Khuen-Hedervary e regni archivo Pestinum ablatis. N. R. A. Fasc. 386. N. 8.

CMXVII. **Crisii.** *1266. 6. Octobris.* Rolandus banus totius Slavoniae notificat, quod Petrus filius Zachei super destructione metarum terrae suae hereditariae, Vunzlauum, Pousam, et omnes cognatos eorum, jobagiones castri de Kemnuk, Razminum, Zuetoch, et cognatos eorundem castrenses eiusdem in praesentiam ejus evocasset. Cum diutius extitisset concertatum, tandem partes per arbitrium arbitrorum per banum deputatorum, videlicet Ivan filium Irizlai, Dedus, Tyburcij, Carachinum et Junk comitem super ipso facto terrae inter dictum Petrum ab una, ac jobagiones et castrenses castri et eisdem astantes, Martinum terrestrem comitem, Theodorum et Joannem fratres eiusdem, Zoladum, Budiuoy, Petus, Ratk, Drazislaum, Otmizlaum, Tokk, Michaelem centurionem et Kunth ac fratres eius filios Radizlai ac alios jobagiones castri, et castrenses de Kemnuk pro quibus magister Nicolaus comes de Kemnuk stetit ex parte altera, taliter extitit ordinatum: quod metae terrae praedicti Petri a terra jobagionum et castrensium hoc ordine distinguantur. Prima meta Petri incipit in fluvio Benna (Bednja) ubi Radila et Nicolaus sunt commetanei. Et per varias metas, a dextra parte castri, quae dicitur Alexandro bano data fuisse, a sinistra Petro remanente. Et descendit ad fluvium Paka et transiens eum, incipit per alium rivum contra Cripsum (Crysium?) ascendere per Gorh ad montem excelsum. Per varias metas et terram inhabitabilem ad verticem montis celsi et commetatur terrae comitis Abrae. Descendens per terram Izdenchina pervenit ad quemdam rivulum et terram Durzizlai. Deinde ad terram comitis Abrae Zupoth vocatae. Deinde ad magnam viam et terram Drusizlai. Per Prezechina fluvium venit superius ad septemtrionem. Ad occidentem cadit in fluvium Chanou. Ad septemtionem terra Otmizlai et ad capit vallis Felisna. Iuxta terram Folk et fratrum venit ad montem et cadit in fluvium Vogrincha, superius ad septemtrionem et inferius terminatur.

Ex coll. dipl. Thadaei Ferič comitis curialis capituli zagr. postea in mea coll. veteteri.

CMXVIII. *1266. 23. Novembris.* Bela IV. rex notum facit, quod cum olim fines ac termini regni seu ducatus Slavoniae continuis latrunculorum et frequentibus insultibus pulsarentur, rex propriae et subditorum securitati prospicere cupiens, castrum in monte Grech iuxta Zagrabiam ob tuitionem confiniorum decrevit constituendum. In cuius castri constructionem cives eiusdem castri in aeficando sibi domos ibidem et alias aedes illuc transferendo sumtus

non modicos, labores et damna usque ad exinanitionem extremae virtutis subierunt. Itaque rex hanc illis praerogativam concedit, ut nec per se, personaliter ad exercitum, quem ipsum aut filium suum Belam ducem totius Slavoniae et Croatiae facere contigerit, ire nullatenus, nec aliquid propter hoc impenderi teneantur. A collectis, tallia, exactionibus sint liberi, ita tamen quod duci Belae XL marcas in usuali moneta cuius ducentae pensae valorem 40 marcarum contingunt in die strenarum solvere teneantur. Conditiones et libertates hospitum ipsi inter se fecerunt et rex approbavit videlicet: Quod si iidem cives in districtu Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae, spoliati fuerint vel occisi per latrones et malefactores, dominus terrae in qua hoc acciderit aestimata quantitate pecuniae, iuxta arbitrium bonorum virorum et sacramentum civium ad hoc electorum, vel ablata refundat, vel malefactorem ostendere teneatur, aut homicidii poenam solvat, iuxta ducatus Slavoniae consvetudinem approbatam. Item tributa inter regales terminos solvere non teneantur. Item pro vituperiis, opprobriis et contumeliis, quilibet victus laeso decem pensas, non minus expensas centum denariorum solvat. Si post trinam correctionem se non emendaverit, rebus omnibus in commune applicatis tamquam infamis, de civitate turpiter expellatur. Si quis alteri alapam dederit vel per crines malitiose traxerit, eandem poenam patiatur. Si haec judice sedente pro tribunali vel ubicumque in eius conspectu, idem perpetrare praesumeret, poena dupli plectatur. Si hoc in persona iudicis vel cuiscunque assessoris sui idem attentaverit, decem marcas usualis monetae pro poena solvat. Si solvere non poterit, manum amittat. Si quis cultello, gladio, lancea, aut sagita, aut aliquo tali modo alium vulneraverit et idem sine defectu resanatus fuerit, medico laesi satisfaciat et laeso decem marcas, et ad usum civitatis duas marcas persolvat. Si quis hominem interfecerit et aufugerit, duae partes rerum suarum cedant parentibus occisi, pars tertia civitati. Si captus fuerit, secundum consuetudinem de ipso vindicta sumatur, nisi quis in ludo, sine praemeditata malitia aliquem interfecerit. In hoc casu centum pensas cognatis, viginti vero ad communes usus refundantur. Si facultatibus non suffecerit, civium arbitrio resignetur. Item si quis de extraneis intrans in civitatem sive in vico, sive in domo, sive in foro, similia perpetraverit, per iudicem civitatis iudicetur, et eisdem poenis subiaceat et dependeat. Si ex incolis civitatis aliquis sive . . . . defectus fuerit, per iudicem civitatis puniatur. Item si quis extraneus aliquem de civitate in causa pecuniaria, vel illata iniuria voluerit convenire, coram iudice civ. conveniat, et nulla causa ad duellum iudicetur, sed per testes et juramentum terminetur. Sive extraneus inveniat apud incolas sive incola apud extraneos equum, bovem, aut aliquas res furtivas, semper testes producantur. Item cives de civitate, vel jobagiones de villis ad ipsam pertinentibus prope civitatem nullius iudicio adstare teneantur. Si iudex suspectus habebitur, convocatis omnibus maioribus civitatis, ipso iudice praesente negotium decidatur. Si actor ad regem citaverit solus iudex ad regem ire teneatur. Si aliquis, cives non requirens, ad regem iverit, tenebitur iudici citatorias expensas refundere, quia contempto regali privilegio iudicem irrequisitum fatigavit laboribus et expensis. Cives habent liberam eligendi facultatem iudicem, praesentandum regi, et mutandi eum annuatim pro suae arbitrio voluntatis. Calumniator, falsus testis etc. non potest eligi in iudicem vel assessorem aut consiliarium. Si quis sine haerede decesserit liberam

habeat de rebus mobilibus disponendi facultatem. Res vero immobiles, habito consilio suorum concivium, uxori, vel alicui cognatorum suorum relinquat. Si quis intestatus decesserit sine haeredibus, duae partes rerum pauperibus et ecclesiae civitatis reserventur. Statutum est etiam quod forum solemne duobus diebus in hebdomada, die lunae et Jovis celebretur, praeterea forum cotidianum cotidie habeatur. Privilegia super donatis a rege terris et possessionibus de novo confirmata, cum nominatione earundem metarum et locorum.

Tkalčić: Mon. civ. Zagrab. vol. I. Doc. 47.

MCXIX. *1266. 29. Novembris.* Capitulum ecclesiae Zagrab. attestatur, quod litteras Rolandi bani totius Slavoniae rite acceperit cum requisitione: quatenus tenorem eius privilegii super facto terrae Winodol ecclesiae Toplicensi concessi, suo confirmaret privilegio. Privilegium autem bani continebatur, quod cum inter Gurk, Jacobum, Mathay, Georgium, Isip et Ivuk ac universos Blinenses ab una parte, et cellerarium Toplicensem et Huet comitem eiusdem ecclesiae, super facto terrae Winodol et vineis in eadem existentibus, materia questionis fuisset ventilata, banus contentioni finem et silentium imponere voluit, iudicando in hunc modum: ut cellerarius et comes Hvet, in Gora coram praeceptore loci praestarent iuramentum super eo, quod quidquid, incipiendo a Damasingeren usque ad terminos filii Stepkonis, metarum eiusdem terrae reambularent, sed secundum praestitum sacramentum ostenderent et assignarent, iidem Blynenses deberent tolerare. Adveniente itaque termino cellerarius et comes Huet praestiterunt sacramentum, et iidem Blinenses ipsam terram Vynodol praedictae ecclesiae reliquerunt pacifice et irrevocabiliter, consensum praebentibus Wlksay, Stephco et Iwan filiis Wlk. Similiter et vineas eiusdem terrae, sicut comes Herenk recitavit, et in privilegio Iwnus comitis Zagrabiensis continentur. Terrae autem prima meta est Damasingeren (Damašinova gora?). Inde per viam ad fontem Prelizin. Inde ascendit ad montem et venit ad magnam viam quae ducit de foro episcopi. Inde ad pedem montis Plerumnyza. Inde ad magnam viam Vratza nominatam. Inde ad rivulum Smrdez. Inde per varias metas arboreas (iessen, oscurussa etc.) et villam convicinam rivulo Smrdcz, venit ad caput rivuli Mozlaviniza et ad locum ubi fuit pons Wlcae. Per cacumen montis descendit ad fontem Prozchak, et ducit ad rivulum Suhodol. Inde ad fontem Descilo. Inde per Globoky potok. Inde per montem ad magnam viam et per montem Ispraze. Inde per varias metas ad rivulum Leskovez. Datum in Petrina 17. Octobris 1266. Confirmatio autem capituli in vigilia S. Andrae ap. 1266.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 132.

CMXX. *1266. 23. Decembris.* Capitulum Zagrab. ecclesiae notum facit, quod contitutis ab una parte Luchach et Petro filiis Endri et ab altera Marco filio Gurda, portionem suae cuiusdam possessionis, scilicet quadraginta vereten et dimidium confessus est se vendidisse dicto Lucach et Petro pro quadraginta pensis et dimidia denariorum Zagrabiensium, quorum singulae quinque pensae marcam tunc temporis faciebant. Astiterunt fratres venditoris Petk(o) et Zlobk(o) et consanguinei eiusdem: Dahota, Wlkodrug, Gorena, Wlkoy et Philippus filius Dopcha commetaneus, Endre comes terrestris qui

venditionem ratificavit suo consensu, ex licentia Inus tunc comitis Zagrabiensis. Terra autem habet commetaneos supradictos jobagiones et meta terminatur intrans Coztnicham (Costaniczam?).

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 134.

CMXXI. *1266.* Bela IV. rex ad petitionem civium de monte Grecensi de Zagrabia quaerulantium pluries in eo, quod rex eis Archynum comitem in potestatem seu iudicem praefecisset, infringens eorum libertatem, lecto aureo privilegio per eum eisdem concesso, confirmat eis de novo libertatem eligendi potestatem seu iudicem iuxta suum arbitrium voluntatis, cassatque penitus denominationem Archini. Per manus magistri Farcasii electi albensis aulae vicecancellarii.

Tkalčić: Mon. civit. Zagrab. I. Doc. 48.

DMXXII. *1266.* Bela IV. rex notum facit, quod Bense filius Nicolai praedialis de Ryuche obtulit ei privilegium Rolandi bani super distinctione metarum terrae ipsius Konzka, petendo ut illud confirmaret cuius petitioni rex annuit.

Cod. dipl. patrius. T. VII. p. 103.

DMXXIII. *1266.* Maria regina Hungariae notum facit, quod cum Michael comes filius Alberti de genere Huntpaznan in magnis et arduis expeditionibus regni intrepide se committens ad omnia regni negotia prospera et adversa se exposuerit, qui pluribus annis in terra Rutenorum captus extitit et detentus cum gravi iactura rerum et periculis personarum in expeditione regni quae tunc temporis emergebant; filius etiam eius Myke secutus paternae fidelitatis vestigia a sua pueritia in omnibus expeditionibus servivit fideliter et indefesse, pro quibus servitiis contulit ei Mikae terram Cherkvenz et Rodouanch in comitatu Posega de consensu regis ac Belae ducis totius Slavoniae et Croatiae, filii sui. Cujus terrae prima meta de aqua . . . iva inde tendit ad puteum Halapna ascendit ad unum Berch venit ad arborem Corni et terras Eliae filii Draguos et filiorum Iovanca, Benedicti et Aladari. Per siccam vallem venit ad rivulum Cherkvenig et ad aquam Strzeuch potok et ad alium Zuha potok qui cadit in Cherkvenig et in aquilone ad aquam Grabrouch potok, qui cadit in eundem fluvium, et inde ad terras Philippi comitis filii Chundur et ad quemdam lo um ubi fluvius Chetechni potok cadit in Cherkvenig ubi incipiunt terrae filiorum Jovanca. Ascendit montem et descendit ad aquam Pales potok et ascendit montem Cherkvenig in cuius cacumine est meta et vadit per loca que Zelemen (Slemen) vocatur, et vadit ad terram Narad et venit ad caput aquae Cumblac potok, et per ipsum Cublac (sic) iuxta terram comitis Gyleti ad aquam Orivam (Orljavam) ascendit in montem Puzun et per varias metas iuxta terram Nouac in caput rivuli Radouancicha, et incipit terra filiorum magistri Mark et iuxta terram comitis Zyr Gerardi per eundem rivulum Radovanchicha, et per varias metas eundo incipiunt terrae iobagionum castri de Posega de genere Velica et per varias metas terreas et montes pervenit ad aquam Welika et per eam ad locum ubi rivulus Zagrabuah cadit in Welicam, et tendit inter duos rivulos ad montem Graduch et ascendit ad Zelemen ubi meta Radovanch terminatur, prout per

litteras suas capitulum, Cruciferi et comes retulerunt. Datum per manus magistri Stephani vicecancellarii aulae reginalis.

Cod. dipl. patrius VI. p. 138 ex archivo comitum Châki.

CMXXIV. *1266.* Capitulum ecclesiae Chasmensis notum facit, quod constitutis coram eo ab una parte Pangratio comite, ab altera autem comite Leustachio filio Vyd, idem Pangratius comes praedium suum Kolkochech in Ryuche pro triginta marcis cum suis pertinentiis vendidisset eidem Leustachio iure perpetuo. Cuius terrae meta incipit a parte orientali iuxta terram emptoris ubi et arbor tul in rivulo uno, et per ipsum rivulum ad terram castrensium, deinde ad partem vicinatur terrae Prelsae et eundo per magnam viam in magno spatio per varias metas terreas vicinatur terrae Bensae et iterum per varias metas venit ad terram Moycen, inde ad dumum ihor et per varias metas cadit in aquam Kolkochech et relinquens eam vicinatur terrae Mathaei et Thomae filiorum Kwsel, tendit ad primam metam. Nec praetermittitur quod Gregorius filius Mark comes de Ryuche, Wzmech, Myle, Moycen, Zlobelch, Tybold filius Supk, jobagiones castri de Ryveche et Iwse comes, tam per notam personam quam per litteras suas huic venditioni et emptioni assensum praebuerunt.

Ex transumpto capituli Chasmensis de a. 1358. 8. Jan. ad petitionem jobagionis filii Leustachii de Plavnicza. In collectione Radosl. Lopašić.

CMXXV. *1266.* Capitulum ecclesiae Chasmensis significat, quod Job filius Drask(o) confessus sit se vendidisse terram suam iuxta locum fori Garig, Petro generi Drask et eius fratri Paulo pro undecim marcis; cuius prima meta incipit a parte orientali in Reznik iuxta magnam viam per quam cadit in aquam Garig, superius exit in Ramurna potok et venit in fontem Wydomia et per varias metas exit ad aquam Dobouch.

Cod. dipl. patrius. VII. p. 103. ex actis com. Erdödy Galgocsam ablatis.

DMXXVI. *In* Bihig, *1266.* Dyonisius comes de Polhana et Peset notum facit, quod pater Matheus abbas de Toplica calumpniasset quasdam aquas quas illi de Polhana sibi violenter usurpabant, quos rex Bela in perpetuam elemosinam contulerat monasterio toplicensi. Pro qua re ambae partes convenerunt in Bichig ubi Slavec judex de Polchana et iobagiones eiusdem terrae confessi sint, totum verum esse quod abbas affirmabat, et quod dictas aquas, quas tenuit Ludegarius et Pribislav, videlicet Cesta, Tregla et Chrenicha, et post aliquot annos abbati pacifice reddiderunt, nisi quod Desinec Polprudi calumpniavit esse suam. Impositum dicto Desinec iudicium sacramenti cum duodecim hominibus ille praestare non potuit. Aquae itaque adiudicatae fuerunt abbati datis illi pristaldis Jaxa et de Polhana Nadevm. Sigillum appositum Ladislai episcopi tyniensis et fratrum Praedicatorum de Bihig.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 135.

CMXXVII. *1266.* Per conventum Toplicensem ord. cisterc. describuntur metae empticiae terrae de Vinodol, quarum prima incipit a flumine Culpa versus meridiem inter Moscheniczam fluentem et siccam usque ad caput ipsius, et per ipsam a dextris terra episcopi. Ad occasum per rivulum Velseu-

niza ascendit in montem ad viam quae dicitur Petrinae, versus meridiem tendit directe ad domum Nicolai de Vinodol in Caliche. Ad meridiem in rivulum qui est in valle et per eum ascendit per fontem Clenovez. Per viam Petrinae tendit ad austrum et ultra montem Chudin, deinde in vallem ad montem Chudin pervenit ad terram episcopi.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 135.

CMXXVIII. *1267. 23. Februarii.* Bela IV. rex notificat, quod cives seu hospites in novo castro per eum in monte Grech constructo, revelare procurassent, quod cum ipsi in confinio regni in partibus Slavoniae sint constituti et propter diversa tributa et tricesimas cum suis mercimoniis questum habere non possint, quocirca postularunt ut eos ab istis tributis et tricesimis redderet exemptos. Rex ergo eis de consensu reginae ac omnium baronum et nobilium assidencium, hanc specialem duxit faciendam gratiam, ut ipsi cives infra terminos regni aliquod tributum tam in aquis, quam in terris nec aliquam tricesimam in nullo loco solvere teneantur.

Tkalčić: Mon. civit. Zagr. I. Doc. 50.

CMXXIX. **Zagrabiae.** *1267. 12. Martii.* Rolandus banus totius Slavoniae declarat, quod cum magister Petrus dictus Pulcher decanus ecclesiae Zagrabiensis universos hospites in Selen ad banatum pertinentes super facto decimarum evocasset, proponendo, quod decimas suas cum capeciis in frugibus et alia minuta earundem in suis speciebus, sed in denariis solvissent usque modo, banus autem una cum nobilibus regni Slavoniae adiudicavit, quod idem magister Petrus decanus cum magistro Petro archidiacono Zagrab. magistro Petro praeposito Chasmensi et magistro Benedicto archidiacono de Gerche in monasterio S. Stephani regis praestarent sacramentum super suis dictis. Adveniente termino magistri prenotati voluerunt praestare sacramentum, populi autem de Selen sacramentum eorum recipere noluerunt, assumentes praesentibus Inus Zagrabiensi et Michaele de .... comitibus, decimas suas de caetero in capeciis et minuta in speciebus soluturas capitulo.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. pag. 136.

CMXXX. **Viterbi.** *1267. 25. Martii.* Clemens IV. papa ad petitionem fratrum Praedicatorum Ragusiensium, quod quondam Jacobiza filia Viti Capiteseldi de Ragusio tunc vidua quandam domum suam in Ragusio sub domo Joannis Corciazii sitam eis possidendam in ultima voluntate legavit, sub conditione ut si eos contigeret de civitate Ragusina discedere, domus ipsa deberet ad ecclesiam S. Mariae majoris devenire, cum autem ipsi fratres asseruerunt dictam civitatem nunquam deserturos, annuit eis eandem domum vendendi.

Farlati: Illyr. Sacr. F. VI. p. 110.

CMXXXI. **Zagrabiae.** *1267. 9. Aprilis.* Rolandus banus totius Slavoniae declarat, quod accedentes ad ejus praesentiam filii Endrei: Lukach, Wyd, Mathaeus et Petrus petissent ab illo litteras comitis Zagrabiensis Inus, sonantes super terram Concham (Končam seu Otok) contra jobagiones castri Zagrab. confirmari, in quibus idem Inus significat, quod iidem filii Endrei evocassent Minislaum, Martinum ventrosum, Viduch filium eiusdem, Dazlaum

et Obulganum iobagiones castri Zagrab. contra quos opponebant, quod cum pater ipsorum comes Endrei de medio fuisset sublatus, ipsi nondum habebant annos discretionis, quo tempore iidem jobagiones terram eorum haereditariam Conchan in suum usum attraxissent. E contra respondebant jobagiones, dictam terram eorum haereditariam esse. Petierunt productionem testium et examen duelli. Demum revocatae sunt ambae partes de alteratione, et commissum est iudicium arbitrio comitis Hrynkonis; Porseni filii Rata, Nicolai filii Dapsa et Mortunus fratris Atha qui inter partes fecerunt compositionem, cum restitutione terrae praedictis filiis Endre, qui pro ea solverint triginti septem marcas in denariis. Astitit judicio Endrich, tunc temporis comes terrestris commetaneus. Terrae autem prima meta incipit a fluvio Odra ad quoddam fundamentum Circuische procedendo. Inde ad paludem Calischa. Inde per varias metas ad paludem Mlaca et per eandem eundo cadit in fluvium Oudina. Has litteras comitis Inus confirmavit igitur banus de consilio assessorum suorum nobilium regni scilicet comitis Farcasii de Zagoria et aliorum quam plurium qui intererant.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex regni archivo ablatis N. R. A. Fasc. 25. N. 59.

CMXXXII. **Zagrabiae.** *1267. 4. Junii.* Thomas comes de Marocha, Iuan comes Irizlay, Inus comes Zagrabiensis et Barleus comes de Vrbouch, memoriae commendant, quod inter episcopum de Kyrky (Krka, Gurk) Ottonem de Kunsperg et Kench, socium eiusdem ex una parte et ab altera Ernerium banum, super facto treugae quae inter ipsos usque festum Pentecostes inviolabiliter debebat obtervari talem compositionem ordinassent: quod ipsum terminum dictae treugae distulerint usque ad octavas s. Michaelis nunc venturas coram pleno capitulo Zagrabiensi, ita ut nihil dampni vel molestiae alter alteri usque praedictum festum praesumat irrogare, super quod praenominati quatuor unanimi consensu super textum evangelii sacramentum coram dicto capitulo praestiterunt. Praeterea dixerunt, quod adveniente ipso termino in omnibus aquiescent arbitrio arbitrorum in priori treuga deputatorum, et etiam aliorum. Item petebant, quod campum et erbas campestres ipsis Teotonicis in continuo in illa terra quam usque ad haec tempora pactualiter pro pascendis pecoribus obtinebant, eisdem concederent de bona voluntate, quod et concesserunt, salvis tamen frugibus, fenetis et silvis.

Ex originali 4 sigillis proviso in musaeo provinciali ducatus Carinthiae. Rad. Lopašić.

DMXXXIII. **Viterbii**. *1267. 8. Julii.* Clemens IV. papa confert archiepiscopo Ravennati (Philippo) munus legationis pro Lombardia, in patriarhatu aquileiensi et Gradena, in civitatibus Ragusae, Ravenae et Mediolani et dioecesanis provinciis earum, ad exstirpandam haeresim.

Ex Bullario Ragusino p. 406.

CMXXXIV. *In* **Zolum.** *1267. 20. Julii.* Bela IV. rex notificat, quod cum nobilis vis comes Thomas filius comitis Joachim de genere Churla regi condam Colomano magnifico duci Slavoniae fratri eius a primis pueritiae sua annis, donec idem Colomanus vitales carpsit auras diversis temporibus diversa ob-

equiorum genera curasset laudabiliter exhibere, tandem mortuo eodem, frater, adhaerens coronae regiae cum summo devotionis ardore eximiae fidelitatis a multis retro annis exhibuit famulatum. Dictus etiam pater eius Joahimus in diversis regni expeditionibus pro regis et regni defensione donec vixit grata impendit servitia, frater quoque dicti Thomae pater Philippus Strigoniensis ecclesiae archiepiscopus, cum Zagrabiensi ecclesiae digne et laudabiliter praesiderit, missus pro regiis necessitatibus ad romanam curiam et in ulteriores partes Italiae, ac alias regiones, ibidem multis vicibus in propriis stipendiis militando, et se aeris intemperie maris et viarum periculis et aliis innumerabilibus incommodis exponendo universa commissa sibi negotia peregit ad cumulum honoris coronae fideliter et prudenter. Procedente etiam tempore qua archiepiscopus Strigoniensis dum inimico hominum superseminante zizania inter regem et Stephanum juniorem regem, filium eius, diversis temporibus guerrae, discordia et praelia suscitata fuissent pro stato, coronae et regni integritate servanda se mediatorem imo qua scutum et murum interposuit et sic inter regem et filium pacis ordinans foedera, regem et regnum ad statum quietis reducere studuit. Hac ex consideratione licet maiores renumerationes meruerint ad praesens tamen cupiens aliqualiter providere eidem comiti Thomae terram nominie Praudaviz (Prodanich) in Ducatu Slavouiae iuxta Drawam existentem et a comitatu Symigiensi a tempore cuius non extat memoria exceptam penitus et exemptam de consensa Mariae consortis suae et Belae inclyti ducis Slavoniae filii sui concessit et donaverit, sub eisdem terminis sub quibus Corardus de Treun et tandem Corardus eius filius, qui de ipsa terra propter suae infidelitatis versuciam et proditionis perfidiam est ammotus possedisse noscuntur. Una absolvit eum a solutione marturinarum, descensu banali et ab omni exactionis onere et collecta.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. cont. VIII. p. 162.

CMXXXV. *1267. Mense Augusto.* Paulus praepositus Quinqueecclesiensis et capitulum eiusdem notificant, quod Prezdha et Stephanus filius Prezdha bani ab una parte et Stephanus filius Drask, Lodomerius et Apa filii Zonuzlov filii eiusdem Drask ex altera, constituti coram ipso terram S. Crucis haereditariam dicti Stephani reliquissent Lodomerio et Opa. Meta terrae incipit de fluvio Losuncha superius ad unum pyrum ubi est sepulchrum matris Ponych et descendit ad fluvium Velricha (aut Wedrucha). Exit ad rivum Duczpotok. Descendit per viam Radyzlov inter duos fluvios et descendit ad magnam Loswucha et revertitur ad primam.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 1502. N. 14. — Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. 3. p. 424.

CMXXXVI. **Tragurii** *et* **Jaderae.** *1267. 4. Septembris et 10. Octobris.* Regnante Bela IV. rege, temporibus Columbaui episcopi Traguriensis, Rolandi comitis, Valentini Kasarizae, Dessae Amblasii et Lucae Petri iudicum. Cum Procuratores vel actores capituli et communitatis traguriensis forent coram Columbano episcopo apud Jadram constituti, praesentarunt litteras procuratorias seu sindicarias ipsius cap. quibus Jacobus archidiaconus Gervasius primicerius et universum capitulum Trag. constituerint die 5. Octobris dominos Kasioctum Zanichae et Bodinum concanonicos suos nuntios speciales ad tractandum una cum episcopo pacem et concordiam in civitate Jadrae coram

archiepiscopo Jadrensi super facto decimarum hortorum, molendinorum et vini quod adversus cives, iudicem consiliarios et commune Tragurii dictus episcopus et capitulum Tragur. promoverant, dando ipsis nuntiis generale mandatum et potestatem concordandi et compaciscendi. Actum in ecclesia S. Laurentii praesentibus Jacobo Totillae et Nicolao Kasocti et aliis testibus. Bertanne Marini examinator manum missit, magister Franciscus Anconitanus notarius civitatis Tragurii scripsit. Forma autem sindicariae communis Tragurii haec fuit: quod 4. Septembris tempore regis Belae, episc. Columbani et comitis Rolandi, iudices Desa Amblasii et Lucas Petri in consilio civitatis apud ecclesiam Scte. Mariae de consensu totius communitatis, ordinati fuerunt Zanichus Casocti, comes Marinus Amblasii, Valentinus Kasarizzae et Doymus de Cega pro sindicis seu procuratoribus in causa quam habebant cives coram archiepiscopo Jadrensi, episcopo Tininiensi et abbate S. Michaelis de Monte, Jadrensis dioecesis, cum episcopo Traguriensi de decimis quas episcopus et capitulum contra cives moverunt, nec non super sententia contra ipsos cives pro dictis episcopo et capitulo a Thoma archidiacono Spalatensi lata. Actum praesentibus Martino Kasarizzae, Jacobo Totillae, Luca Mathaei testibus. Praedictus tandem episcopus agnoscendo per juratos testes quod Tragurienses praefatas decimas nullo unquam tempore episcopo et capitulo praestitissent, refutavit et remisit eas in perpetuum dictis civibus contentus cum amicabili eorum donatione terrae S. Vitalis quae protenditur ab aqua Remica iuxta viam publicam versus Traguriam, usque ad rivum qui dicitur salsus et vadit cum ripa usque ad mare. Actum Jadrae in palatio archiepiscopi, praesentibus eodem archiepiscopo, abbate Nicolao S. Grisagoni de Jadra, fratre Johanne custode fratrum minorum, fratre Rembaldo eiusdem socio, fratre Andreae superiore ff. Praedicatorum de Jadra, fratre Vincentio eius socio, Prosto Cotoparico, Gregorio comitis Eliae, Vulcina Pucinaneae, Sabo Mismaro, Vita Sine de Viergna, Petrogna Papae, Mauro Marini Calcunno, Ivanno Slovinae, Josepho Stephani Maureclae, Andrea Marini Grubagnae, civibus nobilibus Jadrae testibus.

Farlati: Illyr. Sacr. T. IV. p. 351.

CMXXXVII. Spalati. *1267. 14. Octobris.* Regnante Bela IV. rege, temporibus Joannis archiepiscopi Spalatensis, Rolandi comitis, Dominici Cassarii, Gregorii Grubae, Dobri Madii iudicum, iidem iudices cum consilio universae civitatis notificant, quod vacante ecclesia S. Laurentii de Piatea, qua patroni et fundatores eiusdem ecclesiae elegerint Thomam archidiaconum cum universo capitulo eccles. b. Domnii, transferentes in eos omnem suam jurisdictionem; astantibus praedictis iudicibus, nobilibus viris Micha Madii, Johanne Cigade, Joanne Vitalis, Drago Stephani, Alberto Jamii, Petro Cernechae, Camurcio Petri, Marino Gaudii, Gruptio Gatulae et pluribus. Josephus Petri examinavit. Lucas canonicus et notarius scripsit.

In archivo aulico Viennensi. coll. Spal.

CMXXXVIII. *1267. Mense Octobri.* Paulus praepositus et capitulum Quinqueecclesiense notificant, quod Stephannus, Joannes et Nicolaus filii comitis Isip pro se et pro Adriano et Isip fratribus suis litteras Belae regis exhibuissent potentes eas transsummi, quae sonabant super terra Chepan avulsa a Chepano filio Chaba per iudicium regium et baronum, Mauritium ma-

gistrum tavarnicorum et comitem de Barana, mag. Moys comitem Symigiensem et Vorosdiensem, Herney banum comitem Nitriensem, Philippum comitem de Walcov etc. quia dictus Chepanus et eius duo servientes Valentinus et Boson occiderunt comitem Isip patrem supradictorum et eius servum Petrum. Metae terrae fuerunt secundum litteras Laurentii iudicis curiae, terra Thomae et Nicolai fratrum Phile praepositi, inde quaedam magna via, inde terra Chepani quae seperat meta a Ruthenis existentibus iuxta aquam Ozna, ad occidentem sunt commetanei populi de castro Wolkov inde duae terrae abbatis seu monasterii S. Spiritus de Wolkov. Inde magna vallis Rewesa venit ad clausuram Chabagvatha. Inde per varias metas ad primam.

Cod. dipl. patrius V. VI. p. 148. ex archivo comitum Festetić in Kesthely.

CMXXXIX. *Iz* **Oronos.** *1267. 12. Novembris.* Bela IV. rex ratificat amicabilem compositionem litis inter generationem Jure et magistrum Hoholdum magni Hoholdi comitis filium, mediante Chak bano comite Saladiensi peractam. Inter alios in documento nominatos occurrit Ibrour (Ihour?) et Stephk cum filiis ac Martinus filius Budivoy de generatione Iure ex altera autem parte de generatione Hoholdi Chak banus cum filio suo Dyonisio, magister Chak comes de Vrbaz, comes Lancretus cum filio suo, Michael filius Tristani et Ochuz filius Buzad. Statutum etiam fuit quod magister Hoholdus generationi Jure solvere debeat 25 marcas ratione expensarum, dando pro qualibet marca quinque pensas denariorum Zagrabiensium aut decem pensas in Vienensibus sive in parvis denariis numerando.

Fejer: Codex dipl. T. IV. vol. III. p. 403.

CMXL. **Tragurii.** *29. Decembris.* Gervasius Primicerius rector seu plebanus ecclesiae S. Martini de consensu episcopi, comitis et dominorum, comitis Marini Amblasil, Duymi de Cega, Valentini Petri, Bastiani Lucae, Theodosii, Dessae Amblasii et Jacoby Peczy, qui se haereditarios dicunt esse per parentellam illorum de Machenaturis contraxit pactum cum Lucio Mathaei qui se per dictam parentellam ipsius ecclesiae haereditarium esse dicebat, in quo dictus Lucius promisit elevare altius domum dictae ecclesiae. Actum in palatio episcopi praesente Duymo Domichae et Bertano Marini Ruzae; examinator Lampredius Jacobi.

Lucius: Mem. di Trau, p. 113.

CMXLI. *1267.* Bela IV. rex considerans fidelem suum magistrum Thomam aulae suae notarium specialem et Johannem fratrem eiusdem in domo sua educatos et a iuventutis ipsorum primordiis locupletatos virtutibus et fidelitatibus meritis, contulit ipsis terram castri sui Varosdiensis Komor in Zagoria, praecipiendo magistro Johanni comiti Warosdiensi ut ipsam terram inspiceret, a quo informatus fuit quod ipsa terra sit sufficiens quindecim aratris et quod vineae, sylvae et pratum sint in eadem. Exemit etiam ipsam terram rex ab omni onere et jurisdictione comitis tradens illam Thomae et fratribus eius Johanni, Christophoro, Paulo et Stephano, et fecit eos introduci per Johannem magistrum tavernicorum Belae ducis totius Sclavonia filii sui et comitem Warosdiensem.

Ex transumpto litterarum Sigismundi regis de a. 1430 et 1635. In meu collectione. Idem privilegium transumptum a. 1431. per Stephanum Kwhinger

de Bathyna comitem et iudices nobilium comitatus Varasdiensis pro Benedicto filio Pauli de Komor, publicavit Wenzel: Cod. dipl. Arp. VIII. 170.

CMXLII. *1267.* Bela IV. rex manifestat, quod cum post multas lites quae inter Keminium, Reinoldum et Jak filios Ebed ex una parte et Ponyth filium Arnoldi ex altera suscitatae fuissent, partes in praesentia Philippi, archiepisc. Strigoniensis, Rolandi tunc bani totius Slavoniae et Mauritii magistri tavernicorum ex parte regis, patris Smaragdi archiepiscopi Colocensis, Ladislai voivodae Transilvani et magistri Vaas ex parte filii regis Stephani deputatorum, essent constitutae, idem Ponyth coram eisdem iudicibus convictus fuit de calumnia manifesta, quocirca dicti iudices portionem terrae dicti Ponyth in Nykh (Nyek?) adiudicarunt filiis Ebed. Rex tamen super huismodi poena calumniae eidem Ponith infligenda misericordiam fecerat hoc modo ut idem dictam terram a filiis Ebed nunquam repetere audeat, quod si faceret ex tunc tanquam manifestus calumniator sine ulla miserecordia puniretur. Qui cum postea de dicta terra dictos filios Ebed semel et secundo expulisset et iidem filii coram rege conquesti fuissent, decrevit rex eum nota calumniae puniri. Sed propter merita Chak bani comitis Saladiensis dilationem ei fecerat ut personaliter compareret. Sed cum ille non comparuit rex pro tribunali sedens cum baronibus Henrico bano totius Slavoniae, Laurentio Palatino comite Simigiensi Paulo episcopo Vesprimiensi et cancellario reginae Erney bano judice curie, Chak bano comite Saladiensi fratre eiusdem Ponyth etc. omnes possessiones ejusdem Ponyth adiudicavit filiis Ebed, nec non etiam Gregorio et Martino de Ond, Isep et Kenez de Succurod contra quos similiter convictus fuerat. Proclamatum fuit insimul ut ubicumque dictus Ponyth inveniri poterit, ad curiam regiam adduci debeat ut eidem pro vitio calumniae caracter imprimatur, qui iuxta regni consvetudinem calumniatoribus imprimi consuevit.

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. III. 384.

CMCLIII. *1267.* Bela IV. rex notificat, quod magister Mois comes Simigiensis et de Worosdino personaliter coram eo constitutus, Alexandro filio Alexandri fratre suo praesente et permittente, talem dispositionem de possessionibns suis fecerit: Quod in comitatu Simigiensi dominae uxori suae et suis filiabus dedit possessiones Igol, et duas villas Posonii item Burhud et Vzlar item in Derekche portionem suam, item ultra Drawam possessionem Bacha cum omnibus pertinentiis et cum Sudyn, Musina et Bokva, item possessionem suam Izdench, ita tamen si magister Mois decederet sine haerede masculo. Quam dispositionem rex confirmat. Datum per manus magistri Farcasii praepositi Albensis aulae vicecancellarii.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XI. p. 586.

CMXLIV. *1267.* Stephanus rex iunior Hung. dux Transilvaniae notificat, quod attendens fidelitates et merita Marci fratris Dominici Graeci quae idem a tempore pueritiae regis et suae in pluribus expeditionibus exhibuit, cum effusione sanguinis Graeci Dominici fratris sui qui sub tibia in castro Kynsberg per sagittam vulneratus vitam clausit dimicando, supradicto Marco terras castri Bachiensis Horlay et Keer duxit conferrendas. Praedictae autem terrae iacebant iuxta terram ipsius Marci haereditariam Irg (Irig) vocatam,

quae remanet ab oriente. Habent etiam commetaneum in quodam angulo episcopum de Kö (Sirmiensem), ab occidente nobiles de Scylbach ab aquilone vero abbatiam Belae fontis cum suis terris Buchke, Pyrusde, et Aranau.
Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. III. p. 416.

CMXLV. **Sibenici.** *1267.* Frater Joannes archiepiecopus Spalatensis ad petitionem Columbani Traguriensis episcopi Sibenicum accedens, quia clamor et fama de excessibus clericorum ibidem residentium ad eum pervenit, coram episeopo Traguriensi et Pharensi nec non Bartholomaeo quondam Scardonensi et fratribus G. abbate S. Stephani de Spalato, et Praedicatoribus et missoribus, veritatem diligenter fecit perscrutari, et culpas punivit delinquentium. Imprimis archipresbyter loci, quod longo tempore tenuit concubinam, et quia non evitavit, excommunicatus per episcopum suum, clericos sustinuit in sacris ordinibus constitutos contrahere matrimonium: Quia antiquam consvetudinem de nuptiis non servavit. Et quia illos qui incidunt in canonem pro absolutione ad episcopum ire non compullit. Jejunabit per tres annos omnes sextas ferias in pane et aqua et supendit ipsum ab omnibus beneficiis per annum, ab officio, usque ad pascha inclusive. — Item abbates S. Nicolai et S. Mariae de Insula quia carnes comederunt contra regulam S. Benedicti et quia sine monachis steterunt, jejunabunt decem sextas ferias in pane et aqua et legent X missas pro peccatis. — Item sacerdotes Tolco, Joannes et Michael pro eo quod in sacerdotio duxerunt uxores et genuerunt pueros, ieiunabunt sextas ferias in pane et aqua omnibus diebus vitae suae, et suspensi fuerunt ab officio et beneficio per tres annos. Et praecepit illis sub poena excommunicationis quod ab illa die dimittant suas uxores et deinceps non accedant ad eas, et si contrarium fecerint perpetuo sint privati ab officio et beneficio. — Item eandem penam iniunxit Michaeli diacono, Bogdano et Dobros subdiaconis qui in sacris ordinibus constituti uxores duxerunt et pueros genuerunt, Dobros autem qui se absentavit a visitatione debet comparere coram archiepiscopo ante carnisprivium. Insuper Primus et Streco diaconus quia ante sacros ordines duxerunt uxores ipsis cum suis uxoribus stare permissit, quia legitimum matrimonium iudicat archiepiscopus, sed eodem officiis et beneficiis perpetuo spoliat. Actum in praesentia. Columbani episcopi Trag. Dobronia, episcopi Farensis, G. abbatis S. Stephani et aliorum.
Lucius: Mem. di Trau. p. 80.

CMXLVI. **Venetiis.** *1268. 5. Januarii.* Reinerius Geno dux Venetiarum scribit rectoribus et communi Spalati, cum Draganus de Almisso cum uno ligno armato Nicolaum Blondum Venetum in aquis Slavoniae cum bonis et rebus suis coeperit his diebus, requirit eos, quatenus si contigerit viros de Almisso ad partes eorum accedere, eliberationem Nicolai et restitutionem bonorum ablatorum operam exhibere velint.
Lucius: De regno Dalm. et Croat. lib. IV. cap. IX.

CMXLVII. **Viterbii.** *1268. 24. Februarii.* Clemens IV. papa ad petitionem Columbani episcopi Traguriensis confirmat amicabilem compositionem inter eius ecclesiam cum clero ecclesiae Sibenicensis mediante archidiacono (Thoma) et capitulo Spalatensi factam.
Farlati: Illyr. sacr. T. IV. p. 353.

CMXLVIII. *1268. 15. Martii.* Capitulum Zagrab. ecclesiae notum facit, quod constitutis in eius praesentia ab una parte magistro Drisa lectore eccles. zagrab. et ab altera Georgio iobagione Cruciferorum de S. Martino, idem Georgius quatuor homines scilicet Pezk et Paulam uxorem eius, et filios eorundem Wlkek aetate maiorem et Martinum minorem, confessus est se vendidisse patri Tymotheo episcopo Zagrab. pro viginti quinque pensis denariorum Zagrabiensium quae quinque marcas tunc faciebant. Super quo cum praedictus Pezk uxor et filii eius fuissent requisiti, responderunt, quod dictus Georgius usus fuit debita facultate et potiut eos vendere, quia servi eius haereditarii extiterunt. Assignavitque praedictus Georgius iurisdictionem et proprietatem dictorum hominum et ipsos homines cum nasciturís ex eis domino episcopo.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 137.

CMXLIX. *1268. 17. Martii.* Maria regina Hung. notificat, quod cum suscitata questione inter comitem Gregorium filium Iuharus nobilem de Simigio ab una parte et populos reginae de villa Berin ex altera propter quandam terram ad septem aratrorum quam idem comes ab eisdem populis nomine suae terrae haereditariae de Iuharus occupatae ordine iudiciario requirebat, duellum adiudicatum inter partes extitisset; tandem constitutis in area duelli et certantibus pugilibus utriusque partis, mediantibus proborum virorum studiis compositio inter eos huiusmodi intervenit: quod Gregorius ipsam terram populis dimisit recipiendo viginti marcas titulo compositionis. Postea vero cum idem comes Gregorius, regni, reginae et Belae duci totius Slavoniae et Croatiae irreprehensibiliter servivisset propter haec servitia praestita dictam terram de beneplacito, conniventia, voluntate et consensu regio ac ducis Belae memorato comiti restitui fecit per Ipoth comitem seguestiensem. Cujus terrae meta seperat ipsam terram a terra Zimam et Osscenag, deinde per varias metas arboreas venit ad viam per quam itur ad Ziman deinde ad unum virgultum quod dicitur Mega (medja) deinde ad metas terreas Sceghatar, pervenit ad metas sub domo Gumulchin erectas et terminatur iuxta terram comitis Gregorii Iharus. Datum per manus Laurentii praepositi Scti. Irenei Sirmiensis aulae vicecancellarii.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VIII. 193.

CML. **Budae.** *1268.* Erney banus, judex curiae, comes castri ferrei, significat, quod in octavis cynerum Kemino, Reynoldo, Isaak filiis Ebed, Gregorio, Martino de Ound, Issep et Kenezio de Suchorod ab una parte, Cyak bano comite Zaladiensi, et Jacobo filio Ponich pro ipso Ponich ex altera, coram rege pro tribunali sedente, constitutis, idem Kemen et socii exhibuissent litteras iudiciales quibus ostenderunt eundem Ponich primo coram sex iudicibus, secundo coram ipso rege et baronibus de vitio seu nota calumniae iuris ordine fuisse convictum et omnes possessiones suas dicto Kemyno et sociis adiudicatas fuisse. Tandem ad petitionem regis iidem dicto Ponich adiudicatam poenam remiserunt, et ad petitionem eiusdem et domine regine et Chak bani comitis Zalad. fratris dicti Ponich, de possessionibus sibi adjudicatis restituerunt ipsi Ponik tres possessiones suas, Niczke videlicet, Lostag et Scuhorod in Sopro niensi et castri ferrei comitatibus existentes.

Fejer: Cod. dipl. T. VII. vol. I. p. 351.

CMLI. **Viterbii.** *1268. 31. Martii.* Clemens IV. papa Cosmae Saladini Jadrensi . . . Azonis Iustinopolitano, et Thomae Basilii catharensi civibus scribit, quod illos in syndicos et procuratores ministri et fratrum ordinis minorum provinciae Slavoniae constituerit.

Fabianić: Storia dei frati minori I. p. 415.

CMLII. *1268. 26. Maii.* Capitulum ecclesiae beati Petri de Posaga notificat, quod domina relicta Posa cum suis filiis Gregorio, Paulo, ac Nicolao ex altero matrimonio procreato ex una parte, Gregorius autem Kenezius ex altera praesentes confessi sint, quod idem relicta cum suis filiis Gregorio et Paulo terram suam inter rivulos Kenez et Dubouch potoka sitam, de consensu Nicolai filii sui et commetaneorum Cheh et Torda generis sui et Draas pro 50 marcis argenti Gregorio Kenezio vendiderit exclusa portione praedicti Torda generis sui. Insuper vendidit etiam vineam in territorio Cheh sitam. Meta terrae incipit iuxta Dobouech potok inferius domus Daras. Inde ad silvam Bok. Inde ad quoddam Kalysta, et pervenit ad aquam Chernecz et ad clausuram ipsius aquae ubi pisces capiuntur. Inde ad locum ubi fluvius Wrboycha iungitur fluvio Lukuy. Venit ad campum Trezcenapole et venit ad Dubouch potok et ad locum ubi cadit Zcophenikpotok in eundem Dubouch donec venit ad priorem.

Ex transumptis Caroli regis de annis 1317 et 1323 et capituli Bosnensis de a. 1400. Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis N. R. A. Fasc. 1502. N. 16. et 17.

CMLIII. **Viterbii.** *1268. 23. Junii.* Clemens IV. papa communicans archiepiscopo Jadrensi, cum abbas et monachi monasterii St. Cosmae et Damiani de Monte Jadrensi ord. S. Benedicti destinare curarunt, quod monasterium ipsum per incuriam et malitiam degentium in eodem in spiritualibus et temporalibus sit collapsum, humiliter postulabant ut ipsum cum membris de cisterciensi ordine reformare faceret, quorum petitioni annuendo mandat, si capituli assensus ad hoc accedat quatenus dictum monasterium cum membris de ordine cisterciensi monasterii de Topliza Zagrabiensis dioecesis reformet.

Theiner: Mon. vet. Hung. I. p. 293.

CMLIV. **Arbi.** *1268. 23. Augusti.* Temporibus Laurentii Teupolo ducis Venetiarum, Gregorii de Costizza, Arbensis episcopi et Marci Badoarii comitis, praesentibus Georgio quoddam Simonis et Joanne Nicolae. Cum dictus episcopus cum capitulo suo a communi Arbensi decimas non consuetas requirendo, rectores ac consilium civitatis sub interdicto posuisset, tunc Reste (prior.) ac iudices Hermolaus Matthei, Martinusius de Slaviga et Stephanus de . . . . . consiliarii Arbenses et universa communitas, sentientes se indebite aggravatos, tamen veluti devoti filii matris ecclesiae patienter sustinentes omnia pro firmo credebant, quod a gravaminibus indebite factis episcopus tandem desistere deberet, petentes ut eligentur presbyteri et viri tam clerici quam laici qui quaestionem debito fine definirent et ut circumstantium finitimorum Dalmatinorum tam communitatuum quam nobilium super hoc determinatio requiratur, sed cum hanc petitionem clerus non curavisset, reccurit communitas ad gradensem patriarcham Dalmatiaeque primatem. Martinusius de Sloviga judex et examinator manum misit. Marinus notarius scripsit.

Farlati: Illyr. sacr. T. V. p. 243.

CMLV. *1268. 23. Septembris.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis certificat, quod constitutis ab una parte Junizlao filio Diminuk, Wiatk(o) filio Lubizlay, Jacov filio Lubech, Lubizlao filio Gurdesa de Brochina ab altera vero Petro filio Radosi de Kenesapolja, idem Junizlaus cum suis quandam particulam terrae subtus Doluch contiguam terrae dicti Petri confessi sunt se vendidisse eidem Petro pro quindecim pensis denariorum Zagrabiensium, quorum singulae quinque pensae marcam tunc temporis faciebant. Cuius terrae prima meta incipit ab oriente a metis terrae Petri, Knesapolia, inde iuxta terram Radoan ascendit ad montem ad arbores hrazt, nucis, brest, cheresna et per varias alias metas ad fontem Grabrouch inde ad locum Zlatina inde iuxta metas Goztizlav filii Pribizlay ad priorem metam. Astiterunt commetanei Marc filius Marci comitis et Radoan supradictus.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex regni archivo ablatis. N. R. A. Fasc. 1532. Nr. 4. Habet quoque Wenzel: Codex dipl. Arpad III. pag. 222. XI. 579.

CMLVI. *1268. Ante mensem Octobris.* Bela Dux totius Slavoniae, Dalm. et Croatiae notum facit, quod accedentes ad eum Farcasius filius Damiani de genere Colchoch (Clochoch) ab una parte, Mathaeus abbas B. V. de Toplica ex altera, idem Farcasius confessus est, duodecim servos et ancillas, haereditarios suos, pro decem et septem marcis denariorum Zagrabiensium ipsi abbati vendidisse, quorum nomina sunt: Lyben et uxor eius Jurica, Radomer filius eorundem, Martisselay, Obrade, Mara, Martha, Lybysna (Ljubušna), Calcava, Voche, Vochiche et Davola. Confessus est etiam idem Farcasius alia capita servorum et ancillarum et quidem: Tomas et uxor ejus Canissevela, et Radosela, Radiscia, Lucia, Rupeko et uxor ejus Dragua, Tecana, Miluuana, Elena, Zerniche et Dobrina ipsi monasterio pro remedio animae suae dedisse. Datum per manus patris Ladislai episcopi tyniensis aulae ducis cancellarii. Ducatus anno primo.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 148.

CMLVII. **Viterbii.** *1268. 3. Novembris.* Clemens IV. papa transfert Aleardum archiepiscopum Ragusinum ad sedem archiepiscopatus arboreacensis in Sardinia.

Farlati: Illyr. sacr. T. VI. p. 110.

CMLVIII. *1268.* Bela IV. rex significat, quod cum considerata fidelitate comitis Sagud, militis Henrici palatini et comitis Posoniensis, eidem terram cuisdam Mikonis sine haerede decedentis in comitatu simigiensi de Chesmicza iuxta fluvium Gorbonok existentem contulisset more praedialium habendam. Sed quia postmodum ipse Sagud circa ipsum palatinum commorando regi plurima servitia exhibuit, multis se fortunae casibus in expeditionibus regiis et conservatione confiniorum committendo, terram praedictam a jurisdictione comitis Simigiensis et de Chesmicza eximendam duxit ei libertandam ita, quod nec ipse nec ejus haeredes ratione ipsius terrae in aliquo ipsis comitibus teneantur sed solummodo filio regis Belae duci (Slavoniae) servitium debeant exhibere. Datum per manus magistri Farcasii electi ecclesiae Albensis aulae vicecancellarii.

Copia recens in mea collectione. Eiusdem Sagud nepotes Stephanus et Petrus filii Bodor filii Sagud nobiles de Gorbonok in documentis de a. 1332. et 1334.

CMLIX. *1268.* Bela IV. rex notum facit, quod licet comes Panith filius Arnoldi de genere Buzad per falsam suggestionem quorundam inimicorum suorum erga ipsum regem in pluribus delatus extitisset et obhoc in indignationem regiam incurisset et per publicam macihnationem iniquo iudicio in damnationem personae et ablationem possessionum condemnatus fuisset, verum quia idem rex Bela a praelatis et baronibus ac regni nobilibus palam et occulte veritatem inquirendo certo certius ipsum comitem Ponith in praemissis delationibus innoxium et immunem esse conperisset, ideo indignationem suam ei remittens ipsum ad suam gratiam recepit specialem, volens et statuens ut eidem comti possessiones suae haereditariae in specie Senthtrinitas, Kakonya et Rakatya restituantur.

Cod. dipl. patrius VII. p. 109.

CMLX. *1268* Bela IV. rex notificat, quod cum ei relatum fuisset quod terrae conditionalium suorum et castrorum per quorundam indebitam occupationem essent alienatae, exmisit Paulum episcopum vesprimiensem ad restituendas terras, qui cum ad comitatum Symigiensem pervenisset, propter quaerimoniam quorundam castrensium de Mogorey ad terram eorum Mogorey accedere procuravit, procedens cum Barnaba maiore exercitus regii et Endre maiore castri praedicti, qui episc. invenit dictam terram esse mixtim cum haereditaria comitis Joannis filiis Isip, et cum eandem per metas separare voluisset dictus comes Joannes petiit ut factum terrae castrensis examini transmittet decidendum. Attamen dixerunt castrenses quod idem comes Joannes petiit ut factum terrae castrensium examini transmittet decidendum. Attamen dixerunt castrenses quod idem comes Joannes tantam haberet portionem in Mogorey quantam et ipsi. Praefixo termino ad causam dedicendam advenerunt comes Johannes ab una parte, ab altera vero Barnabas et Endre comites cum castrensibus Scenke, Ivanka, Pentek et Benke, de villa Mogorey, postulavit Iohannes comes, ut pro morte patris sui tunc temporis magistri pincernarum regis Colomani, qui (pater) per Tartaros in fine pontis fluvii Seyov sub vexillo eiusdem regis Colomani extitit interemptus, ubi idem comes Joannes sub eodem vexillo per hastam eorundem Tartarorum in pede sinistro mortalem pertulit laesionem, memoratam terram eius haereditariae Zerrae adiacentem sibi conferre a rege postulavit. Rex igitur annuit petitioni ex eo, quod tam pro morte patris sui quam pro effusione sui sangvinis petitio ipsius, licet modica tamen iustissima fore videbatur, eique dictam terram contulit in perpetuum. Meta autem terrae prima de insula et prato Balatini, vadit versus villam Okch procedit ad terminos terrarum S. Egidii de Symigio et castrensium de villa Kulked. Per varias metas descendit ad vallem Rodnuk in qua est fluvius et cadit in magnam paludem Balatinum.

Cod. dipl. patrius. T. III. p. 14. Eidem Johanni filio Isip de Mogor contulit ob eius strenua facta in bello contra Ottocarum regem et Henricum banum exhibitas Stephanus et Ladislaus rex plures litteras donationales vid. p. 18, 27, 28, 30. Andreas quoque III. rex Trebko et Joanni filiis Joannis de Mogoroy p. 40.

CMLXI. *1268.* Bela dei gratia dux totius Slavoniae, Dalmatiae et Croatiae notificat, quod cum Demetrius, Marcus, Pribk, Chornouch et Prybineg et alii cognati eorum de Soztowych, populi castri Crisiensis, Abraam, Bartholomaeum et Dominicum filios condam Bartholomaei coram duce convenissent conquerendo quod iidem tertiam partem terrae Soztovych detinerent indebite occupatam, praedicti autem Abraam et fratres responderunt eandem terram ex gratia ejus patris regis Belae IV. donatam habere producendo privilegium ejus, quo inspecto et diligenter examinato dux cum baronibus regni sui, H(enrico) scilicet bano Slavoniae, Dyonisio comite Zaladiensi, iudice curiae suae, magistro Baag comite de Dobycha et aliis baronibus et nobilibus regni sui decrevit ipsam tertiam partem terrae Goztowych dicto Abraam et fratribus perpetuo relinquendam esse. Uni autem ex calumniatoribus et falsificatoribus Demetrio scilicet, qui assari debebat pro litis refricatione, ad peticionem aliquorum baronum parcens, partem capitis sui abradi fecit in signum opprobrii et memoriam ulcionis. Datum per manus Ladislai episcopi Tiniensis aulae ducis cancellarii.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VIII. 203.

CMLXII. *1268.* Bela dux totius Slavoniae, Dalmatiae et Croatiae, transsummens donationem Belae IV. regis nobilibus de Soztowich factam, edicit quod inspexerit tenorem eiusdem privilegii cum baronibus regni sui, Henrico videlicet bano Slavoniae, Dyonisio comite de Zalad, judice curiae suae, magistro Baag comite de Dobycha et aliis baronibus et nobilibus regni sui, qui ei assidebant. Datum per manus Ladislai episcopi Tyniniensis aulae suae cancellarii.

Fejer: Cod. dipl. Hung. XI. p. 408.

CMLXIII. *1268.* Bela dux totius Slavoniae Dalmatiae et Croatiae cum post suam emancipationem per patrem suum regem Belam regimen ducatus adeptus fuisset, confirmavit ad petitionem magistri Thomae familiaris et specialis notarii regis collationem terrae Kumur in Zagoria factam a patre suo eidem et Thomae et fratribus eius Joanni juveni ducis, Christophoro Paulo et Stephano. Datum per manus Ladislai episcopi Tiniensis aulae ducis cancellarii. Ducatus anno primo.

Ex mea antiqua collectione.

CMLXIV. *1268.* Bela dei gratia dux totius Slavoniae, Dalmatiae et Croatiae notificat, quod cum Borizlav, Vulchk, Stepan, Vytku, Wulchyk filius Rese, Vulchey filius Drask, Dragislav, asserendo se esse castrenses castri Zagrabiensis, convenissent Martinum jobagionem castri praedicti super terra Blagusa, dicendo eam esse suam haereditariam et fuisse ab antiquo a suis progenitoribus possessa, et iidem Berizlav et socii requisivissent ipsam terram ordine iudiciario, quam interim contra eos iustificasset coram Alexio bano prout in litteris Alexandri bani (vicebani?) et bani Stephani bonae memoriae confirmatoriis continetur. Demum cum iidem supradicti coram Rolando bano questionem super Blagusa suscitassent, iterato per sententiam ipsius bani et aliorum baronum calumniatores remansissent, sicuti litterae Rolandi bani attestant (vid. 1261). Unde cum dictus Martinus dictam terram iustificerat semel et secundo adiudicata est ei per ducem una cum baronibus Henrico

bano, Dyonisio comite zaladiensi judice curiae ducis, magistro Baas comite dobicensi et aliis nobilibus regni. Praedicti antem Berislans et socii qua iterati calumniatores licet secundum regni consvetudinem eorundem calumniatorum nasi ferro candenti signari debuissent, tamen ad instantiam baronum eis misericordia facta, duobus ex ipsis Berizlao et Vulchk abscidi fecerunt crines suos, terram Blagusa Martino relinquendo. Datum per manus Ladislai episcopi tynniensis aulae ducis cancellarii.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 137.

CMLXV. *1268.* Bela IV. rex commendat memoriae, quod cum Demetrius Marcus, Pribk, Chornouch et Pribenuk ac alii cognati eorum de Goztoyg populi castri Crisiensis, Abraam, Bartholomaeum et Dominicum filios comitis condam Bartholomaei, super tertia parte terrae Guztowyg (sic), quam idem comes usque dum vixit ex regia donatione pacifice possederat, coram rege traxissent in causam, tandem quia ex tenore litterarum Stephani quondam bani totius Slavoniae, qui ipsam tertiam partem dicto comiti in praedicta terra statuerat, comperitur eandem terram Guztoyg fuisse castrensis et populos etiam esse castri praedicti, et propter quod poterat rex ipsam terram sine iniuria alieni juris dicto comiti conferri, ideo dimisit dictam tertiam partem ipsius terrae porro quoque filiis comitis Bartholomaei irrevocabiliter possidendam. Datum per manus Farcasii vicecancellarii.

Ex archivo camerali Budensi. Cod. dipl. Arpad VIII. p. 190.

CMLXVI. *1268.* (Joannes V) archiepiscopus Spalatensis facit testamentariam dispositionem qua mediante terram octo aratrorum Polona dictam inter Dravum et Muram fluvios situatam fratri suo comiti Lanchreto legat.

In archivo camerali Budensi. N. R. A. Fasc. 516. N. 45.

MCLXVII. *1268.* Chak banus, comes zaladiensis, Pausa comes, Henricus, Goganus, Vyd, Valentinus et Buchk(o) iudices a rege deputati notificant, quod cum Bela rex Ungariae et Bela dux Slavoniae ipsis missis, terram nobilium per totum . . . duxerint revocandam et restituendam, terram nobilium de Zala, de castrensibus, de udvornicis, de populis reginae, de populis Belae ducis et de populis ecclesiarum occupatas, manumiserint restituendas. Hi igitur exmissi, didicerunt quod : terra Laduslai et Stephani filiorum Petri et Pauli et aliorum fratrum nobilium de Bocha 80 iugera continens, per castrenses de Bocha et sagittarios de Hazugd indebite occupata sit, quam terram eis restituerunt. Meta prima incipit iuxta fluvium Buchca, vadit per nemora ad aquam Plyzg et per eandem separatur a sagitariis de Hazugd.

Ex autographo familiae Skubličianac, Janković et Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. III. p. 485.

CMLXVIII. *1268.* Chak banus comes Zaladiensis, Pousa, Henricus, Vyd, Goganus, Valentinus et Buchk(o) judices a domino rege super restitutione terrarum in comitatu Zaladiensi deputati declarant, quod cum Bela rex et S. (Bela) per dei gratiam dux totius Slavoniae eius filius decreverint, ut possessiones quaelibet nobilium per totum regnum pristinis possessoribus restituerentur, convocatis omnibus qui ad hoc fuerant convocandi et tactis

sacris evangeliis invicem obligati ad exequendum mandatum domini regis et ducis Belae processerunt in negotio ubi inter caetera terram Dominici filii Mour et fratrum de propria haereditaria terra Kezy per castrenses de Kezy indebite occupatam invenerunt, eisque restituerunt.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VIII. p. 208.

CMLXIX. **Jadrae.** *1269. 11. Januarii.* Temporibus Laurentii Theopoli ducis Venetiarum, magistri Laurentii archiepiscopi Jadrensis, Thomasini Justiniani comitis Helias Rubeus filius quondam Stançi habitator Jadrae cum suis haeredibus facit plenam securitatem Grubae de Ritesa babitatori Jaderae de solidis venetiarum grossis decem, quos persolvit pro praesenti anno in rationem debiti solidorum veneticorum grossis quadraginta. Testes Marcus plebanus S. Mariae majoris, Gregorius Scestagiseli et alii. Ciprianus de Cancanaro examinator manum misit, Vincentius S. Maria majoris clericus et Jadreae notarius scripsit.

Orig. membr. in meis miscellaneis Dalmatinis.

CMLXX. *1269. 17. Januarii.* Capitulum ecclesiae zagrabiensis notificat, quod constitutis coram eo Chech comite, filio Pochuna comitis ab una et Stephano et Puchin filiis Mortun jobagionibus castri de Worosd ab altera parte, asseruit comes Cheh, quod habuerit materiam questionis contra dictos filios Martini super terra ipsorum apud Sanctum Grergium, sed renuntiavit omni liti relinquens terram dictis jobagionibus.

Cod. dipl. patrius VI. p. 155. Ex archivo comitum Drašković.

CMLXXI. **Zagrabiae.** *1269. 17. Januarii.* Bela dei gratia dux totius Slavoniae, Dalmatiae et Croatiae notum facit, quod cum relicta Pribislai comitis nomine Lilium, assistentibus generis suis Egidio filio Berislai, Alexandro filio Cremae de genere Tyboldi, et Ivan filio Salamonis traxisset in questionem capitulum Zagrabiense impetendo eos super quatuor villis: Casna superiori, Blagusa, novo praedio et insula cum portu in Zava. Tandem propter bonum pacis talis forma compositionis inter partes facta, quod capitulum pro eo quod progenitores relictae Pribislai ecclesiae fideliter serviverint et ab eadem ecclesia enutriti fuerint et educati, solverunt eidem relictae Pribislai triginta quinque marcas et suis generis unicuique decem et octo marcas. Affuerunt Mathias filius Borch, nepos Kinciani, filius filiae suae Annae, qui similiter habuit viginti marcas ex parte capituli ratione quartae contingentis matrem suam filiam Kinciani.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 138.

MLXXII. *1269. 14. Februarii.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis significat, quod cum pater Timotheus episcopus Zagrab. nobiles viros Farcasium filium Tholomerii, Stephanum filium Belus et Cozmam filium Pridislai de Kamarcha excommunicasset pro eo, quod decimas suas in specie solvere recusabant. Et idem nobiles postmodum Zagrabiam accedentes in loco capituli ab eodem episcopo munus absolutionis peterent. Tandem idem episcopus eorum et capituli precibus inclinatus, eos ab excommunicatione absolvit et dicti nobiles assumpserunt sacris tactis, quod si magister Petrus praepositus Chasmensis et concanonicus super hoc quod decimas in specie solvere teneantur prae-

staret sacramentum, extunc decimas in specie solverent. Termino adveniente misso magistro Petro dicto Pulchro archidiacono Vrbouch pro testimonio ad curiam episcopi, rediens ille dixit, quod dicti nobiles praeposito Chasmensi in loco sacramenti, videlicet in ecclesia beatae Margaretae in Dumbrou astanti et volenti iurare, sacramentum remisserunt recognoscentes se decimas in specie solvere debere.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 139.

CMLXXIII. **Zagrabiae.** *1269. 7. Martii.* Detricus comes Zagrabiensis notum facit, quod constitutis ab una parte Endrech terrestre comite, et ab altera Zork, Descen, Crican filius Zvek (Zork?) iidem quandam particulam terrae in Zepnicha confessi sunt se vendidisse Endrech comiti supradicto pro 15 pensis denariorum Zagrabiensium, quorum singulae quinque pensae marcam tunc temporis faciebant. Astiterunt commetanei terrae venditae: Micula, Micus et Stephanus filii Nicolai et consanguinei venditorum et Cherne nepos Bulezod, Iwris, Georgius, Gozeina, Ivanech et Drugoyk, qui venditionem approbarunt. Meta terrae incipit iuxta ripam fluvii Zepniche et pervenit in locum ubi duo fluvii Zepniche cadunt in unum. Inde ascendit ad montem et venit ad finem vineae Branizlai iobagionis Petri cantoris. Transit viam quae ducit ad ecclesiam s. Petri et terminatur.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. pag. 140.

CMLXXIV. *1269. 9. Aprilis.* Bela IV. rex manifestat, quod cum ille pro contumacia ac propter devastationem terrae de Mocho (Mačva) in auxilium nepotis sui Belae ducis, contra Wros regem Serviae suum exercitum destinasset, fidelis iuvenis Michael filius Petri de genere Chak in conflictu ipsius regis contra oppositam aciem fortiter dimicavit, laetale vulnus excipiens, sicut etiam per ducem Belam regi constitit, ut idem Michael in ipsa area certaminis, duos barones, videlicet generum eiusdem Wros et filium magistri tavernicorum suorum captivasset, quos cum armis militaribus et dextrariis valentibus regi praesentavit. Quorum veritas per filiam regis Annam ducissam et nepotem suum Belam ducem de Macho ei fuit revelata. Qui cum per regem fuissent inquisiti, retulerunt, ut cum Michaele in octigentis marcis convenissent se redempturos, de quibus etiam idem Michael crucem pretiosam de ligno domini ad visum Belae ducis recepisset, quam cum rex una cum regina consorte sua inspicere requisivisset, ipsam crucem vidit continere de ligno domini longitudinem unius palmae et dimidiae, latitudinem vero unius palmae, formatam in auro decem marcarum, pretiosis gemmis et lapidibus mirabiliter ordinatam, estimantes in valore quingentas marcas auri lapidum et gemmarum. Quam cum rex ab eodem Michaele una cum captivis suis in pecunia redimere voluisset, dare recusavit nisi per donationem vel per concambium possessionis. Ad hoc contulit ei rex pro concambio terram Erdeuchucana prope villam Vyssunta in comitatu Symigiensi, prope praedium regium de Segust. Item terram Udvornicorum et Buchariorum regiorum de Nywyn cum aliis multiplicibus villis.

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. III. 190.

CMLXXV. *1269. Mense Aprili.* Bela dux totius Slavoniae, Dalmatiae et Croatiae notificat, quod attendens merita et servitia Johannis comitis de ge-

nere Drusina et magistri Stephani ensiferi sui, quae iidem ei et regno ac alias fideliter impenderint se et suos dubiis fortunae casibus exponendo, cum in recompensationem multiplicium servitiorum eorum pro modico reputat id quod eis de praesenti dedit, respectu eorum quae facere intendit in futurum, villam Gara in comitatu de Wlco ad eius donationem pertinentem, praefatis et eorundem haeredibus iure perpetuo contulit possidendam. In cuius corporalem possessionem ipsos per Dominicum comitem de Barana introduci fecit. Datum per manus Ladislai episcopi Tininiensis aulae ducis cancellarii.
Fejer: Codex dipl. T. IV. vol. III. p. 64.

CMLXXVI. **Ravennae.** *1269. 30. Aprilis.* Philippus archiepiscopus Ravennatensis et ap. sedis legatus confert Andreae Ganzono canonico Paduano administrationem archiepiscopatus Ragusini cum illum ipsius ecclesiae capitulum duxit in suum archiepiscopum concorditer eligendum.
Ex bullario Ragusino p. 408.

CMLXXVII. *1269. 22. Maii.* Capitulum ecclesiae zagrabiensis notum facit, quod constitutis ab una parte Wratizlao filio Jacov et ab altera Iwanca comite, genere eiusdem pro se et Jacobo fratre suo, idem Wratislaus filiis suis Benedicto, et Dominico, et Noreta, fratre ipsius Wratizlai, portionem suam divisionis factae inter ipsum et Noretam in terra quam rivus Batina interfluit, confessus est se vendidisse praedicto Ivanca comiti et Jacobo fratri pro viginti duabus marcis. Prima meta terrae incipit ubi rivus Climen coniungitur aquae Batina, versus orientem procedit iuxta magnam viam quae via exercitus vocatur. Transiens eam venit in vallem et intrat rivum Zvinna. Per varias metas venit in rivum Megepotok. In septemtrione procedit in latere montis Birch et venit ad aquam Batina et revertitur ad primam. Astiterunt de genere Johannis pugilis de Zagoria, commetanei terrae Paul et Ivanus filii Mortunus, Dursan filius Ratk(o) et Ozul filius Stephani.
Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 141.

CMLXXVIII. **Ragusii.** *1269. 4. Junii.* Praesentibus Andrea de Zerenia, Marino filio Titi, Sorgo Pryredan, Matthei, nobilibus de Ragusio et aliis, praesbyter Donatus S. Hieronymi de Venetiis, praesentavit litteras Philippi archiepiscopi Ravennatensis et legati apostolici directas ad capitulum Ragusiense in quibus insinuat eis quod Andreae Gauponi in archiepiscopum Ragusiensem per illos electo, administrationem archiepiscopatus contulerit.
Ex bullario Ragusino p. 409.

CMLXXIX. **Spalati.** *1269. 20. Junii.* Temporibus Belae Slavoniae ducis et domini nati, Johannis Spalatensis archiepiscopi, Nicolai comitis, potestatis, dictus archiepiscopus locum fratrum Praedicatorum in horto archiepiscopali positum, a praedecessoribus ejus fratribus collatum, arctum esse prospiciens, assensu civitatis, eum de novo donatis terris amplificat. Eosque ipse cum archidiacono Duymo et capitulo in possessionem introducit et per notarium civitatis Lucam canonicum publicari fecit. Testes Joannes Vitalis, Petrus Cernecha, Albertus Jancii, Dobre Dusazzae, Gaus . . . Kamurtius Petri, Marinus Gaudii, Dobre Madii, Lucas Jancii, Joseb Petri Vulcinae, Simon Martini examinator.
Farlati: Illyr. sacr. T. III. p. 284.

CMLXXX. *1269. 22. Junii.* Bela IV. rex notum facit, quod Nicolaus filius Andreae et Petrus filius Petri ab una parte, comes Gregorius iudex Cumanorum, Thomas et Stephanus filii Thomae fratris eiusdem comitis Gregorii ab altera, nobiles de Monuzlo eoram nobis personaliter constituti, iidem Nicolaus et Petrus dixerunt, quod inter se a primaevis parentibus, atavis et progenitoribus suis, in universis possessionibus suis, tam de partibus Hungariae tum etiam de partibus Slavoniae (non) habuissent iustam et aequam divisionem, nec habere potuissent, licet in una et in eadem proximitate et consanguinitatis linea sunt annexi, sed idem comes Gregorius cum fratribus suis totas possessiones eorundem iniusta divisione et inequali haberent et detinerent occupatas. — Dictus autem comes Stephanus et fratres sui e converso responderunt, quod ab atavis, primis parentibus et progenitoribus suis in omnibus possessionibus suis essent divisi, habendo divisionem iustam et equalem, et licet materia litis in facto possessionum inter dictos nobiles diu fuisset mota, nihilominus cognoscentes lineam proximitatis et cognationis et fraternae dilectionis et ob amorem bonae pacis altercari nolentes, praefatus comes Gregorius cum fratribus, quasdam possessiones de partibus Slavoniae haereditarias inter aqua Zaua et Lona et Chernech et inter aquam Zava et Hodra existentes cum omnibus pertinentiis, et Kapolcham, quae Gaep dicitur, in medio terrae et silvae praefati Petri iuxta primam divisionem adiacentem remittentes, dederunt et tradiderunt, Nicolao et Petro supradictis in perpetuum possidendas, quam divisionem rex annuit et roboravit.

Cod. dipl. patrius. VII. p. 116. ex actis com. Erdödy Galgoczam ablatis.

CMLXXXI. *1269. Mense Junio.* Paulus praepositus et capitulum Quinqueecclesiense notum faciunt, quod Vrbanus filius Pobrad terram haereditariam suam iuxta Wasca ad usum 5 aratrorum sufficientem, de consensu Pousa filii Gwoh, Martini filii Kolion, et Demetrii cognatorum suorum vendiderit patri Timotheo episcopo Zagrab. pro 30 marcis argenti. Pro ipso episcopo astitit Thomas filius Thampa. Meta autem terrae incipit de Drava in duabus metis terreis, in commetaneitate Cruciferorum de Nowak. Deinde per varias metas terreas et arboreas cadit in magnam viam exercitualem. Exinde venit ad foveam vulpinam et iterum per varias metas terreas et arboreas ad finem.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 142.

CMLXXXII. **Budae.** *1269 1. Augusti.* Henricus banus totius Slavoniae significat, quod comes Gregorius iudex Cumanorum, Thomas et Stephanus filius Thomae ab una parte, Nicolaus filius Andreae, Petrus filius Petri ab altera nobiles de Monuzlo (Moslavina, Monoslovina) personaliter constituti, exhibuissent ei privilegium regis Belae cum instantia ut iuxta ipsum suas litteras testimoniales dari faceret, quorum petitioni banus annuit, privilegium regis transummi fecit et suum testimonium addidit (vide privilegium Belae de 22. Junio 1269).

Cod. dipl. patrius VII. p. 116. Ex actis com. Erdödy Galgoczam ablatis.

CMLXXXIII. *1267. 20. Septembris.* Capitulum ecclesiae zagrabiensis notificat, quod constitutis coram eo ab una parte filio Beruwey, Jacus scilicet, cum suo consanguineo, Draxa filio Woyk, iobagionibus castri Crisiensis, et ab altera Bochou, serviente Andreae comitis de Noack filii Nicolai bani, vice et

nomine domini sui, idem Jacus vineam suam in terra Kemluk in circuitu vinearum Andreae comitis vendiderit eidem pro 26 pensis denariorum Zagrabiensium, quorum singulae quinque pensae marcam tunc temporibus faciebant.

Orig. membr. ex actis per banum Khuen-Hedervary e regni archivo Pestinum ablatis. N. R. A. Fasc. 465. N. 20.

CMLXXXIV. **Viterbii.** *1269. 24. Septembris.* Philippus Strigoniensis et Stephanus Colocensis archiepiscopi, Lampertus agriensis, Paulus Vesprimiensis, Philippus Vaciensis, Lodomerius Varadiensis episcopi significant eos et omnes episcopos regni Ungariae recepisse literas apostolicas Clementis IV. papa in quibus illis insinuat, quod barones et alii nobiles regni, sicut ad eius pervenit auditum, in praeiudicium libertatis ecclesiasticae duxerant statuendum ut decimae non solverentur ecclesiis iuxta morem et consuetudinem, quod et reges Bela et Stephanus confirmarunt corporali praestito juramento, quod illud statutum hoc observari vellint. Mandat igitur eis papa, ut statutum regni et sacramentum regum pro irrito et innani declarant et reputant, et cum excommunicatione seu interdictis, communiter vel divisim libertatem ecclesiae defendant.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 143.

CMLXXXV. *1269. 3. Octobris.* Bela IV. rex orbatus filio suo carissimo Bela illustrissimo duce totius Slavoniae et per eius mortem telis sauciatus amaritudinis sempiternae, Ecclesiam S. Michaelis archangeli Vesprimii, a se multipliciter damnificatam, in integrum restituit.

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. III. p. 495.

CMLXXXVI. *1269. 21. Decembris.* Bela IV. rex commendat memoriae, quod ad conquestionem comitis Andreae fratris magistri Petri praepositi Chasmensis, quod terram suam haereditariam Lepled in comitatu Simigiansi ipso comite Andrea in aetate tenera constituto ab ipso auferendo, patri Samsoni episcopo Nonensi rex ignoranter dedisset, questionem utrum haec terra Lepled Andreae haereditaria fuisset nec ne, Johanni filio Isep, Gregorio filio Iharus, Stephano filio Ders et Dedus comitibus commisit inquirendam, qui nobiles rescripserunt: eandem terram praefati comitis Andreae revera haereditariam extitisse. Rex de hoc certificatus decreverat, quod post mortem Sampsonis episcopi ipsa terra devolvetur in ius praedicti Andreae, idem autem episcopus quoad viveret eandam pacifice possideret; verum postmodum retulit regi ipse Andreas, quod cum Bela dux totius Slavoniae, Dalmatiae et Croatiae felicis recordationis filius regis, per litteras suas eundem episcopum et comitem Andream permisisset inter se ad pacem reformandam super facto terrae Lepled (complanari). Praefatus enim Samson episcopus adhuc vivens, sciens veraciter ipsam terram fuisse et esse comitis Andreae haereditariam, coram capitulo Zagrabiensi dictam terram ipsi Andreae pure et simpliciter resignavit. Rex igitur tam factum Belae ducis quam resignationem dictae terrae per Samsonem episcopum confirmavit. Cuius terrae prima meta incipit a domo ipsius episcopi in terra sua empticia aedificata et incidit in unam fossam per quam vadit ad magnam viam et in eadem lata via vadit in occidentem ad aliam viam quae ducit de Scothmar et per ipsam transit silvam

Ronna et postea in terra vulgariter Humuk dicta, et venit in viam Inke, deinde super viam Weysa versus orientem et ex parte terrae Albensis ecclesiae ad caput Ronnae fluvii ad silvam Malk et iuxta terram Butka comitis vadit ad caput fluvii Noar ad praedictam terram episcopi, quam a Peturka comite comparavit.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad VII. 228.

CMLXXXVII. *1269. 22. Decembris.* Bela IV. rex notificat, quod cum sanctiferi populi et jobagiones episcopi Zagrab. in quatuor vilis: Vertus, Elias, Budun et Tikud in comitatu simigiensi existentes, per continuos descensus baronum et comitum simigiensium ac per curiales comites eiusdem conquererentur se fuisse plurime aggravatos, ad instantiam Timothei episcopi Zagrabiensis dictis populis talem gratiam duxit faciendam, quod nullus baronum descensum super eosdem praesumat facere violentum, quodque comes simigiensis et curiales comites in nullo casu eos valeant iudicare, reservando eos regio et episcopali iudicio. Datum per manus magistri Demetrii, Albensis praepositi aulae vicecancellarii.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 144.

CMLXXXVIII. *1269. 22. Decembris.* Bela IV. rex notificat, quod Timothaeus episcopus Zagrabiensis exhibuit ei privilegium Andreae regis et patris sui sub bulla aurea super praediis, possessionibus, terris et libertatibus ecclesiae Zagrab. (vide ad a. 1219) pro confirmatione, rex igitur confirmat illud, concedens ad instar praedecessorum suorum: quod banus in nullo casu populos ecclesiae in Banatu constitutos ratione descensus vel occasione alicuius iurisdictionis praesumat molestare, nullusque baronum audeat descensum violentem recipere. Ceterum cum in populis ecclesiae in temporibus retroactis nulla collecta fuerit, rex autem tempore nuptiarum filii sui felicis recordationis Belae ducis collectam septem denariorum exigi fecisset et postmodum aliquot annos recepisset, ob reverentiam S. Ladislai regis, qui est fundator ecclesiae, pro remedio animae filii sui Belae ipsam collectam relaxat.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 146.

CMLXXXIX. *1269.* Belae IV. rex notificat, quod cum civit. Zennye et comitatum de Gachke qui domui militiae templi Jherosolomitani parebat, reges antecessores eius in forma compositionis pro se recepissent, dando eidem domui viceversa comitatum de Dubicza cum omnibus pertinentiis pleno iure et nominatim cum mardurinis, et descensu bani vulgariter Zulusina vocata, collectaque per totam Slavoniam ratione lucri camerae exigi consuetam, vult eos porro quoque in dicto comitatu et libertate conservari. Meta autem ipsius comitatus incipit, ex parte Smerzenicha et eundo de Zava ubi Pukur cadit in Zavam. Inde per ipsum Pukur ad orientem in locum ubi Ozyw-puker cadit in magnum Pukur. Per magnum spatium exit ad Kossachyana fluvium. Transiendo fluvium ad locum Kalysta. Inde ad fluvium Reueneche et per medium villae Vrachiche, iuxta silvam cadit ad fluvium Velyke (etc. mancum).

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. III. p. 506.

CMXC. *1269.* Bela IV. rex significat, quod cum populi Thymotei episcopi Zagrabiensis in comitatu de Vrbaz existentes per continuos descensus

baronum et per comitem de Verbaz, ac per curiales comites ejusdem, se conquerant fuisse plurimum aggravatos, ad petionem ejusdem episcopi talem gratiam duxit faciendam, quod in antea nullus baronum descensum super eosdem praesumat facere violentum, concessit quoque quod comites de Vrbaz vel ejus curiales comites in nullo casu eosdem valeant iudicare, prout libertas aliorum populorum eiusdem episcopi id requirit. Datum per manus magistri Demetrii praepositi Albensis, aulae vicecancellarii.

Tkalčić: Mon. civit. Zagr. I. p 164.

CMXCI. *1269.* Bela dux totius Slavoniae, Dalmatiae et Croatiae notificat, quod cum Bora filius Hlapunae cum proximis suis de Kenese pula Voyhna filius Vytalus, Zoryzlo filius Ozor cum proximis eorum de Borycha. Buzete filius Brack, Poznan filius Voyhna, Grabuch filius Drasegk cum cognatione corum de Povnyna, Raduna filius Chornog, Gyrd filius Vozlo, Zyvenk filius Zorran cum cognatis suis de Scitar, Gorivolk filius Dragubrat, Jacus filius Branizlo, Obrad filius Stepk cum proximis suis, Elya filius Stavlen, Pelyna filius Vratyn cum proximis suis de Rychicha. As . . . Baas et Heynch filii Perxich, coram et contra eosdem proposuerunt, quod ipsi fuissent jobagionis castri in terra Vodichan, et filii Babonig ipsam terram Vodichan a castro usurpatam detinerent violenter indebite eam occupantes. Ad que praefati filii Babonig responderunt, quod praedicta terrae Stephano de Goricha avo suo ipsorum per magnum (seniorum) Belam regem collata extitisset, ac per Henricum ac Belam regem patrem ducis collatio confirmata, super qua collatione haberent et privilegia dictorum regum; quorum privilegiorum transcriptum sub sigillo abbatis de Lonstraht (Landstrass), ubi ipsa dicebant esse deposita praesentarunt. Sed quia huismodi exhibitio privilegiorum sufficere non videbatur Ivan comiti de Prodanyz, magistro Buzae, cantori ecclesiae Zagrab. et magistro Petro archidiacono eiusdem ecclesiae datum est in mandatis quod inspicientes ipsa originalia et transcribi facientes ipsum transcriptum duci transmitterent, quod et factum est et per ducem praesentibus baronibus et nobilibus regni sui privilegia perlecta sunt, ex quibus veritatem assertionis filiorum Babonig agnoscendo dux praedictus terram Vodichan eisdem de novo confirmavit, ea cum clausula, quod si jam dicti Bora, Voyhna, Ruzeta, Raduna et ceteri superius nominati super ipsa terra Vodychan contra filios Babonig vel suos haeredes aliquo tempore moverent questionem ipso facto pro calumpniatoribus et litis refractoribus habeantur. Datum per manus Ladislai episeopi Tinniniensis aulae ducis cancellarii.

Ex archivo comitis Lud. Blagaj. N. 5. Rad. Lopašić.

CMXCII. *1269.* Bela dux totius Slavoniae, Dalmatiae atque Croatiae cum olim inter Belam IV. regem patrem ipsius, nomine eius, utpote ad quem iure geniturae ducatus Slavoniae, Dalmatiae atque Croatiae pertinere dinoscuntur ex una parte et magistrum et fratres Templi in partibus antedictis ex altera, suscitata materia quaestionis super civitate Scenniae et possessione de Gechke fuisset diutius per procuratores in apostolicae sedis curia disceptatum, tandem fratre Francone praeceptore seu magistro et conventum sacrae militiae Templi ad procurationem seu gubernationem domorum Templi destinato, dictus Franco et alii fratres cum rege Ungariae, utpote cum eo, qui eo tempore gubernationem praedictorum ducatum habuit, dicto duce qua

domino haereditario adhuc in potestate patria constituto. Verum cum ipse Franco ex praecepto magistri Templi, Jerosolimitani accesisset in Accon ad magistrum et conventum fr. militiae Templi exposuit ibidem statum questionis seu litis et utilitatem pacis. Fratres habitis super hoc tractatibus ipsum Franconem ad decisionem dictae litis constituerunt procuratorem, prout plenius continetur in litteris uno bullato plumbea bulla Templi habente in una parte bullae immaginem duorum militum in equo et ex alia parte Templi imaginem cum scriptura orbiculari non abolita. Redeunte itaque praeceptore seu magistro domorum Francone, cum dux interim de sacris paternis seu de potestate patria egressus est et administrationem praedicatorum ducatuum, jure naturae ei debitorum adeptus fuisset, idem magister cum ipso de consilio fratrum Militum Templi tractare caepit. In hoc tractatu illa tandem via magistro et fratribus melior et utilior visa fuit, ut dux militibus Templi traderet comitatum de Dobicha cum omnibus juribus et pertinentiis. Dux itaque dedit domui Templi dictum comitatum cum omni districtu ac suis pertinentiis, nominatim cum marturinis, et descensu bani vulgariter Zuluzina vocato, redditibus etc. reservata duci et ducatui collecta, quae per totam Slavoniam ratione lucri camerae ducalis exigi consuevit, adiiciendo, quod nullus bannus, iudex curiae ducalis, nullus comes, homines in ipso comitatu possit iudicare nec descensus seu procurationes exigere ab eisdem, sed super causis exortis inter homines exteros et ipsius comitatus, quae per magistrum decidi non possent, ad ducale auditorium recurratur, qui etiam descensum et procurationem ab omnibus recipere poterit. Dedit insuper dux mille et quingentas marcas boni fini et legalis argenti in utilitatem militum Templi, coram patre Timotheo episcopo Zagrabiensi et capitulo dicti loci. Iidem autem magister et fratres considerantes, cum apud Sceniam propter malitiam civium proficere non possent, cesserunt spontanea voluntate ab omni lite, et omni juri quod domui Templi competebat in praedicta civitate Scenia, districtu, honore, vectigalibus et tributis et in tota possessione, ac districtu de Guechke renuntiantes etiam omnibus instrumentis, privilegiis etc. summorum pontificum et regum Belae III. Andreae, et Belae IV. ac Colomani regis Ruthenorum ducis Slavoniae, super Scenn et Guechke. Promiserunt etiam milites Templi si conventioni huic contrafacerent, solvere viginti millia marcarum argenti fini et legalis, in penalem stipulationem prout vicissim spopondit dux eandem summam poenae si eis possessionem dicti comitatus turbaret. Sed quia dux vicesimum quintum annum non compleverat tempore compositionis huius, cum viginti annorum esse diceretur, iuravit cum omni solemnitate pactum inviolabiliter observari. Datum per manus magistri Demetri, Albensis praepositi aulae ducis vicecancellarii.

Theiner: Mon. vet. Hung. T. I. p. 311.

CMXCIII. **Zagrabiae.** *1269.* Bela dei gratia dux totius Slavoniae, Dalmatiae et Croatiae notum facit, quod cum ducatum totius Slavoniae, Dalm. et Croat. ex voluntate patris sui Belae IV. regis primitus intrasset, existenti Zagrabiae, filii et nepotes Bratona, iuxta fluvium Jalsevech existentes, videlicet Otrochk cum filiis suis, Turcha cum filiis suis, Miroslaus, Ratk(o), Velizlov, Gerdos cum filiis suis, Martino, Drazizlav, Ozul, Wlk, Zlobk(o) cum filio suo, Brathk(o) cum aliis cognatis, item Donk(o), Neudasa, item filii

et nepotes Chutk(o), Stephanus, Benk(o), Wlchina, Otho et filii Wlcodrug, item filii et nepotes Godigy, Wlksa, Pubisa, Gurdaveth ac tota generatio praedictorum in tribus villis contra capitulum acclamarunt, quod ipsos cum fuissent jobagiones castri Zagrabiensis dictum capitulum de novo violenter occupatos detinerent. In termino tandem perhemptorio dictum capitulum allegavit, quod terram trium villarum et ipsos a quinquaginta annis minus uno, ecclesia Zagrab. pacifice possedisset et hoc per litteras patris regis et matris reginae Ungariae probaverunt. Dux igitur cum baronibus suis, cum dicti filii Bratona nec interruptionis litteras praesentasse poterant, nec aliquas rationes pro ipsis facerent allegare sed tantummodo verba proferebant, dictos homines et terram capitulo relinquere debuisset possidendos. Tamen ut clamoribus satisfiat, electi sunt tres homines ex iis et tres ex capitulo qui debebant praestare iuramentum pro assertione capituli. Ex parte capituli fuerunt electi magister Petrus Zagrabiensis, magister Nicodemus de Kemnuk, archidiaconi, et magister Drisa, lector ecclesiae Zagrab. Per dictos autem homines nominati fuissent magister Buza cantor, magister Michael custos eccl. Zagrab. et magister Benedictus archidiac. de Guerche. Dicti magister Petrus cum aliis coram capellano capituli Saulo sacerdote, iuraverunt in maiori ecclesia in altari S. Regis, quod dictam terram a 50 annis minus uno quiete possedisset capitulum. Ad quod adiudicatae sunt capitulo dictae villae, parti vero adversae perpetuum silentium impositum tamquam calumniatoribus.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 147.

CMXCIV. *1269.* Stephanus dux totius Slavoniae etc. notum facit, quod accedentes ad eius praesentiam: Farcasius filius Damyani de genere Colchoch ab una parte et Mathaeus abbas monasterii b. v. M. de Toplica, ex altera, idem Farcasius confessus est viva voce, ipsi domino abbati vendidisse 12 servos et ancillas, haereditarios suos, pro XVII. marcis denariorum Zagrabiensium. Quorum et quarum nomina sunt: Lyben ex uxor eius Jurica et filius Radomer, Martysselay, Obrade, Mara, Martha, Lybysna, Calcava, Voche, Vochiche et Davola. Aliorum duodecim servorum et ancillarum, quos et quas dedisset eidem monasterio pro remedio animae nomina sunt: Thomas et uxor eius Canissevela, Radosela, Radisca, Lucia, Lupeco et uxor eius Dragna, Tecana, Mylunana, Elena, Zerniche et Dobrina. Datum per manus Ladislai episc. tyniensis, cancellarii ducis.

Tkalčić: Mon episc. Zagrab. I. 148.

CMXCV. *1269.* Bela dux totius Slavoniae, Dalmatiae et Croatiae, notificat, quod hospites de Beryn? accedentes ad eius praesentiam petiissent ut privilegium patris eius super libertate ipsorum dignaretur confirmare. Petierunt etiam ut pro tribus ponderibus, quae debent solvere annuatim, quindecim denarios banales dare tenerentur. Dux confirmat igitur privilegium patris Belae regis, mutato eo quod amodo 16 denarios banales solvere teneantur. Praeterea concessit eisdem, ut iidem, qui sunt sub comite de Segusdino constituti, allatori assaturae nihil dare teneantur. Datum per manus Ladislai episcopi Tyniensis aulae ducis cancellarii. Ducatus anno primo.

Fejer: Cod dipl. T. IV. p. vol. III. p. 529.

CMXCVI. *1269.* Bela dux totius Slavoniae, Dalmatiae et Croatiae notificat, quos hospites de S. Ambrosio ad eius accedentes praesentiam, postulassent ut eos sub ea libertate habere et conservare dignaretur qua gaudent hospites de Veröcze. Quam libertatem eis contulit. Exemit igitur eos a jurisdictione comitis de Veröcze. Villicum habebunt quemcumque voluerint eligendi facultatem. In festo S. Stephani omni anno ratione marturinarum triginta quatuor marcas in denariis banalibus solvere, quod si terminum omitterent, in octava diei solutionis in duplo solvere tenebuntur. Datum per manus patris Ladislai episcopi Tyniensis aulae ducis cancellarii.

Fejer: Cod. dipl. R. IV. vol. III. p. 530.

CMXCVII. *1269.* Comes Crisiensis testificat, quod Farcassius filius Isan terram Dobouch (Dubica) prius per se pro portione sua in terra Dyvindedra habita a comite Junk in concambium receptam, eidem comiti Junk una cum litteralibus instrumentis pro decem marcis jure perpetuo vendiderit.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex regni archivo ablatis N. R. A. Fasc. 20. N. 96.

CMXCVIII. *In* **Želin.** *1270. 6. Martii.* Henricus banus totius Slavoniae significat, quod cum Petrus, filius Rudolphi, major villae de Petrina et cives de eadem ac alii homines ad ipsam spectantes, qui terrestres dicuntur, denegassent decimas Timotheo episcopo Zagrabiensi frugum scilicet, vini, millii, apum et minuta eorundem, kytas videlicet, gallinas et decimam de custodia porcorum, quae vulgo poliche dicuntur, ac decimam fori, nec non decimam precessoriae, quae vicesima dicitur, et decimas agnorum, et propter hoc epiepiscopus sententiam excommunicationis tulisset in scriptis in certas personas de eadem villa et interdicti contra totam villam. Tandem procuratore seu nuncio episcopi ex una et Petro majore villae ac quibusdam civibus de villa ex altera, assistentibus Woyn, Pousa, filio Sydonis, constitutis coram bano, idem Petrus de voluntate hospitum de Petrina cum sociis suis, praestito sacramento, tactis codicibus evangeliorum, confessi sint, quod deinceps in antea omnium rerum suarum iustas decimas ad villam spectantes, ac etiam sellarii eorundem hospitum de singulis fumis singulos duos denarios solvere tenebuntur. Ratione autem tributi fori assumpserunt singulis annis tres pensas denariorum Zagrabiensium circa festum S. Martini solvere.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 149.

CMXCIX. *1270. 20. Martii.* Capit eccl. Albensis notificat, quod nobiles de Munuzlo (Monoslav) Petrus, filius Petri, ab una et Nicolaus, filius Andreae ab altera personaliter constituti, exhibuissent privilegium capituli Chasmensis in quo continebatur, quod in antiqua divisione possessionum relictarum a Nicolao comite filio Makarii bani, Munuzlo, et praedii de Chresnev, item villae Mark iuxta Kopus cum terra unius villae iuxta aquam Hodus cesserit Petro; item in eadem divisione interior villa Zund iuxta Danubium, et praedium Cherczt pertinens ad eandem; item Rupul cum capite Prisca et medietatem possessionis Bogud, item Apto et Chenev cessit in portionem Nicolao. Item de nova divisione in possessione relicta a Macario filio Stephani, Pressna et Kemennicha iuxta Zavam, quas Kenez frater ipsius Nicolai vendiderat, idem Nicolaus eidem Petro reliquit iure perpetuo possidendas.

Item in aqua Ebsu diviserunt molendina. Item praedium Rupul cum capite Priskae, quod Andreas pater Nicolai vendiderat Gregorio comiti et Petrus propria pecunia redemerat, eidem Petro Nicolaus reliquit. Item terram Rupulfew, quam nunc populi reginae et Abbas S. Martini possident, contulit eidem Petro Nicolaus et relaxavit precium quartae partis. Item medietatem possessionis Bogut cum omnibus libertinis, praeter Hogov et filios, reliquit Petro. Item Petrus filius Petri e converso eidem Nicolao reliquit praedium Godan. Item Petrus portionem suam de villa Poucha et aliam quam iustificavit de Gregorio comite cum mancipiis et vineis contulit Nicolao. Obligaverunt se etiam quod si qua partium resilierit a compositione ac sustinere noluerit, parti sustinenti sexcentas marcas solvere teneatur.

Cod. dip. patrius VII. p. 120. Ex actis comitum Erdödy Galgozam ablatis.

M. *Apud monasterium S. Joannis de* **Tragurio.** *1270. 3. Aprilis,* Praesentibus Georgeo de Cega, Marino Stoche, Marino Matthei et Duimo Ursi atque Vuleosa Rubeo, etc. Scibenico examinatore, Stefano Marini Ruze, nobiles viri Georgius Vielox de Sibenico et Duymus . . . . de eadem syndici et procuratores communitatis de Sibenico de elegendo potestate ad regimen dictae terrae venientes Tragurium, elegerunt solemniter in potestatem Sibenicensem per unum annum nobilem virum Valentinum Petri civem Traguriensem, obligantes se nomine communis dare ei pro salario annue libras CC denariorum venetorum parvorum et hospitium atque partem piscium quam potestates habere consveverant.

Lucius: Mem. di Traù, p. 84.

MI. *1270. 14. Maii.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notum facit, quod ab una parte frater Mattheus abbas Toplicensis et fr. Guillermus cellerarius eiusdem loci pro se et universis fratribus, ab altera autem Marinus, filius comitis Hirink pro se et fratribus suis, Petro et Johanne asseruissent, quod ipsi de controversia ac damnis et laesionibus quae inciderunt super limitibus terrarum Jarovel, quae est Marini et fratrum eorum, et Powonia, quae est abbatis, mediantibus arbitris scilicet: Johanne comite filio Irizlai ex parte ecclesiae et Egidio filio Berizlai ex parte Marini et fratrum electis, Torda etiam et Posseny officialibus abbatis in collegas assumptis, ad concordiam pervenerunt fixis metis terrarum, quarum prima incipit apud rivum Pulchina, inde venit ad lacum Lokeu, inde iuxta unum rivulum ascendit magnum montem ubi est magna via, in eadem magna via ab eodem monte procedit per metas terreas et descendit de via in vallem ad quatuor fossas, inde ad cacumen montis et per varias metas venit ad caput rivi Marcusdeu et in rivum Jarawel ubi terminatur.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 150.

MII. *1270. 26. Maii.* Stephanus V. rex notum facit, quod hospites de monte Grech exhibuissent privilegium Belae IV. regis (de a. 1268. 5. Julii) petentes ut idem ratum haberet, cui petitioni rex annuit.

Tkalčić: Mon. civ. Zagrab. Vol. I. Doc. 52.

MIII. *1270. Ante mensem Junium.* Bela IV. rex notificat, quod Henricus et Nicolaus comites, filii Nicolai, exhibuerint varias litteras iudicis curiae et

comitis parochialis de Wlko, in quibus continebatur, quod Dominicus filius Dominici, Michael filius Wros, et Gregorius filius Pous de Dobra de comitatu de Wolko, pro maleficiis suis videlicet pro furto quod in suffossione domus comitis Henrici, et ablatione rerum, portiones suas in terra Dobra ordine iudiciario amisissent. Quam terram cum pertinentiis suis contulit nunc ipsis Henrico et Nicolao comitibus. Conterminatur haec terra a parte orientali cum terra castri de Wolco, Dabra vocata, ab aquilone cum terra Petri comitis filii Dionisii, ab occidente cum terra dictorum Henrici et Nicolai, a septemtrione cum terra Jako comitis de Pochinta. Datum per manus magistri Demetrii praepositi Albensis, aulae vicecancellarii.

Orig. membr. in actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis N. R. A. Fasc. 1503. N. 1.

MIV. *1270. Ante mensem Junium.* Bela IV. rex ad petitionem Curei et filiorum eius Compolt et Leonis annuit, ut terram Petri Calvi jobagionis castri Zaladiensis, cum omnibus pertinentiis suis Dionisio servienti dominae reginae consortis suae, familiari regis, filio quondam comitis Thomae fratris Philippi Strigoniensis archiepiscopi suo et fratrum suorum ementi vendere et tradere possint, pro quodam palatio in Worosd existente cum quinque curiis adiacentibus et quadraginta tribus marcis argenti. Metae terrarum eaedem ut in documento a. 1261. nomina fluviorum Budne, Rednicha (Bugniche), Churnich, (Chernec).

Orig. membr. in archivo civit. Varasd. Fasc. II. N. 6 et 7.

MV. *1270. Ante mensem Junium.* Bela IV. rex notum facit, quod pater Thymotheus episcopus Zagrabiensis exhibuerit ei privilegium capituli Quinqueecclesiensis super emptione terrae Vrbani filii Pobrad confectum, petens ipsum confirmari, quod et rex confirmavit.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 151.

MVI. *1270. 13. Junii.* Stephanus V. rex manifestat, quod Rolandus banus de genere Ratolth a primaevis puritiae suae temporibus primum patri ejus et postmodum ei fidelia servitia exhibuerit, quae quia longum esset narrare universa, aliqua saltem commemorat, et quidem, quomodo ille eo tempore, quando pestifer insultus Tartarorum in regnum irruisset, et contra patrem ejus dux Austriae Fridericus insultum faciens, calcaneum erigere non expavit, levando contra eum fortissimum exercitum, duo castra in confinio Theutoniae constructa Posonium et Sopronium, contra eundem Fridericum idem Rolandus forti brachio confirmavit. Ipse sustinere non valens quin personam suam in ipso congressu regio lateri sociaret, dimissa tota familia domus suae, cum armatis quam plurimis in castris eisdem, personaliter ad regem et ipsum exercitum se transtulit. Cuius loco et vice maior et ductor totius exercitus regii constitutus, strenuus, diligens et circumspectus ductor extitit et pariter dimicator. Et licet multi de parte regis in eadem area cecidissent, tamen dux ipse in ipsa area praelii, dies suos clausit extremos. — Item missus est Rolandus banus in subsidium contra Cumanos. — Postea vero parentes regis Stephani tamquam promissae dilectionis immemores, pro eo quod Rolandus banus, quamquam iuxta mandatum eorum grata ei (Stephano) obsequia faciebat, per emulorum obloquia dictum banum

tam graviter destruxerunt, quod banatu suo illum indebite spoliarunt et diversas possessiones destrui praeceperunt. Quid plura, cum ille propter bonae mentis suae dispositionem semper altissimos status tenuisset, aliquando palatinatum, quandoque banatum et diversos comitatus ac aulae regiae magistratus, in iudiciis iustus, fidelitate purus, conversatione dulcis et amandus. Cum tandem rex in regnum patris sui successisset, tempore coronationis suae in immensa congregatione apud Albam omnes unanimiter eundem commendarunt. Idcirco respectu tantorum servitiorum donavit eidem Rolando bano castrum Kemluk (Kalnik) cum omnibus pertinentiis suis, et cum illis etiam quae per patrem regis ab eodem castro fuissent distractae. Datum per Benedictum praepositum Orodiensem vicecancellarium. Existentibus Timotheo episc. Zagrab, Joachimo bano, Moys palatino etc.

Fejer: Cod. dipl. T. VII. vol. II. p. 12.

MVII. *1270. 15. Junii.* Stephanus V. rex, ad petitionem Dominici et Michaelis filiorum Petri de genere Chak confirmat donationem, respective cambium terrae Erdewchukuna factam eisdem per Belam regem pro preciosa cruce de ligno Domini, quam una cum duobus captivis, genere nempe regis Serviae Vros, et filio magistri tavernicorum eiusdem, dicti fratres regi tradiderunt.

Fejer: Codex dipl. T. V. vol. I. p. 24.

MVIII. *1270. 29. Julii.* Stephanus V. rex ad petitionem capituli Zagrab. confirmat privilegium Belae ducis fratris sui super facto terrae Jalseuech nepotum Brativoy. Datum per manus magistri Benedicti praepositi Orodiensis aulae vicecancellarii.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 152.

MIX. *1270. 29. Julii.* Stephanus V. rex confirmat privilegium fratris sui Belae ducis super compositione inter capitulum Zagrab. et relictam comitis Pribizlai et eius generos (v. 1269).

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 153.

MX. *1270. 29. Julii.* Stephanus V. rex notificat, quod cum regni gubernaculum adeptus fuisset, Timotheus episcopus Zagrabiensis per idoneum procuratorem destinaverit ad eum litteras Belae IV. super emptione terrae s. Martini iuxta Wascam, supplicans ut eas confirmare dignaretur (vide a. 1254.). Rex igitur liberaliter roboravit eas.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 152.

MXI. **Cattari.** *1270. 8. Augusti.* Marcus iscopus Cattarensis significat, quod coram eo et capitulo suo accessisset B lius Dragonis et petiisset litteram slavonicam testificationis quam execut sententiae domini regis fecerat scribi in linguam latinam. Cui petitioni ann tes per notarium sententiam fecerunt transferi, quae continebat: quod V...lavus dei gratia t d. regis Urosii comes de mandato et scripto regis super placito quod moverant presbyter Myche Pasqualis et Tripe adversus Basilium Dragonis de ecclesia s. Lucae fuit sententia regis, et comes pulsavit campana et congregavit nobiles civitatis, et concurrerunt eorsum duo episcopi de Senta, episcopus Neophiton et catharensis episcopus Marcus, et interrogati ut dicant si sint Mauro pro-

ximi presbyter Nicha et Tripe aut participes eccclesiae s. Lucae. Unde Voislavus fecit praeceptum regis (publicari) et pulsavit campanam semel, bis et ter et vocavit ambos dictos episcopos et totum capitulum et nobiles et probos viros civitatis et adduxerunt lignum Domini, icones et reliquias s. Tryphonis, et ex precepto regis provocarunt episcopi illos ut dicant si sint consanguinei Mauro praesbyter Micha et Tripe, et supradicti omnes juraverunt, quod nesciunt consanguineitatem eorum, et quod essent participes ecclesiae s. Lucae. Testes fuerunt: presbyter Valentinus, presbyter Micha sacrista scti. Tryphonis, presb. Petrazza, presb. Tryphon Dissae, presbyter Nicolaus Grubessae, diaconus Micha Bigae et diaconus Cressana, Paulus de Biare judex civitatis, Damianus Jacobi, Micha Buchia, Junius Gimana. Per manus diaconi Michae Bigae communitatis notarii.

Farlati: Illyr. sacr. T. VI. p. 442.

MXII. **Zagrabiae.** *1270. 1. Septembris.* Hodus comes Zagrabiensis significat, quod cum questio esset suborta inter Timotheum episcopum Zagrabiensem ex una parte et Abram comitem de Moroucha, jobagiones castri et castrenses de Glavnicha, videlicet Beriwey, Nerad, Myko, Scelk, Wlkozlow, Zlobysa, Paulus, Joseph, Drugan, Wlchina, Wechezlow, Gurga, Prononeg, Paulum, Hrenko, Stephanum, Borych, Matheico, Pavco, Zovidrug, Coporta, Petrum, Vulchilo, Zlobyna, Petrus, Martin filium Dragchin et Zlobyzlaum ex altera parte super terra Pzerich (Pserje) vocata, quam episcopus dicebat esse occupatam per Abram comitem, jobagiones castri et castrenses de Glavnycha, et haec quaestio inter partes diutius fuisset ventilata. Tandem partes ex permissione comitis cum arbitrio proborum virorum hinc inde electorum scilicet Gabriani comitis et Petri Capitosi ex parte episcopi, et Ivan comitis filii Irizlai ex parte Abram comitis, jobagionumque et castrensium, talem compromissionem iniverunt, ut ex parte episcopi debeant statui octo personae de capitulo, e quibus quatuor debeant assummi ad sacramentum praestandum per dictum comitem Abram et socios quod terra praedicta semper fuerit episcopi. Quae quidem 4 personae, scilicet: magister Petrus archidiaconus Zagrabiensis, Michael praepositus Chasmensis, Stephanus archidiaconus de Guerche, et Chrachinus cantor eccl. Zagrab. tertio die post festum s. Stephani coram hominibus comitis Zagrab. Petro filio Bogdazlov et Laztych filio Dragan juraverunt. Comes itaque tali juramento recepto, nominatam terram episcopo tradi et reambulari fecit per dictos Petrum et Laztych pristaldum terrestrem, cum Petro comite filio Petrilo praeceptorem de S. Martino pro testimonio destinatis. Cuius terrae prima meta incipit ubi fluvius Pzerych defluit in fontem Zelne. Inde ad pontem super eundem fluvium et per varias metas ad unam viam et ad terram episcopi.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 154.

MXIII. **Zagrabiae.** *1470. 4. Septembris.* Joachimus banus totius Slavoniae ad preces Timothei episcopi Zagrab. confirmat sententiam Hodus comitis Zagrab. in causa inter episcopum ex una parte et Abram comitem de Morovcha, jobagiones castri et castrenses de Glavnicha ex altera parte super terra Pzerych.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 155.

MXIV. *In veteri* **Pest.** *1270. 8. Septembris.* Stephanus V. rex notificat, quod propter grata obsequia et meritoria servitia Philippi s. Strigoniensis ecclesiae archiepiscopi et Thomae comitis fratris eius, parentibus suis et ipso regi et regno impensa, licet parentes habuissent in animo eosdem remunerari, quia tamen illa vice praepediti erant, ideo nunc confert eis possessionem Corrardi di Treun, Praudauyz vocatam ultra Dravam existentem, a multis retroactis temporibus, quorum non exstat memoria a comitatu Simigiensi exceptam, quae per infidelitatis notam a Corrardo filio praedicti Corrardi di Treun, imo verius ob manifestum crimen laesae Maiestatis ab eodem commissum ad manus regias devoluta est. Licet postmodum cum ducatus Slavoniae in Belam condam ducem fratrem regis translatus esset, ipsius possessionis detentio aliquantisper mota seu turbata fuerit; post mortem tamen fratris Belae, parentes eius, ad quos idem ducatus exstiterat devolutus, praedictam possessionem reddiderunt magistro Dyonisio cancellario pincernarum regis et fratribus suis filiis Thomae comitis et suis haeredibus. Quam donationem post mortem patris sui (regis Belae) ipse rex confirmavit Thomae comiti, et ipso sublato, filiis suis. Cuius possessionis metae de mandato regis Butka comes conscripsit, et prima incipit iuxta Dravam ubi dividit terram subulcorum a terra Praudauiz, per varias metas venit ad rivum Biztra et ad rivum Copnicha, deinde ad metas filiorum Bogdani ad rivum Zemdech (Zdenec?) ad metam Petke, terram episcopi Zagrab. et Kamarcensium iuxta rivum Kamarcha — ad viam magnam ex altera parte viae versus meridiem ad Cruciferos de Zdela, et a rivo Zdela ad rivum Hotoa, ad villam S. Georgii, ad terram comitis Tiburcy ad terram Chopoy ad metam Belus ad rivos Copnich et Zinurdech ad rivum Zimdech, ad campum Huetimzala? ad rivum Bucoa, ad finem Boboyche et eadem Boboycha est iuris Daciani et eius filii Farcasii, ad campum Arney ad terras Mikulae comitis, ad rivum Bizcornicha, rivum Tripche, rivum Telnicha ad metam Belos filii Belos, ad rivum Kolinoa, silvam Sciboeth etc. Datum per mag. Benedictum praep. orodiensem vicecancellarium. Existentibus Philippo Strigon. archiep. Timotheo Zagrab. Iwachino bano totius Slavoniae Petro mag. Dapifer. comite de Guechke, Michaele Zaladiensi, Nicolao Varosdiensi.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VIII. p. 277.

MXV. **Spalati.** *1270. 21. Septembris.* Regnante Bela IV. rege, temporibus Johannis archiepiscopi Spalatensis, Michae Madii, Petri Srichiae, Dobri Madii, judicum, don Duymus archidiaconus et universum capitulum scti. Domnii, statuunt et ordinant quod quilibet canonicus qui in kalendis Martii decederit totam suam partem ipsius anni totaliter debet habere et de ipsa disponere et testamento legare prout voluerit. Actum in praesentia Dominici et Stephani presbyterorum, Petri Zanini et Andreae laicorum. Franciscus Stipe, Madii filius, examinavit, Lucas canonicus et notarius scripsit.

Farlati: Illyr. Sacr. T. III. p. 283.

MXVI. *1270. 10. Decembris.* Stephanus V. rex notum facit, quod Ponych banus de genere Miskovch comes Zaladiensis a tenera juventute sua primo patri regis ac demum ei ipso et regno suo grata et continuata fidelitate servivit indifesse. Primo enim, cum inopinata Tartarorum calamitas, pristinae

devastationis non immemor, reliquias populi in ore gladii consumere cupientes regnum adire hostiliter voluissent, rex molem tanti negotii humeris ipsius Ponych bani imponens, misit eum in legatione sua ad regem seu imperatorem Tartarorum, unde ille loco formidinis laetitiam, moeroris gaudium, et loco desperationis spem incolis regni de sua vita conservanda reportavit. Et cum post aliquot annos per incitationem vicinorum iidem Tartari animos habentes ad bellum de eorum ad regnum ingressu quasdam legationes praemiserunt, eundem Ponych banum ad eosdem transmisit iterato, ubi manus illorum ad armatam incitatas suo ingenio conpescuit. Praeterea dum pater regis relegata pietate paterna quorundam baronum incitatione ad fines regni usque ad locum Faketeuhalm eum (regem) transferre coegisset incluso eo in castro praedicti montis, et armatorum multitudine vallato, idem Ponych banus cum quibusdam suis sociis licet paucis, tam per potentiam, quam per astuciam suam devicit exercitum baronum infidelium, et obsessus restaurando ei fiduciam de regni gubernaculo et vita conservanda; et insuper exercitum Ernerii (Erney) bani ex missione patris venientem debellavit, adducendo ipsum Ernerium banum et capitaneum exercitus captivum. Item cum iidem barones coegissent dictum patrem suum contra eum exercitum movere, idem Ponich banus in conflictu quem in Ilsuazeg habuit, virtutem exercuit laudabilem coram oculis regis ita ut per eius et aliorum fidelium probitatem victor extitit, recuperando clausis reginae consorti suae et filio suo duci Ladislao in captivitate permanente, absolutionem. Porro cum Zvetislaus Bulgarorum imperator, gener regis, tunc ei oppositus, terram eius de Zeurino miserabiliter devastasset cum rex congregato exercitu ad Bulgariam venisset, dictus Ponych banus castrum Plevn(a) Bulgarorum optinuit expugnando. Contulit itaque rex pro tantis servitiis, cum ad regni thronum venisset eidem Ponich bano omnes possessiones et castra Nicolai filii comitis Arnoldi quae propter infidelitatem eius ad regias manus devenerant, videlicet Pliske castrum una cum villa, item tres villas Burnuk, item villas Terpen, Forkosiulese, Szent Ladislo, Klink, Hetes, Bok, Gunturfelde, cum iure in terris monasterii de Haholth, villas Ilmarfeulde, Zobozlov, existentes in Zaladiensi comitatu. Item castrum Purpach cum villa Kuesd et portionem in Nykch salva portione Arnoldi filii Arnoldi iunioris in castro de Zturgo. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis praepositi aulae vicecancellarii.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. p. 6.

MXVII. *1270. 12. Decembris.* Stephanus V. rex confirmat privilegium compositionis fratris sui Belae ducis Slavoniae bonae memoriae, de consensu patris sui Belae IV. regis ex una parte, et fratres domus militiae Templi super facto Sceniae et comitatu de Dubicha, elargitum sicut in litteris capituli Zagrab., abbatis de Toplica et praeceptoris domus hospitalis de Poccihitz(?) et Petri magistri Dapiferorum descriptae sunt: Prima autem meta incipit ex parte Guersenicha exeundo de Zava ubi aqua Puker cadit in Zawam. Inde per ipsum Puker ad orientem venit ad locum ubi Zeupuker cadit in magnum Puker et dividit terram cum filiis Petres. Inde in magno spatio ad fluvium Kossathyna. Inde per varias metas ad locum Kalysta, et iuxta dumum vimineum descendit ad fluvium Revenicha et vadit per medium villae Brathyche, inde per silvam ad montem et veteres metas ubi sunt duae novae et cadit

ad fluvium Velika et per eundem inferius usque ad locum, ubi idem fluvius cadit in fluvium Clokouech, ubi sunt commetanei filii Razlay; versus meridiem cadit in fluvium Granicha et per eundem ad fluvium Nagachyn et per eundem ad Zavam, et inde per longum spatium ad locum ubi fluvius Ispras cadit in Zawam, ubi sunt duae metae quae incipiunt stringere terram de Dobycha a terris de Wrbaz. Et per eundem fluvium Ispras versus meridiem, ubi fluvius Liscorich cadit in Ispras. Inde iuxta sylvas ad locum Preseka et per Berch ad montem Rakfeu et pervenit ad locum Rasoy; versus meridiem ad montem Kohnafeu et inde per varias metas ad locum Kalista inde ad verticem montis ad magnam viam quae ducit in Vrbaz, versus meridiem ad montem altum qui est inter Rakowech et Jastrobicha et ascendendo venit ad montem altiorem in cuius vertice sunt duae metae. Inde per montes et valles ad montem Fudina feu. Inde directe cadit in Gosd et per ipsum in fluvium Meschenicha et hic terminantur metae de Wrbaz. De Meschenicha autem cadit in Tempni feu quae est prima meta inter Dobicham et Zavam. Inde ad monticulum et rivulum Mescenicha per magnum spatium ubi Jelauech potok cadit in Mescenicha. Et per Jelavech ad locum Predol et ad montem. Inde ad caput Koztonicha feu et per magnam vallem in rivulum Kastaynauicha. Per magnum spatium ad montem et ad locum Wracha versus occidentem per iuga montis Brist. Descendit ad fluvium Strigouina. Per varias metas ad magnam viam ubi est quadrivium. Inde ad occidentem et ad fluvium Jalseuicha et per quemdam semitam ad cacumen montis usque ad Wysenik. Et per verticem montis ad viam et per eandem ad locum Pachuch, inde ad fossatum Jamnich et per magnam viam ad Wracha, inde ad fluvium Jelsouicha et Strigovina. Et in vertice montis incedendo descendit ad magnam viam et inde in fluvium Suhodol. Et per varias metas ad viam quae separat terras de Dobycha a terris de Waudicha et iuxta eandem viam incipiunt termini terrarum de Wodicha. Per varias metas ad rivulum Strigovina et inferius in fluvium Vn et ubi fluvius Castanicha cadit in ipsum. Inde ad quemdam fonticulum per magnam viam ad fontem qui est sub ecclesia s. Michaelis. De quo ascendit ad duas vias, quarum una a dextris vadit in longitudinem montis sub quo sunt vinee et per eundem montem vadit in Wracha, et per magnum spatium descendit in rivulum Turicha et cadit in rivulum Turia per quem venit ad aquam Pulizka per quam ducitur in Zawam, ubi inceperat prima meta.

Theiner: Mon. vet. Hung. I. p. 311.

MXVIII. *1270. 19. Decembris.* Capitulum ecclesiae Zagr. commendat memoriae, quod constitutis ab una parte magistro Philippo notario Pernicholi comitis, vice domini sui et ab altera Stephano et Mykus filiis Nicolai jobagionibus castri Zagrabiensis, idem Stephanus et Mykus confessi sunt se recepisse triginta marcas minus una in denariis Zagrabiensibus a praedicto Pernicolao comite pro terra eorum in Sepnicha, quam ei pignori obligarunt. Astitit Mirizlaus qui super hoc assensum praebuit.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 155.

MXIX. *1270.* Stephanus V. rex declarat, quod hospites de novo monte Grecensi iuxta Zagrabiam exhibuissent ei patentes litteras Belae regis de a. 1258. petentes ut easdem confirmare dignaretur, quorum petitioni rex annuit.

Tkalčić: Mon. civit. Zagrab. vol. I. Doc. 51.

MXX. *1270.* Stephanus V. rex notum facit, quod Alexander, Laurentius, Nicolaus et Lukach filii magistri Andronici de Radar Kaluz exhibuissent privilegium Belae regis petentes, ut idem ratum habere dignaretur. Rex annuens petitioni confirmavit privilegium praefatum (de a. 1249).

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. VII. vol. 5. p. 365.

MXXI. *1270.* Stephanus V. rex notum facit, quod Lukach, Vyd, Matheus et Petrus filii comitis Endre de partibus Slavoniae exhibuissent privilegium Belae IV. regis petentes, ut ipsum dignaretur confirmare; cui petitioni rex annuit et priv. de anno 1244 confirmavit.

Cod. dipl. patrius VII. p. 127. Ex actis comit. Erdődy. Galgoczam ablatis.

MXXII. *1270.* Stephanus V. rex notum facit, quod hospites de Berin praesentassent litteras patentes Belae ducis totius Slavoniae, Dalmatiae et Croatiae, piae memoriae fratris sui, supplicando ut eas confirmare dignaretur, quorum petitioni rex annuit

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. p. 79. Ex archivo camerali Budensi.

MXXIII. *1270.* Stephanus V, rex ad petitionem fratrum Eremitanum de Dubicza confirmat eis collationem super quadam particula terrae per hospites villae Dubicensis (an. 1244.) eis collata. De hospitibus nominantur Ernei villicus, Fridericus, Marcellus et Lastiza.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. I. p. 59. Vide acta monasterii B. M. V. de Dubica. Fasc. I. N. 1. per banum Khuen-Hedervary ablata.

MXXIV. *1270.* Stephanus V. rex extollit servitia Reynoldi magistri Dapiferorum ducis Ladislai filii regis et comitis Agazonum suorum, qui a primaeva sua pueritia, et specialiter quando ducatum Styriae tenebat, tam in Teutonia, Karinthia et Bohemia, quam etiam in aliis expeditionibus in Graecia, Bulgaria ac demum eo tempore cum graves persecutiones parentum suorum perpessus fuisset, fidelissimum famulatum exercuisset dimicando contra Laurentium palatinum et Ernericum banum, ad Isazeg, ac contra ducem exercitus patris ipsius Herricum banum quem ad Danubium lancea de equo deiciens captivasset in quo luctamine sinistro oculo privatus extitisset.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. I. p. 54.

MXXV. *1270.* Stephanus V. rex notum facit, quod Fridericus, Bartholomaeus et Guido aliis Wydo comites de Modros de Wegla et de Wynodol ad eius venientes praesentiam rogassent, ut privilegium Belae regis, patris ejus, collatum illis (anno 1251) confirmare vellet, quorum petitioni annuit rex.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. I. p. 52.

MXXVI. *1270.* Capitulum Bachiense significat, quod comes Sacmar et Merk frater ejusdem filii Merk de comitatu Wolck confessi sint particulam terrae haereditariae Tolman consentientibus commetaneis Bellus, Laurentio, Feldrico, Philippo filiis Ehne tribus marcis et dimidia vendidissent Martino filio Petri de eadem generatione. Cuius metae sunt: dumus viminis et fons qui exit de Wolko et per medietam ipsius Volko descendit ad quemdam fonticulum et ad silvam, quae vocatur Vagas Halma ad arborem desicatam, quae vocatur Bor scuatu ad metam Martini Sciloyuno.

Fejer. Cod. dipl. Hung T. VII. vol. 3. p. 67.

MXXVII. *1270.* Laurentius comes de Ryiuche significat, quod cum rex ei in litteris suis praecepisset, ut terram villicatus Macek iuxta Welikam in comitatu Ryiuche existentem, Prencholo comiti camerae Zagrabiensis coram testimonio capituli Chasmensis assignaret, secundum praeceptum regis, consentientibus jobagionibus castri: Sauerli, Mile, Zlobiuechi, Vuzmek, Vurbanus, Rykolt ac praedialium Iunus comitis, magistri Tiburtii, Cency praepositi, Stephani et Jak fratrum Iunus comitis, Leustacii comitis, Mikulae filii Dragani, et aliorum, per homines suos Cemynum, Saulum et Mylem jobagiones castri dictum Prencholum comitem in dictam terram fecit introduci. Cujus prima meta incipit a parte septemtrionis in monte iuxta magnam viam ubi est meta Tiburtii comitis, inde per varias metas iuxta ecclesiam s. Crucis ad terram filiorum Celyani ad rivum Bocouca, inde ad terram magistri Erney ad domum Locha, inde per varias metas ad unam Calistam, quae est iuxta viam Colomani, vicinatur terrae Bank et terrae Tiburcii comitis, declinatur de via Colomani ad aliam viam per montem ad partem meridionalem et per varias metas ad priorem

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad VII. 327.

MXXVIII. **Bari.** *1271. 25. Januarii.* Marescallus regni Siciliae communicavit officialibus regni Siciliae et per terras maritimas in Apulia, quod per piratos Almissii quoddam vascellum in quo vehebantur homines Marescalci et archiepiscopi Tranensis, equi et alia bona, captum fuit, et cum eisdem personis, bonis et equis per piratos ipsos detentum; mandat igitur eis, ut tam haec quam et bona Ragusaeorum, Jadertinorum et aliorum Dalmatinorum detinere et arestare debeant, neque dimittere abque Marescalci licentia. Quia vero consul Venetiarum asseruerat homines castri Almissii non esse de districtu seu jurisdictione Venetiarum sed ad regem Ungariae pertineant, mandat rex Sicitiae Carolus I. ad petitionem Thomae Quirini consulis Venetiarum in Apulia, ut securitas Venitis et fidelibus ducis Venetiarum illaesa servetur, contra mandatum Marescalci.

Wenzel: Acta extera. I. 31.

MXXIX. **Budae.** *1271. 3. Februarii.* Stephanus V. rex mandat bano totius Slavoniae et aliis baronibus regni ut ecclesiam Zagrabiensem et populos suos tam ad episcopum quam ad capitulum spectantes in omnibus libertatibus et juribus suis conservent.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 159.

MXXX. **Venetiis.** *1271. 11. Februarii.* In maiori consilio concessum comiti Chersi ut scutifer eius possit esse de Sclavonia.

Ljubić: Mon. I. p. 105.

MXXXI. *1271. 23. Martii.* Stephanus V. rex considerans fidei constantiam Laurentii bani de Zeurino et comitis de Doboka, qui post obitum patris sui Belae regis, cum infideles ei barones thesaurum regni ad districtum regis Boemiae perduxissent, et ipse Laurentius tunc palatinus et comes Simigiensis ac de Kemluk (Kalnik) utpote qui ab annis adolescentiae penes regem patrem suum fidelibus semper coaluit sudoribus, ante alios barones et proceres regni se ei qua novo regi obsequiosum exhibuit. Post coronationem etiam cum rex desiderium haberet paucis comitantibus in Poloniam divertendi, prae-

fatus Laurentius banus semper regis adhaeserat lateri. Item cum haberet tractatum et colloquium cum rege Boemiae apud Posonium, non timens insidias et versutias dicti regis in quadam insula ubi colloquium fecerat inter reliquos asseclas regi assistebat. In expeditione etiam contra Austrenses propter versutiam regis Boemiae comprimendam, qui multipliciter fidem fregit, infideles regis in suum dominium admittendo et thesaurum regni contractando, dictus banus solertem et in bellicis sudoribus providum se exhibuit continuo in regis exercitu contra potentiam regis Boemiae laudabiliter concertando et cum exercitu regni confinia defendendo; pro quibus servitiis rex ei possessionem Uyhel cum Debrete, Lybo, Potvorich et Zerdahel in perpetuum donavit.
Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. p. 40.

MXXXII. **Venetiis.** *1271. 9. Aprilis.* Capta fuit pars in cons. maiori et prolongatus terminus illis de Vegla, de pecunia, quam dare tenentur communi, videlicet de duabus partibus mille et XL librarum.
Ljubić: Mon. I. 105.

MXXXIII. *1271. 11. Maii.* Stephanus V. rex notificat, quod dum vivente patre suo Bela rege ducatum Transilvaniae teneret et graves persecutiones patris sui licet inmerito perpessus fuisset, Nicolaus iudex curiae ejus, comes Simigiensis, qui tunc temporis apud patrem ejus comes Sirmiensis fuerat, se ad eum de ipso comitatu suo cum honestissima familia transtulit, pro fidelitatibus et servitiis suis, ammissionem et destructionem possessionum suarum ultra Drawam et ex ista parte Drawae ac universorum bonorum suorum minime expavescens, quibus omnibus per patrem ejus fuerat spoliatus. Pro factis servitiis quae ille, qui qua miles strenuus claruit et fulsit, regi praestitit, possessiones quasdam Furro iuxta aquam Herrad, Iwanch cum villis, Heves cum villis, Elswa cum castro Muran contulit et donavit.
Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VIII. 334.

MXXXIV. **Tragurii.** *1271. 13. Maii.* Factum fuit generale consilium civitatis Traguriensis in ecclesia S. Laurentii in quo propositum fuit, cum dominae Grubae uxori d. quondam Tolimeri pro se et filiis pluries sint termini assignati et vendere deberent omnia eorum bona quae habent in civitate et toto ejus districtu, et postea fuit iterum terminus assignatus per Millocinum nuntium communis ad Pascam Rosatam, cum alias omnia venderentur secundum instrumentum publicum magistri Francisci notarii. Tunc nobiles viri Johannes Vital, Josephus Petri et Marinus Simonis cives Trag., proposuerunt quod amore communis Spalatensis, dictis filiis Tolimerii et matri eorum debeat prolongari terminus usque dum poterint commode vendere sua bona. Unde omnes de consilio, volentes precibus communis Spalatensis et eorum ambasatorum adsentire dictum terminum prolongaverunt usque ad festum s. Viti, tali conditione, quod dicta Gruba vel eius procurator venire debeant Tragurium et sua bona vendere tantum hominibus de Tragurio, et si venderint forensi, statutum est quod tunc omnia bona sint communis Tragurii et vendantur pro communi. Actum praesentibus: Zanicha Casotti, Duymus de Cega, Nicola Jacobi, consules com. Trag. Item comes Marinus, Dessa Amblasii, Valentinus Petri Lucae, Luca Matthaei, Valentinus de Cazarizza, Bertanus Marini, Stephanus Marini ejus frater, Cebrus Petri Lucae, Jacobus

Totillae Georgius de Cega, Lomprus Jacobi, Marinus Stochae, Gudae, Dessa Petri Vengiguerra, Thomas Janichae, Silvester Mengazzae.

Lucius: Mem. di Traù, p. 90.

MXXXV. *1271. 16. Maii.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notum facit, quod constitutis coram eo ex una parte Crisano, Gregorio, Mortunus et Thoma filiis Thomae de genera Agha, et ab altera Iwanka comite et Jacobo fratre suo, idem Crisan et fratres sui terram suam Scekerie confessi sunt se vendidisse eidem Iwanka et Jacobo pro novem marcis denariorum Zagrabiensium. Cujus terrae prima meta incipit sub monte, inde vadit ad aquam Toplica potok, deinde per varias metas ascendit ad montem Berch, et venit supra vallem Mortun. Iterum per varias metas ad foveam quae vocatur Cupest, de qua descendit ad aquam Toplica, ibique terminatur. Astitit Johannes filius Arlandi commetaneus.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 157.

MXXXVI. *1271. 23. Maii.* Capitulum ecclesiae Zagrab. commendat memoriae, quod constitutis ab una parte Andrea clerico Pernicholi comitis pro ipso domino suo, ab altera Stephano filio Nicolai, idem Stephanus particulam terrae suae in Scepnicha, per Cherna filium Hode antea sibi cum litteris Hodos comitis Zagrab. pro 16 pensis et decem denariis inpignoratam, dicto Pernicholo pro eadem summa obligavit pignori sub conditione, ut eam in quatuor annis redimere possit.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. pag. 158.

MXXXVII. *Iuxta fluvium* Dudwag. *1271. 16. Junii.* I(wachinus) banus totius Slavoniae significat fideli suo Juriso de Busan, quod comes Michael filius Vbul fecit concambium super praedio suo Tutulyg, cum comite Petro fratre Sarachen episcopo Corbaviensi, pro quo Petrus sacerdos exhibens litteras domini sui episcopi et comitis Petri coram bano, quod praedium ipsorum Scelch contulerit in concambium praedii comitis Michaelis ita, quod in quindena s. Michaelis partes coram capitulo Zagrab. comparendo litteras et instrumenta, quarum auctoritate ipsa praedia possidebant, producere debeant. Mandat itaque ei banus ut dicat comiti Egidio fratri Michaelis comitis, ut usque dictum terminum, in dicto praedio quidquid habet suum tollat sibi ex integro.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. T. VIII. p. 378.

MXXXVIII. Segniae. *1271. 20. Junii.* Temporibus regis Stephani V. et Joachim totius Slavoniae bani, Segnae ante ecclesiam B. M. V. iudices, consiliarii et universus populus segniensis Widonem comitem de Wegla de Modrus et de Wynodol ac suos haeredes elegerunt in potestatem perpetuum Segniae civitati et rectorem. Vincentius quondam Gerardi Duylyno notarius et Seniensis tabellio scripsit.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. I. p. 166.

MXXXIX. *1271. 26. Junii.* Stephanus V. rex notum facit, quod Timothaeus episcopus Zagrab. exhibuit privilegium Emerici regis, avi sui, super factis praediorum et terrarum quas ecclesia Zagrab. ab antiquo possidebat, petendo ut idem privilegium confirmaret; cui petitioni rex annuit.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 158.

MXL. *In castris apud* **Posonium.** *1271. 3. Julii.* Stephanus V. rex post longa guerrarum discrimina quae inter eum et Ottocarum, regem Boemiae suscitata fuerant, misit pro pace reformanda Paulum episcopum Wesprimimiensem, Egidium summum camerarium aulae, Rolandum banum, Benedictum praepositum orodiensum suum vicecancellarium, qui cum baronibus regni Boemie pacis pacta ordinaverunt, in quibus inter caetera continebatur: quod castra Kuzeg, de monte S. Viti, Slomuk, Perstan de Chertus ac castra Farcasii de Zaguria quae Henricus et duo castra Strigo, quae Johannes filius eiusdem Henrici, ac castrum Dobra quod Nicolaus et Stephanus filii Pauli et castrum Rouch, quod Merch filius Gianur transfugentes ad regem Boemiae, illi tradiderunt, de sua bona voluntate deseruit rex Boemiae et quod idem per praedictos Henricum Joannem, Nicolaum et Stephanum nullum nocumentum hominibus regni Hung. pacietur inferri. Pro minoribus causis quae hinc inde inter utrasque partes emerserint, destinatus fuit circa confinia Karinthiae, Carnioliae et Marchiae ex parte regis Hung. banus totius Slavoniae. Inter barones qui juramentum servandae pacis praestiterunt, nominantur: Joachimus banus totius Slavoniae, Rolandus banus, Ernerius banus comes Worosdiensis, Ponich banus comes Zaladiensis, Paulus banus comes Bachiensis, Dionisius comes de Morocha, magister Andreas comes de Rewche et Petrus comes de Zana.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. cont. III. p. 247.

MXLI. *1271. 9. Julii.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notificat, quod constitutis coram illo ab una parte Perincholo comite cive de monte Grech et ab altera nobilibus de Brochina, Obrad scilicet filio Zlobina, Maradek et Gordino filius Wratizlay et idem Obrad pro Goriwlk fratre suo Duyen et Wlk filius Jacov, Nicolao filio Dragan pro se, pro Stanch et Dragyna fratribus suis, Woyhna filio Woyn pro se et pro Drusina filio Michaelis fratre suo, Brezhal filio Woydrug, Zlangozt filio Tolen, Wlk filio Priban pro se et fratre Marcyzlav, Descen filio Descis et pro Malsa fratre suo, Wlkoway filio Wlchina pro se et fratre Belota, Pribizlao filio Hynk(o), Dragsan filio Hrela de Gredech, item Dedusa filio Deduan, pro se et fratribus Dobulon ac Wogrinich, Wolk filio Wolkomer, Wratko et Kuhan filiis Petk(o), Ivan filio Premag pro se et pro Wydomer filio Teydon, Godomerio filio Dragoan pro se, fratre suo Dimnik filio Medilov, Wezelto filio Hernav pro se et fratre Dyminsa, Gordina filio Radizlai, Dragina filio Jula, Marcizlau filio Volcona pro se et fratre suo Chernech de Jarmanighy. — Idem Obrad et caeteri de parte sua praedicti de Gredech, terram ipsorum sitam in Brochina iuxta rivum Peten pro centum pensis denariorum Zagrab.; item Dedusa et alii de Jarmanych terram ipsorum in Brochina iuxta terram de Gredech nunc venditam confessi sunt se similiter pro centum pensis monetae Zagrabiensis vendidisse praedicto Perincholo comiti perpetuo possidendas. Quarum terrarum prima meta incipit ab aquilone in monte iuxta viam inde supra vineam Dragdani. Inde descendit per Obres ad vineas Furiani et Bogdani, venit ad metas abbatis de Toplyca, et per varias metas revertitur in longo spatio ad primam. Astiterunt consanguinei venditorum: Martinus filius Martini, Mark filius Mark, comites: Gordosa filius Zavid, Magdanus filius Petri, Radoan filius Raduzta, Mladovoy Bilk, Dragyna filius Studilov, Odola filius Zurk, Wlk filius Drask(o), Pazman filius Mark, Polak

filius Torka, Petrus filius Rodolfi, Koyan filius Zabizlay, Jacov filius Gordozlai, Ohabut filius Prodanch de Bornouch, Jacobus filius Berizlay, Martin filius Wlksa jobagio abbatis Toplicensis pro se et domino suo.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad VII. 389.

MXLII. **Zagrabiae.** *1271 21. Augusti.* Iwachinus banus totius Slavoniae notificat, quod Heruoy, Obrad, Jacus, Stepchech filii Stepk, Gordona et Chepk, filius eiusdem, Jacobus, Yrozlaus, Chornogadu, Jaxa filii Jacov de Blyna agebant litem contra Endre et Iwanus, filios magistri Stepkonis, dicentes: quod iidem filii Stepkonis quandam particulam terrae suae Stepchinaloncha, quae est inter aquam Sawam et silvam Stepchina occupassent. Ex adverso filii Stepconis responderunt, quod eadem terra eorum esset emptitia quam privilegio regis condam Belae possiderunt, producentes in termino praefixo ipsum privilegium, in quo inter metas ipsa terra continebatur. Produxerunt etiam privilegium Ladislai condam bani pro Blinensibus, concordans privilegio regis. Unde banus una cum nobilibus regni, quorum multitudo copiosa adfuit, decernendo, ipsam terram reliquit Endre et Iwanus supradictis, Blynensibus autem perpetuum silentium imposuit.

Orig. perg. in mea collectione.

MXLIII. **Bicheg.** *1271. 24. Augusti.* Stephanus rex notificat, quod pro quibusdam jobagionibus castri Zagrab. Stanyssa exhibuerit litteras privilegiales Joachimi bani totius Slavoniae pro confirmatione, in quibus continebatur, quod cum casualiter in praesentia Belae ducis astarent super quodam suo negotio tractaturi per offendiosam et ineptam responsionem unius ex ipsis in delaturam lignorum seu ligniferos conditionarios incidissent, et exinde in castrenses. Auditis: episcopo Zagrab. Timotheo, capitulo Zagrab. M. abbate Toplicensi, magistris templariorum et hospitaliorum et nobilium regni, concessit eis rex ut titulo jobagionatus castri Zagrab. pacifice perfruantur.

Ex valde inepto transumpto copia in mea collectione.

MXLIV. **Veglae.** *1271. 12. Septembris.* Sprecca de Dominico confirmat et acceptat testamentum suum factum per magistrum Martinum de Brixia 13. Februarii 1271. Insuper adiunxit dari capitulo Vegliensi medium romanatum. Deinde presbytero Manfredo solidos 10, monasteriis S. Michaelis, S. Mariae de Castellione, S. Laurentii et S. Johannis solidos quinque. Deinde primicerio suo paterno medium romanati. Fratribus minoribus medium romanatum, monasterio S. Michaelis dimissit partem terrarum suarum de Dondrugo et totum lectum suum. Item tertiam partem totius vini et bladi de praesenti anno et vestes suas sive indumenta, ut Dominica filia sua distribuat pro anima sua. Bonae servitrici suae reliquit unum cogcium 1. feltrum, 1. galiciam, 1. vegeticlam. Brattae filio suo decem romanatos. Dominicae filiae suae dimissit omnes vestes et lectos suos et omnes colonos et portiones suas et fecit illam procuratricem et fideicommissariam suam. Res quas dedit Dabborae quondam filiae suae remaneant penes virum eius Dessa. Actum coram Andrea primicerio Veglensi et coram testibus magistro Luciano, Georgio de Ingiso, Johanne filio Stasie de Tukero. Petrus diaconus et notarius scripsit.

In collectione Accademiae scientiarum Zagrab.

MXLV. *1271. 24. Septembris.* Stephanus V. rex notum facit, quod cum populus ecclesiae Zagrab. per continuas vexationes et descesus multiplices

atrociter aggravatus fuerit, recepit eandem ecclesiam in suam protectionem, confirmavit ejus jura et libertates antiquas, et concessit quod nullus neque magnus neque parvus, neque baro nec inferior, super populos ipsius ecclesiae descensus facere praesumat violentos, nec aliquas molestias facere audeat. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis praepositi et aulae vicecancellari. Existentibus Philippo archiepiscopo Strigoniensi et Johanne Spalatensi, Timotheo episc. Zagrab. Joachimo bano totius Slavoniae, Laurentio bano de Sevrino et comite de Doboka. Ponych bano et comite Zaladiensi.
Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 159.

MXLVI. *1271.* Stephanus V. rex manifestat, quod comes Gaban (Jochan) filius comitis Widonis de Vegla de Wynodol et de Modrus pro se et pro patre suo veniens ad eius praesentiam, obtulit litteras communitatis de civitate Seniensi super concordi electione potestariae ipsius civitatis de persona dicti comitis Wydonis confectas, supplicans, ut ipsam electionem ratificare vellet. Rex attendens meritoria obsequia dicti Wydonis et Gaban et filiorum suorum, memoratam electionem confirmat. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis praepositi, aulae vicecancellarii.
Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. I. 107.

MXLVII. *1271.* Stephanus V. rex manifestat, quod cum homines in possessionibus Alexandri et Demetrii filiorum Demetrii comitis ultra Drawam existentes, collectam septem denariorum a tempore Belae regis editam et indictam ratione lucri camerae, et nullam aliam exactionem, licet minimam, quae cum facta fuerit et indicta per totam terram illam ex indulto eiusdem regis, nunquam solvissent, nec etiam primitus solvere debuissent, petiverunt igitur regem, quatenus supradictis eandem gratiam sibi et eorum populis factam ratificare et privilegio confirmare dignaretur. Rex attendens eorum laudabilia servitia, ratificavit ordinationem sui patris, quod populi ipsorum nec ad septem denariorum collectam solvendam nec ad alias exactiones dandas aliqualiter compellantur sed ab his sint perpetuo liberi et exempti. Datum per manus Benedicti praep. Orodiensis aulae vicecancellarii. Existentibus inter caeteros magnatibus et praelatis Johanne Spalatensi archiepiscopo, Joachimo bano totius Slavoniae, Petro magistro Dapiferorum comite de Geychke (Gaška), Ponich bano, comite Zaladiensi etc.
Fejer: Codex dipl. T. V. vol. I. p. 150.

MXLVIII. *1271.* Stephanus V. rex collationales Colomani ducis totius Slavoniae a. 1240. hospitibus de Petrina datas per Belam IV. a. 1242. confirmatas innovat, ac favore hoc, ut iidem negotia sua iuxta morem aliorum hospitum regalium hactenus observatum, per juramentnm debeant legitime terminari, auget.
Fejer: Cod. dipl. V. vol. II. p. 172.

MXLIX. *1271.* Capitulum Chasmensis ecclesiae significat, quod constitutis ab una parte Voysa et Marizlov filiis Berivoy, ab altera vero Endrey parvo praedialibus de Gresenche, iidem filii Berivoy particulam terrae eorum pro quinque marcis dicto Endrey vendidissent. Meta terrae incipit de terra filiorum Kuchk in rivo. Inde per vallem exit ad viam, inde ad magnam viam inde per varias metas arboreas ad priorem.
Cod. dip. patrius VII. p. 133. Ex actis comitum Erdődy Galgozam ablatis.

ML. *1271.* Capitulum Chasmensis ecclesiae significat, quod constitutis coram eo ab una parte Petrin filio Petri, Chema filio Zeoyk, Mathaei, Sank, Ginse, Gardoka filio Ginka, Wizlov, Moycho filio Moychin, Czerniglav filio Nekemir, Mark filio Boner de genere Buchka; ab altera autem Mirse filio Destyn, idem Petrin et alii socii terram suam et communem, vicinam et fere circumdatam cum terra Mirse pro decem marcis et tribus pensis confessi sunt se vendidisse. Cuius terrae meta incipit ab occidente in vicinitate terrae Mirse inde cadit in Zuhodol, intrat in aquam Rogozna, inde ad molendinum, inde in magno spacio ad terram Markus filii Tuol a meridie terrae Wizlov et Czernoglav, per varias metas ad ripam Wrbona ad priorem.
Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VIII. 357.

MLI. *In* **Senia** *ante ecclesiam S. Joannis Bapt. 1271.* Jacobus vicepotestas, iudicesque, consiliarii et tota comunitas Sceniensis significant, quod cum frater Henricus monachus Toplicensis, electus eiusdem civitatis, veniens in ipsam civitatem vice et nomine abbatis de Toplica, litteras magistri Petri archidiaconi Zagrab. praesentavit, quod domus suas, quas dominus Belzaninus in dicta civitate ab eodem Petro tenebat, ad manus abbatis deberet assignare. Qui B. domus praedictas eidem H. sine contradictione assignavit.
Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 160.

MLII. **Bichigii.** *1271.* Jacobus maior villae et tota communitas civitatis de Bihig notum facit, quod cum patre Mathaeo abbate de Toplica talem ordinaverunt compositionem, ut ipse nullum de eorum jobagionibus de Velicho ad suum districtum de Crala recipiat, et illi e converso nullum de Crala ad districtum de Veliko assummere praesumant.
Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 160.

MLIII. **Tragurii.** *1272. 7. Jannuarii.* Comes Stepicius de Ceptina et sui consanguinei Vulcepta, filius Previslavi et Predislavus, filius Qualimere de Ceptina ex una parte, et Elias filius Radovani, Volcheuza de Sibenico, nomine communitatis Sibenici, et Dessa Amblasii, Luca Petri et Lomprus Jacobi iudices civitatis Tragurii nomine communis Traguriensis ex altera, ad talem concordiam pervenerunt: Quod si aliquis de Ceptina damnum dederit alicui de Tragurio vel de Sibenico et cum percusserit aut sanguinem fuderit, teneatur dictum damnum emendare et si non poterit, tradatur personaliter illi cui damnum fecerit aut quem percusserit et e converso Tragurinus vel Sibinicensis Cetinensi homini. Et si aliquis inventus fuerit postea aliquo tempore, quod malitiose dixerit et petierit quod petiit, teneatur solvere duplum de eo, quod accepit pro damno illi, a quo accepit emendam damni. Haec omnes ad invicem alter altri promiserunt et corporaliter iuraverunt rata habere.

Eadem die Stepcus filius Stancii et Joannes filius Bogdani, iudices de Chlissza, ex una parte pro sua communitate et Elias filiis Radovani et Volchesza de Scibenico pro sua communitate et iudices Traguriense nomine suae communitatis ex altera parte, ad idem pactum ut supra consenserunt Praesentibus Zancia Casotti, Marino de Casariza, Georgeo de Caga, Mauro Stoche, et Duymo Domiche et aliis testibus, et Stephano Marini Ruge examinatore.
Lucius: Mem. di Trau p. 86.

MLIV. *In* **Brochina.** *1272. 9. Februarii.* Hodus comes Zagrabiensis notum facit, quod constitutis in eius praesentia ab una parte comite Perincholo de monte Grech et ab altera Guerd filio Priba, Vezelk et Diminsa, filiis Herman de Brochina, idem Gverd cum sociis confessi sunt se unam particulam terrae in Pribirag iuxta terram Perincholi comitis et Martini filii Martini positam se vendidisse pro septem marcis denariorum Zagrabiensium, quorum singulae quinque pensae marcam tunc temporis faciebant. Astiterunt commetanei terrae Martinus filius Martini, Marc filius Marci, Bogdan, Gordosa cum suis proximis, Dedesa, Godemer, Petk, cum suis proximis de Jarmanichi, Obrad, Maradek, Nicolaus filius Dragan cum suis proximis de Grach (Gradec), Odola, Wlkoy, Radauan, Mladoy, Nadeck cum suis proximis, Draghin, Varatk cum suis proximis Achibil, Wlchihna cum suis proximis, Hemetk, Wlkina cum suis proximis de Lonotichi, Gurg, Stoizlav, Benedictus cum suis proximis de Melinche qui venditionem unanimiter admiserunt. Meta incipit in fluvio Pribiray et vadit per varias metas terreas.

Ex archivo camerali Budensi. Cod. dipl. Arpad. VIII. p. 412.

MLV. **Venetiis.** *1272. 11. Februarii.* Conceditur per consilium majus ut una galea hominibus Ragusii, una communitati de Arbe et una comitibus Veglae vendi possit.

Ljubić: Mon. I.

MLVI. **Venetiis.** *1272. 20. Februarii.* Laurentius Teupolo, dux Venetiarum scribit Rectoribus et universitati civitatis Traguriensis cum nobilem N. in comitem Curzurae et Meletae praesentialiter dirigat, requirit idem dux et consilium quatenus eundem nobilem et homines eius recommendatos habeant, et eis favorem suum et auxilium impendant.

Lucius: Mem. di Trau p. 108.

MLVII. *1272. 26. Februarii.* Stephanus V. rex confert comiti Michaeli filio Andreae in praemium multorum servitiorum et specialiter quod in bello Erney bani dum ille cum Henrico palatino regem interficere cupiebat, in medias acies hostium se immiserit et victoriam habuerit, aliquas possessiones Simoni genero Bank bani ademptas, inter caetera Lasponya circa Tytiam fluvium, quam Banch bano pretio comparaverat et cum filia sua Simoni genero suo donaverat.

Fejer: Cod dipl. T. VII. vol. II. p. 19.

MLVIII. *1272. 27. Februarii.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notificat, quod constitutis ab una parte Petro archidiacono cathedrali et ab altera David filio Pousa de vico eorum, idem David molendinum suum in fluvio supra civitatem inter molendina capituli et filiorum Isaak situm, quod sibi in concambium dimidii molendini sui sub ecclesia B. Virginis sub monte Grech a praedicto magistro Petro provenerat, confessus est se vendidisse eidem Petro pro 50 pensis denariorum banalium, quorum singulae quinque pensae marcam tunc temporis faciebant.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 161.

MLIX. *Apud urbem veterem. 1272. 11. Martii.* Georgius X. papa mandat episcopo Zagrabiensi ut indagat de moribus cleri sui et ad concilium universale referat.
Theiner: Mon. vet. Hung. T. I. p. 294.

MLX. **Budae.** *1272. 20. Martii.* Capitulum Budensis ecclesiae ad petitionem viri nobilis Petri filii de Zonuk de gener Zovnuk exmittit tres canononicos suos, pro ratificando testamento eiusdem Petri, qui terras suas Zederkyn iuxta pontem Namya cum ecclesia S. Crucis ibidem aedificata, in comitatu Barania et Zamaria prope aquam Drawa in superiori villae Hagmas in comitatu Walkow cum omnibus pertinentiis et aquis legavit ecclesiae S. Mariae de Insula pro remidio animae suae. Insuper servos suos Pentyk, Jacobum, Blasium et Margaritham ancillam perpetua libertate investivit. Hanc dispositionem Petri de Zederkin confirmavit etiam Stephanus rex eodem anno.
Fejer: Cod. dipl. R. V. vol. I. p. 188, 189

MLXI. *1272. 14. Aprilis.* Capitulum ecclesiae Albensis notum facit, quod magister Johannes thesaurarius Zagrabiensis ecclesiae litteras regis Stephani exhibuit, quibus eis mandat, quatenus transumpta privilegiorum Timothaei episcopi Zagrabiensi, sigillo autentico assignare debeat.
Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 161.

MLXII. *1272. 28. Aprilis.* Stephanus V. rex notificat, quod cum nobiles viri N. de N. filii N. bani bona in pueritia, meliori in adolescentia, et optima in iuventute virtute fulgentes Belae regi patri suo in diversis expeditionibus laudabilem semper impendissent famulatum et post obitum regis contra Ottocarum regem fidelia praestiterunt servitia. Praeterea cum Henricus banus filius Henrici, deserta patria et proditis castris ad praenotatum regem se transtulisset, ad expugnandum ipsius castrum Kuzeg destinati, per ipsorum militiam recuperatum est idem castrum, quocirca eis rex contulit quandam vacuam terram comitatus Castriferrei. Existentibus Joh. archiepiscopo Spalat., Timotheo episcopo Zagrab., Joachimo bano totius Slav., Ponich bano comite Saladiensi.
Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. I. p. 234.

MLXIII. **Zagrabiae.** *1272. 29. Maii.* Stephanus V. rex confirmat ad petitionem Moysis palatini et comitis Sproniensis donationem possessionum sororibus de insula B. M. V. factam per eum, ratione sororis et duarum filiarum suarum inter ipsas sorores existentium.
Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. I. p. 251.

MLXIV. **Toplicae.** *1272. 8. Junii.* Stephanus V. rex manifestat, quod in baronum suorum praesentia iudicans in Toplica, edicto praemisso publico, ut omnes causatores eo pro tribunali sedente adesse deberent peremptorie tunc nobiles Matyn, Petrus et Johannes filii Hetynk ad regis accedentes praesentiam foro instante iudiciali proposuerint, se super terra Kaztanicha per fratrem G. magistrum domus militiae Templi per Ungariam et Slavoniam in iudicium evocatos, exhibentes privilegium patris regis super ipsa terra confectum, postulantes ut idem confirmaret (vide priv. a. 1258); quam petitionem rex attendens, dictum privilegium confirmavit, per manus magistri Benedicti Oro-

diensis praepositi, aulae vicecancellarii. Existentibus Philipo Strigoniensi et Johanne Spalat. archiepiscopis. Timotheo Zagrabiensi episcopo, Nicolao iudice curiae, comite Simigiensi. Joachimo bano totius Slavoniae, Petro magistro Dapiferorum comite de Gvechke, Paulo bano comite Bachiniensi, Ponich bano comite Zaladiensi.

In archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. T. VIII. p. 384.

MLXV. *In partibus Slavoniae apud* **Toplicam**. *1272. 8. Junii.* Stephanus V. rex confirmat ecclesiae Vesprimiensi possessionem Chycho in valle Niveg sitam a Bela IV. rege eidem ecclesiae donatam.

Fejer: Cod. dipl. T. VII. vol. II. p. 18.

MLXVI. **Spalati.** *1272. 14. Junii.* Regnante Stephano rege, tempore Joannis archiepiscopi Spalatensis, Joachini Pectari, bani Slavoniae, et comitis Vulchetae potestatis, Dobri Duscizzae, Vulcinae Tresae, iudicum. Praedictus archiepiscopus notificat, quod suscepta regiminis cura dolens repererit ecclesiam Spalatensem de sua antiqua dignitate multis modis spoliatam et suis juribus destitutam esse. Percepit etiam ab ipso primordio sui adventus provinciam Likam ad praefatam sedem Spalat. pertinuisse, ideoque cum consilio et consensu capituli dictam provinciam ad jus et proprietatem beati Domnii resumere volens, domino regi contra Stephanum episcopum Nonensem graves quaerimonias faciendo ipsum in causam coram rege attraxit. Cumque negotium diu inter eos verteretur, supplicavit Nonensis episcopus ut sibi misericorditer justitiam declararet. Quapropter archiepiscopus et capitulum cupientes jus ecclesiae Nonensis conservare, habito consilio cum sapientibus et religiosis viris deliberarunt praedictam provintiam Lika cum omnibus suis juribus et pertinentiis, salvo visitationis officio, Stephano nonensi episcopo et suis successoribus pacifice possidendam relinquere. Praesentibus nobilibus viris Martino Grisogoni, Josepho Petri et Martino Simeonis. Lucas canonicus et notarius Spalat. scripsit.

Farlati: Illyr. sacr. T. III. p. 285.

MLXVII. *1272. 16. Junii.* Stephanus V. rex confirmat litteras Stephani bani pro quodam nobili Perugh de generatione Boith, nobilis de Tetachich, de Lica. Existentibus Joanne Spalat. archiepiscopo, Timothae Zagrab. episcopo, Joachimo bano Slavoniae.

Ex transumpto Sigismundi regis. Marcellovich.

MLXVIII. *1272. 17. Junii.* Stephanus V. rex ad instantiam Timothei episcopi Zagrab. ut privilegium Andreae II. regis sub aurea bulla obtentum, et confirmatorium Belae IV. regis super immunitate libertatis ecclesiae Zagrab dignaretur aureae bullae munimire roborari; annuens petitioni memorata privilegia sua aurea bulla roborando, ipsi Zagrab. ecclesiae, praesertim ob devotionem S. regis Ladislai, qui eliminatis gentilitatis erroribus in ducatu Slavoniae, Zagrabiensis ecclesiae instructor sanctissimus extitit et fundator; attendens porro Timothei episcopi devotionem, qui opere mirifico et plurimum sumptuoso quasi dissolutam in sui corpore a primo fundamento ipsam Zagrab. ecclesiam reparavit, mandat cuiquiam bano, etiam de stirpe regia descendenti, vel cuilibet comiti, iudici etc. ne auderent populos ecclesiae Zagrab.

in aliqua causa judicare vel jurisdictionem aliquam sibi vendicare. Datum per manus Stephani, archiepiscopi Colocensis aulae summi cancellarii. Existentibus Johanne de generatione Buzad Spalatensi archiepiscopo, Timotheo Zagrab. episcopo, Joachimo bano totius Slavoniae, Anselmo comite de Kewe et de Crasu, Rolando bano perpetuo comite de Kemluk, Paulo bano comite Bachiensi, Ernerio bano comite Vorosdiensi, Ponich bano comite Zaladiensi, Petro magistro dapiferorum et comite de Guetke.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 162.

MLXIX. *1272. 24. Junii.* Stephanus V. rex notificat, quod cum statim post eius coronationem inter fratrem Joannem de genere Buzad archiep. Spalat ab una et Stephanum episc. Nonensem ab altera super provincia de Lica et eius decimatione seu iuribus, fuisset gravis materia questionis coram rege suscitata, tandem idem episcopus nonensis exhibuit privilegiales litteras eiusdem archiep. Spalat. et capituli sui, super decisione quaestionis huius datas, petens ut eum et ecclesiam nonensem in suo iure conservare et id quod circa decisionem questionis factum est, ratum habere dignaretur. Quarum litterarum de dato 14. Junii 1272 tenor fuit, quod temporibus Joannis archiepiscopi Spalat. Joachim Pectari bani Slavoniae, comitis Vulchetae potestatis, Dobri Dussizae, Vulcinae Fresae iudicum, idem archiepiscopus et capitulum Spalatense confessi sunt Licam pertinere ad dioecesim Nonensem, salvo jure visitationis. Rex itaque iam ex forma litterarum edoctus, quam etiam per testimonium Rolandi bani aliorumque nobilium et ex serie instrumentorum Nonensis ecclesiae informatus, quod provincia de Lica et eius decimatio nunquam ad Spalatensem ecclesiam sed semper ad nonensem pertinuerit, litteras supradictas ratas habuit. Datum per manus magistri praepositi Orodiensis aulae vicecancellarii. Existente Joachino bano totius Slavoniae, Paulo bano comite Biachiensi.

Farlati: Illyr. sacr. T. III. p. 286.

MLXX. *1272.* Stephanus V. rex notificat, quod cum Nicolaus comes de Blagay multa servitia patri ejus et sibi, cum in Styria fuisset, impendisset et post mortem patris sui (regis Belae IV.) in guerra quam cum rege Boemorum habuit, fidelitates et servitia cumulavit, hominibus de Styria qui confinia regni invadebant, strenue resistendo. Demum cum inter ipsum regem et Boemos treugae et concordiae fuissent ordinatae, rex Boemorum praedictum comitem Nicolaum suis castris ac possessionibus spoliavit universis, quae in Styria possidebat. In recompensationem itaque sui fidelissimi famulatus eidem comiti villam Zamobor in Slavonia existentem, cum tributo, utilitatibus et pertinentiis universis contulit, et eandem per Iwachinum banum totius Slavoniae assignari fecit. — Datum per manus Benedicti Orodiensis ecclesiae praepositi et aulae vicecancellarii. Existentibus inter caeteros praelatos et magnates: Johanne archiepiscopo Spalatensi, Thymoteo episcopo Zagrabiensi, Nicolao iudice curiae et comite Symigiensi, Joachimo bano totius Slavoniae, Laurentio bano de Zeuerino comite de Doboka, Petro magistro dapiferorum comite de Guechke, Paulo bano et Ponych bano comite Zaladiensi.

Orig. membr. in archivo comitis Lud. Blagay. N. 13.

MLXXI 1272. Stephanus V. rex notificat, qualiter magister Buza quondam cantor Zagrab. ecclesiae cum adhuc viveret, decrevit ut singulis diebus in honorem B. M. Virginis, circa crepusculum diei, in cathedrali ecclesia Zagrab. missa indesinenter debeat decantari, sicut etiam eiusdem missae B. V. in eadem ecclesia celebris habebatur, ad hoc exercendum duobus sacerdotibus institutis, quibus ad sustentationem contulit quoddam praedium ad Othok vicinum prope fluvium Sawa. Contulit etiam duos servos Budulo et Ochuz cum matre eorundem. Item unam vineam in Jelseuch intra territorium capituli Zagrab., quam collationem rex confirmat. Datum per manus magistri Benedicti praepositi orodiensis aulae vicecancellarii. Existentibus Philippo Strigoniensi, Stephano colocensi aulae cancellario et Johanne Spalatensi archiepiscopis, Timotheo Zagrab episc. Joachimo bano totius Slavoniae, Petro magistro dapiferorum comite de Guerche, Paulo bano comite Bathyensi, Ponych bano comite Zaladiensi.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 164.

MLXXII. 1272. Stephanus V. rex significat, quod inter patrem Philippum archiepiscopum Strigoniensem ex una parte, et inter Lorandum banum cui collectam regiam septem denariorum ultra Dravam pro lucro camerae rex donavit, super decima ipsius collectae orta coram rege materia questionis, ipso archiepiscopo vendicante decimas ex ipsa sibi et ecclesiae suae debitas tum ex privilegio, tum ex antiqua consvetudine cuius non extat memoria. In contrario autem Lorando negante et asseverante, de collecta lucri camerae ultra Dravam nusquam archiepiscopum Strigoniensem percepisse decimam. E contrario demonstravit archiepiscopus quod ei decima per totum regnum debebatur, quae ei etiam per litteras papales et genitoris regis Belae IV. confirmatae fuerunt. Quocirca rex ipsi Lorando bano et omnibus quibus dicta collecta in futurum donaretur silentium perpetuum imposuit adiudicans ipsas decimas lucri camerae ultra Drawam archiepiscopo Strigoniensi et ejus ecclesiae.

Fejer: Cod. dipl. V. vol. I. p. 251.

MLXXIII. 1272. Stephanus V. rex notificat, quod Stanisk filius Varacysk jobagio castri Zagrabiensis cum sua generatione ad regis accedens praesentiam exhibuisset litteras privilegiales Joachimi bani totius Slavoniae super libertate sua et suorum cognatorum supplicando ut eas confirmare dignaretur. In litteris autem bani continebatur, quod cum idem Stanysk et tota sua generatio casualiter in praesentia Belae ducis fel. memoriae astarent super quoddam negotio tractaturi, per offendiosam et ineptam responsionem unius ex ipsis, in delaturam lignorum, seu ligniferos conditionarios incidissent et exinde in castrenses idem dux Bela eos redegisset. Postmodum cum scita veritate expertus voluisset ipsos in jobagionatum castri Zagrab. transferre, prout primum fuisse dicebantur, sed duce de medio sublato, demum ad petitionem eorum commiserans eis banus, exaudivit Thimotheum episcopum Zagrab. capitulum ejusdem loci, M. abbatem Toplicensem, magistros praeceptores Templariorum et Hospitaliorum, nobilesque regni: Iwan comitem, filium Treylay (Iroslai), Lucam, Wyd, Mathaeum et Petrum, filios Endre, Martinum, Petrum filios Herenk, Mortun, Cuchnik, Damianum et Cybrianum de genere Atha (Agha); jobagiones vero castri Zagrab.: Nengrag (Nedrag), Wydorlium,

Jaram, Iwan, Welizlaum, Eados, Mikus, Endre, Moloynam, Weysnam, Ladislaum, Endrech, Obulganid, Ladislaum, Waratin, Mark, Prodan, Myren, Wydevch, Paulum filium Oporych, Wlkotam, Desce, Mosen, Paulum comitem terrestrem, Lack, Petres, Petrisaum et alios jobagiones castri Zagrab. quam plures. Item Petres comitem filium Petryla, Moysan, Chornog et Radoy, Ivankam comites, utrosque Ydkm, Danus, Mark et Radovanum. Item Petres, Mark et Mork, jobagiones castri Okluch. Item Eliam, Zloynam, Zaladinum jobagiones castri de Podgorya; Jurk et generationem suam de Blyna; Poursen et generationem suam, Baboneg comitem, Farcasium filium Jelenk, Huec comitem, Jordan comitem, Bodoney, Stanislaum et Jaan villicum de Gora, ac universos nobiles regni, prout constitit. Item Stanyk, Wolthuk, Bosk filios Waratisk, Benk filium Prek, Dragozlaum filium Gudizlai, Moak filium Dragavani, Gordinam filium Drasyle, Pornos filium Stank, Zlobb, Volkosa ac totam generationem eorum, qui omnes attestarunt, quod iidem petitores semper fuerint jobagiones castri Zagrabiensis a suis progenitoribus. Quibus auditis concessit banus ut ipsi et eorum successores titulo jobagionatus castri Zagrabiensis pacifice et perpetuo sicut antea perfruantur. Datum Bigzeg, 24. Augusti 1271. Quam sententiam rex confirmat Existentibus Johanne Spalatensi archiepiscopo, Tymotheo Zagrabiensi episcopo, Joachimo bano totius Slavoniae, Petro magistro dapiferorum comite de Gecke, Paulo bano comite Bachiensi, Ponich bano comite Zaladiensi.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 196.

MLXXIV. *1272.* Stephanus V. rex notificat, quod cum nobiles viri comes Dominicus et magister Michael filii comitis Petri de genere Chak, primo cum esset in persecutione suorum infidelium in Fekete Holm fortiter dimicando contra hostes ipse Michael mortale vulnus excepit. Item secundo in Ilsuascegd idem Michael plura et gravissima vulnera accepisset. Item tertio post obitum patris Belae regis, in conflictu regis Boemiae iuxta fluvium Rabcha dictus Michael in area certaminis multiplices plagas sustulit. Nec hoc praetermittendo, quod cum Vros rex Serviae pro contumacia suae ignorantiae et propter devastationem terrae de Macho contra Belam regem insurgens in suo conflictu fuerat devictus, extitit et captivatus. In quo bello idem Michael honestos captivos captivasset, et diversas crudeles plagas super se assumpsisset. Rex igitur confert dictis fratribus villam Korusd. Existentibus Johanne archiepiscopo Spalat., Timotheo episcopo Zagrab., Moys bano totius Slavoniae, comite Sopronensi, Ponich bano comite Zaladiensi.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 238.

MLXXV. *1272.* Stephanus V. rex notificat, quod Lucas, Wyd, Mathaeus et Petrus filii Endre comit. ei conquerendo retulerint, quod Stephanus quondam banus Slavoniae, particulam terrae eorum haereditariae Odra vocatae ad unius aratri et dimidium deputatam, et quandam insulam de quadam terra eorum falcatam, Conschan vocatam, ad unum aratrum sufficientem, Prelocam nuncupatam, ab eis allienasset; petierunt itaque ut eis easdem reddere dignaretur. Rex censens petitionem hanc legitimam atque justam fore, eisdem filiis Endre comitis restituit. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis praepositi aulae vicecancellarii. Existentibus Johanne archiepiscopo Spala-

tensi, Timotheo episcopo Zagrabiensi, Henrico bano totius Slavoniae, Egidio bano de Machov, Paulo bano de Zeurino.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex regni archivo ablatis N. R. A. Fasc. 135. N. 19.

MLXXVI. **Tragurii.** *1272. 15. Augusti.* Frater Simon de Tragurio de ordine Fr. Praedicatorum electus episcopus Tininiensis constituit et ordinavit Martinum canonicum S. Laurentii suum procuratorem et nuntium ad petendam confirmationem suae electionis coram venerabili archiepiscopo Spalatensi et aliis quibusdam personis. Actum in capite scalarum palatii d. comitis, praesentibus Casotto primicerio et Martino de Casarezza et Nicolao Longo testibus et Matheo Lucae examinatore.

Farlati: Illir. sacr. T. IV. p. 287.

MLXXVII. **Albae.** *1272. 24. Augusti.* Ladislaus IV. rex insinuat Traguriensibus quod sit regni sui diademate insignitus et coronatus. Regesque et principes regnorum circumquaque adiacentium sunt cum eo in bona pacis unione. Quare eis firmiter mandat, quatenus circa ea quae ipsum et Joachinum banum contingunt, tali fidelitate procedant, ut eos omni bono prosequare possit, sciat enim quod quamvis sit ad praesens in puerili aetate, tamen habet potestatem insurgentes contra eum potenter coercendi. Unde si aliquid infidelitatis in corda eorum ascendet, nec super aquis, nec in terris evadent manus eius. Vult etiam ut maiores ex eis veniant ad eum, sicut ad dominum suum naturalem festinanter sine aliquo timore.

Lucius: De regno Dalm. et Croat. Lib. IV. cap. IX.

MLXXVIII. *In insula* **Sat** . . . *1272. 20. Novembris.* Ladislaus IV. rex potestati et communi de Tragurio qui ei per nuntium suum Cosmam significaverint, quod debitam fidelitatem ei perfecte servare et in ea persistere perpetuo volunt, refert eis multas gratias, assecurando, quod eos in libertatibus et juribus eorum quae a sanctis progenitoribus tenuerunt, velit per omnia conservare.

Lucius: Mem. di Trau. p. 91.

MLXXIX. *1272. 2. Decembris.* Ladislaus IV. rex confirmat ordini fratrum Praemostratensium donationales avi sui Belae IV. regis monasterio b. Michaelis archangeli de insula Virginis Mariae (in Hungaria); ubi inter praelatos et proceres occurunt: Joannes archiepiscopus Spalatensis, Timothaeus episcopus Zagrabiensis, Rolandus palatinus, banus de Macho, Joachimus magister tavernicorum, Mathaeus banus totius Slavoniae, Henricus banus de Wozora et de Sol, Alexander iudex curiae et comes de Vrbaz, Paulus banus de Zeurino, Joannes comes Zaladiensis, Stephanus banus de Bozna, Gregorius banus de Kuche et de Boronch, Herbordus comes de Barana.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 56.

MLXXX. **Spalati.** *1272. 27. Decembris.* Saracenus episcopus Corbaviensis significat, quod de mandato Joannis archiepiscopi Spalatensis in monasterio metropolitano (ecclesia S. Domnii) Nicolaum electum Tyniensem sine ulla contradictione promovisset ad sacrum sacerdotis ordinem.

Farlati: Illir. sacr. T. IV. p. 187.

MLXXXI. **Spalati.** *1272. 24. Decembris.* Sarachenus Corbaviensis et Dobrona Pharensis, episcopi significant, quod in festo natalis domini, praecipiente Johanne archiepiscopo Spalatensi metropolitano suo accedentes in Spalatum Nicolaum canonice electum et confirmatum, nullo contradicente in episcopum Tiniensem consecraverint.
Farlati: Illir. sacr. T. IV. p. 288.

MLXXXII. **Spalati.** *1272. 25. Decembris.* Capitulum ecclesiae Spalatensis notum facit, quod defuncto Ladislao episcopo Tiniensi, capitulum et plures presbyteri et clerici Tynienses cum multis nobilibus viris eiusdem episcopatus ad sedem Spalatensem accedentes, cum Nicolao eiusdem ecclesiae archidiacono et suo electo, electionem de ipso factam Joanni Spalatensi archiepiscopo suo metropolitano praesentassent, supplicantes ut ipsum confirmare dignaretur. Archiepiscopus habito consilio cum suo capitulo et clero, ipsum electum confirmavit ad petitionem regis et bani et postmodum in diaconum et episcopum ordinavit et in die nativitatis Domini consecravit, assistentibus Saraceno Corbaviensi episcopo et Dobrana pharensi.
Farlati: Illir. sacr. T. IV. p. 288.

MLXXXIII. **Zagrabiae.** *1272. 25. Decembris.* Mathaeus banus totius Slavoniae significat, quod constitutis coram eo Perchino comite ex una parte, Poseil filio Mirozlai, Wlk filio Wlkomeri, Widomerio filio Tezlai, Cohan filio Perk et Dobrila filio Vidizlai a parte altera, idem Poseil cum sociis suis confessi sunt se vendidisse triginta et duas dimensiones, quae vulgo vereten dicuntur, de terra Jarmanichi super fluvium Volauch iuxta metas populorum de Gradich eidem Perchino comiti iure perpetuo pro triginta duabus pensis denariorum Zagrabiensium.
Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. VIII. 398.

MLXXXIV. *1272.* Ladislaus IV. rex recensens praestita obsequia fratrum Petri ac Mathaei de genere Chak, avo, patrique suo temporibus exhibita, praecipue cum Herney banus et alii avi nostri (Belae regis) barones, persecutionis tempore (Belae regis) contra patrem nostrum (Stephanum V.) domata militia accessissent, idem magister Petrus cum praefato fratre suo huiusmodi praeveniens exercitum, ipsum Ernei banum devictum in praelio captivavit, ubi ipse lethaliter extitit sauciatus. Item in Ilsvazeg cum idem pater noster contra Belam Ducem, Prewcilinum, Henricum banum et alios avi nostri adiutores et barones conflictum haberet, idem magister Petrus, licet antea transfossus lancea et sectus gladio militare non valeret, mori tamen pro patre nostro et nobis elegit potius, quam ante consumationem relinquere initiatum negotium patris nostri, ubi coronam regni coelitus nobis per successionem traditam, in persona patris nostri obtinuimus et recuperavimus per eiusdem mag. Petri fidelitatem. In quo quidem conflictu, Bela duce effugato et Prewcelino interfecto, Henricus banus cum filiiis et complicibus suis exstitit captivatus. — Demum in conflictu contra Ottocarum regem Boemiae ad fluvium Rebucze (Rabca) cum patri nostro felix cesserat victoria idem Petrus licet hinc inde impugnaretur et pugnaret, Belam tamen ducem, tunc intimum patris nostri defensorem et militem strenuum, ejus equo in bello mortuo, ipse Petrus de medio cunei per probitatem suam et virtutem

propriam redemit et reduxit. — Inter praelatos et barones nominantur: Joannes archiepiscopus Spalat., Timotheus episcopus Zagrabiensis, Henricus, banus totius Slavoniae, Egidius banus de Macho et de Bozna, Ugrinus magister Agazorum et comes Syrmiensis, Paulus banus de Zeurino, Dedalus comes Zaladiensis.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 95.

MLXXXV. *1272.* Ladislaus IV. rex notificat, quod cives de monte Grech de Zagrabia petierint privilegium patris ejus Belae IV. regis bulla aurea roboratum confirmari, in quo eis terram Ambrosini duobus aratris sufficientem dimisit in perpetuum possidendam, quod rex lubens ratum habuit.

In archiv. Accad. Slav. merid.

MLXXXVI. *1272.* Ladislaus IV. rex scribit comiti Spalat. civitatis, quia eadem civitas ei semper fidelitatis opera exhibuit et quia ad eos propter variarum guerarum discrimina accedere nequit, quomodo intellexerit quod judices extraneos de aliis regnis recipere consvevissent, quod non est fidelitatis indicium. Quod etiam cives Tragurienses perturbant et quosdam ex sua communitate expulerunt. Quare eis mandat si eum naturalem dominum regem Hungariae et Croatiae cognoscunt, extunc iudices extraneos expellant, et de regno ejus fidelem pro Potestate assumant, et cives Tragurienses in aliquo non perturbant, praeterea quatuor meliores ex suis usque ad festum S. Michaelis ad eum transmittant, ut una cum ipsis de bono statu regni Croatiae ordinare possit.

Lucius: Mem. di Trau. p. 93.

MLXXXVII. *1272.* Ladislaus IV. rex ad petitionem Narad filii Vojteh de villa Pyr in comitatu Hunthensi confirmat privilegium patris sui Belae IV. regis (de anno circiter 1250) concessum Woyteh filio Michaelis de villa Pyr in comitatu Huutensis, ob praestita servitia, cum regem tempore persecutionis Tartarorum articulo necessitatis compulso ad maritimas partes declinantem ubique secutus, ad mare procedentem et revertentem cum equis et armis suis coram oculis regis grata exhibuit servitia, pro quo servitio rex eum in numerum regalium servientium suorum recepit, eximens eum ab officio et conditione piscationis. Terram quoque Ivan servientis quinque aratrorum illi contulit.

Fejer: Cod. dipl. T. X. vol. III. p. 160—162.

MLXXXVIII. *1272.* Ladislaus IV. rex Hung., Dalm., Croat. notificat, quod cum ipse per apprehensionem quorundam baronum regni Hungariae in castro Kopurnycha (Koprivnica) detentus fuisset, comes Bachaler castellanus eiusdem castri, eo necessitatis tempore quo idem castrum ex praecepto regis patris sui multitudine exercituum circumvallabatur, effusione sui sanguinis, innumerabilia ei seruitia impendisset. In recompensationem igitur istorum servitiorum contulit ei rex terram Zarakad ad castrum Ferreum spectantem, habito prius consilio cum suis baronibus, Joachino bano, Laurentio palatino comite Supruniensi, Irenaeo magistro tavernicorum, Ladislao comite Posoniensi, Omodeo castri Ferrei comite et aliis omnibus. Datum per manus Nicolai praepositi albensis aulae vicecancellarii.

Ex mea antiqua collectione.

MLXXXIX. *1272.* Mathaeus banus totius Slavoniae confirmat emptionem 32 mansionum terrae ad fluvium Wolauchy(e) iuxta metas populorum de Giridicha, factam a comite Perechhino de Pozal et eius congeneratione pro 32 pensis denariorum banalium.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. 1. p. 278.

MXC. *1272.* Hodus comes Zagrabiensis testatur factam fuisse venditionem particulae terrae in Pribivach (Pribić) per nobiles de Brochina pro septem marcis denariorum Zagrabiensium comiti Perincholo.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. I. p. 278.

MXCI. *Apud s. Clementem. 1272.* De consensu abbatis et totius conventus de Toplica reambulatur quaedam terra et renovantur antiqui termini et limites metarum, quarum prima incipit in fluvio Petrina sub grangia Machim vocata. Inde ascendendo per medium cuiusdam montis venit ad montem Gradech versus orientem. Deinde per varias antiquas metas versus meridiem ad metam s. Ladislai regis, abbinc flectitur ad quatuor fossata quae iacent iuxta viam. Inde ad Ponikeu ubi fluvius intrat terram, de cujus fontis capite descendit in Chudin. Questio etiam suborta super terris liberae villae de s. Clemente et abbate de Toplica, quae ita sopita est, ut dictus abbas pro bono pacis montem situm iuxta rivulum Wolovle ecclesiae N. reliquit pacifice; cuius metae vadunt iuxta rivulum et veniunt ad Calistam ubi dividitur terra adversae partis (capituli) Hrastoycha a terra abbatis.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 165.

MXCII. *1272.* Capitulum chasmensis ecclesiae significat, quod Egidius et Mike filii Moytun jobagiones castri de Izdench, Ambrosius et Norsa fratres eorum vendidissent Eliae Saxoni ibidem filio Moytun partem terrae haereditariae pro viginti et octo marcis. Cujus meta incipit in magna Supluncha et vadit per varias metas ad rivum Cobila. Item per varias metas arboreas et terreas cadit per vallem ad rivulum Sydin. Vicinatur terrae Syrbuk, venit ad dumum avellanae et per rivulum Sidin ad magnum Supluncha ubi finitur.

Cod. dipl. patrius VI. p. 185. Ex archiv. comitum Erdödy ablatum ad Vörösvár.

MXCIII. **Zagrabiae.** *1273. 15. Januarii.* Capitulum ecclesiae zagrabiensis declarat, quod venientibus ab una parte Dobroteh filio Dobrozlov, Godedrag filio Radozlai, Bratylk filio Golob, Borizlov filio Dragozlo de Harapauch, pro se et tota generacione eorum, ab altera vero Zlobask, filio Gordos pro comite Stephano filio Stephani; iidem Dobroteh, Godedrag, Bratyk, Borizlaus et Rodoan, quandam particulam terrae Harapauch, terrae Radizlai fratris dicti comitis Stephani immediate adiacentem, confessi sunt se vendidisse praedicto comiti Stephano pro 70 pensis denariorum banalium, quorum singulae quinque pensae marcam tunc temporis faciebant. Inter metas terrae eiusdem occurrunt: fovea, ubi quidam rivus intrat sub terram, item caput putei in quo intrat fluvium Corona et vadit in aqua et pervenit supra ad terras dicti Radislai.

Memb. in archivo com. Lud. Blagay. N. 6. R. Lopašić.

MXCIV. **Simigii** *circa 1273. 26. Februarii.* Dyonisius (de Oklich) palatinus et comes Simigiensis et Gregorius banus notificant, quod cum inter co-

mitem Joannem filium Isip ab una parte, et comitem Ochuz ex altera super facto terrae Chuna et destructione eiusdem, et comitis Joannis super terra sua Sur per ipsum comitem Ochuz facta non ut judices sed arbitri arbitraremur, idem comes Joannes asserebat quod comes Ochuz dictam terram Chuna detineret indebite occupatam, e converso respondit Ochuz, quod eam de praecepto reginae senioris sibi commissam tamquam protector detineret, ad quod judices adjudicarunt quod idem Ochuz dictum praeceptum producere debeat.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. IX. 48.

MXCV. *1273. 5. Martii.* Praepositus et capitulum Strigoniensis ecclesiae ad petitionem Jacobi praepositi ecclesiae Zagrabiensis privilegiales litteras Ladislai IV. regis de eodem anno transummunt.

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. VII. vol. V. p. 390.

MXCVI. *Apud urbem veterem 1273. 11. Martii.* Gregorius X. papa mandat Quinqueecclesiensi et Zagrabiensi episcopis ut diligenter inquirant de iis quae in ecclesia correctionem exposcunt et ante tempus generalis concilii ad sedem romanam referant.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 66.

MXCVII. **Zagrabiae.** *1273. 20. Aprilis.* Mathaeus banus totius Slavoniae commendat memoriae, quod cum ille terram Dydichi emptitiam et terras cultas super terram castri Medwed detineri et prohiberi fecisset et alienari voluisset a civibus Grechensibus, iidem cives exhibuerunt privilegia ex quibus patuit quod in ius et proprietatem manus suas et potentiam extendisset civium dictorum, dimisit itaque eis dictam terram et vineas pacifice et perenniter possidere.

Arkiv za povjest Jugosl. III. p. 81.

MXCVIII. **Zagrabiae.** *1273. 20. Aprilis.* Matheus banus totius Slavoniae significat, quod in generali congregatione totius regni Slavoniae nobiles et jobagiones castrorum haec jura regni et banatus in scriptis exhibuissent: 1. Quod Pristaldum suum consanguineum vel cognatum aut servientem, vel suum parochialem sacerdotem pro testimonio recipere nullus possit. 2. Si citacio fiat in praesentiam bani, quindena diei citationis, si vero in praesentiam eius iudicum citatio debet pro termino ...... nari, et actor in primo citationis edicto in litteris iudicis suam exprimet actionem, ne locus fraudibus reservetur; et si conventus in primo non comparuerit termino, quadraginta denariorum judicio subjacebit, pro caeterorum vero obmissionibus terminorum consveta judicia regni solventur. Item 3. citatus in causa possessionis, furti, violentiae, homicidii, aut infidelitatis, si personaliter vel per hominem suum comparuerit, responsio peremptoria, sine judicii gravamine usque ad septimum terminum debeat prorogari, et in receptione cuiuslibet termini, quindecim dierum induciae observentur, vel pro septem edictis, quae legitime recipi possent unus terminus peremptorius assignetur; et si quis in praemissis casibus in septimo termino non comparuerit, judex in octavo termino publice faciet proclamari: quod reus juri parere debeat, quare in prioribus terminis non comparuerit, ostensurus iustam et legitimam rationem. Qui si etiam tunc

se absentaverit, actor mittetur causa rei servandae in possessionem contumacis pro modo debiti, vel maleficii in litteris judicis declarati. Praeterea 4. Si quis pristaldo contradixerit vel maculam obiecerit falsitatis si ipsum legitime convincere non poterit, solvet pro judicio marcam unam. Item 5. Si quis pristaldum verberaverit, vel hominem capituli, datum pro testimonio, convictus tamen legitime poenae decem marcarum subiacebit. 6. Si quis autem in figura judicii litteris capituli vitium opposuerit falsitatis, et non convicerit regni legitimis documentis, decem marcarum poenam solvet. 7. Caeterum cum quis cum causa pecuniaria condempnatus, judici vel adversario suo usque ad secundum terminum satisfacere non curaverit, in tertio termino unus de judicibus per regnum constitutis ibit cum homine comitatus Zagrabiensis vel Crisiensis adhibito testimonio capituli Zagrabiensis vel Chasmensis, et de bonis seu rebus contumacis iuxta condignam aestimationem iustum exiget iudicatum. 8. In peculio autem petito magnae quantitatis, judices inspecta qualitate personarum secundum suam discretionem moderabuntur terminos pro solutionibus faciendis. 9. Item si quis alteri crimen obiecerit lesae Majestatis, vel dixerit quod falsam incudi faciat monetam, si convincere non poterit, poenam pati debeat talionis. 10. Statutum fuit etiam, si quis contra alterum in judicio proposuerit, quod in regno ducat vitam publice violentam, et non convicerit, secundum iuris processum solvet dimidii homicidii judicium, pensas scilicet sexaginta. 11. Si vero actor proposuerit contra reum quod ipse rerum suarum fur extiterit, sive latro, et legitime non convicerit, judicia duo solvet. 12. Si quis autem in judicio constitutus adversarium suum in praesentia judicis vituperaverit, judicium linguae solvet, scilicet viginti quinque pensas. 13. In minoribus autem causis convictus, solo judicio agravatur. 14. Si cui obiectum fuerit in judicio, quod super domum alterius manu venerit violenta, et non convicerit justitia mediante, judicium duplex solvet. 15. Adiectum fuit etiam praemissis, quod in quolibet genere actoris adiudicato ad duellum, sive sacramentum, si partes compositionem fecerint, judex ultra formam compositionis habitae, plus petere non valebit. 16. Item in omni causa, sive actor reo deferat, sive reus actori deferat sacramentum, judex inter ipsos duellum non possit judicare, sed per sacramentum causa debeat terminari, nisi partes examen duelli assumpserint spontanea voluntate. 17. Extitit etiam ordinatum, quod causa homicidii vel furti, si quis per sacramentum adiudicatum se purgabit, solvet purgationis denarios quadraginta, et etiam in causis vinearum ac molendinorum, si adiudicatum fuerit sacramentum, idem debet judicium observari. 18. Item in causa pecuniaria reus convictus nullatenus debet captivari, nisi pecunia vel possessione carere inventus fuerit manifeste. 19. In actione etiam furti sive violentiae, vel cuiuslibet maleficii, homo possessionatus, sine cautione fideiussoria iudicetur. 20. Item alter pro alterius delicto, sicut pater pro filio emancipato, vel e converso, aut frater pro fratre divisionis titulo separato, non debeat condepnari, nisi fuerint conscii vel particpes criminis perpetrati. Sed quisque in bonis propriis et porcionibus iuxta suum meritum aggravetur. 21. Item portio haereditaria, sine haerede decedentis, generationi suae debeat remanere. 22. Nec praetermitimus quod si terra alicuius reambulatur, judex ad fructus vel utilitates eius non debebit mittere manus suas, donec causa inter partes fuerit fine debito terminata. 23. Item cum hostilis incursus vel exercitus venerit super regnum, aut dominus rex processerit

in expeditionem personaliter, tunc nobiles regni de Slavonia singuli et universi ire in exercitum tenebuntur, ita tamen, quod iidem cum baronibus quibus voluerint, exercituandi habebunt liberam facultatem. 24. Item super debitores Zalusinarum vel procurationum, aut descensuum, exhibita satisfactione, banus descensum facere non debêt, nisi iusta causa regni et legitima imminente, et nobiles et jobagiones castrorum de descensibus bani debent usque octavas s. Martini modis omnibus expediri. 25. Item si quis in solvendo marturinas, collectam septem denariorum, judicia exercitualia, vel aliam collectam quam in regno fieri continget, seu judicia in quibus est convictus, contumax extiterit et rebellis, comes Zagrabiensis vel Crisiensis cum uno de cojudicibus sibi deputatis, ad exigendum procedet, assumpto secum testimonio capituli Zagrabiensis vel Chasmensis, pro eo, ne plus justo debito exigatur, et in processu sno super aliquem nobilem et jobagionem castri descensum facere non debebit, sed expensas quas fecerit in eundo, de bonis etiam recipiet contumacis. 26. Nobiles in Zagoria et aliis comitatibus consimilibus existentes, comiti parochiali descensum dare non tenentur, nec ejus adstare judicio; sed banus ejus judicabit pro tempore constitutus. 27. Collectores etiam marturinarum non cum pluribus procedere debeant nisi cum duodecim hominibus, habentes quatuordecim equos et non plures, quibusquidem de qualibet generatione pro victualibus administrari debeat ovis una, sex gallinae, anser unus, quatuor cubuli de vino, cum cubulo trium palmarum, duodecim cubuli de pabulo, cum cubulo quatuor palmarum et non ultra prout in privilegio regis Belae continetur. 28. Collectores autem septem denariorum vel judiciorum, exercitus, dimidietatem habebunt descensus memorati. 29. Collectores marturinarum in curiis nobilium vel jobagionum castri, domos aliquas aut domum villici vel preconis, molendina et stubas dicare non debeant ullo modo. 30. Villico etiam domus una in curia sua pro recipiendis hospitibus libera relinquatur. 31. Et talis habere debet villicum et praeconem, qui decem jobagiones possidet, et non infra. 32. Item aliqui commorantes super terris nobilium vel jobagionum castri, dicari non debent, sed jobagiones eorum, si quos habent. 33. Et quod omnia praemissa debito ordine observentur cum comite Zagrabiensi quatuor nobiles et duo jobagiones castri et totidem cum comite Crisiensi, quos regnum eligendos duxerit, judicabunt. Qui si omnes interesse non possent, tres vel duo iuxta comitem sufficiant ad judicum faciendum.

Ex autentico transumpto capituli Zagrab. de a. 1350. In archivo regni privilegia. Vide jura regni II. p. 3.

MXCIX. *1273. 30. Aprilis.* Christoforus et Vitus comites de Vrbaz, Bartholomaeus comes terrestris et caeteri judices nobilium videlicet Prichichna et Jacus significant, quod Hrovatin, Petrus et Blagoya filii Voyk ab una parte, ex altera vero Gregorius filius Chelk; idem Hrovatin cum fratribus confessi sunt possessionem suam haereditariam in Vrbaz, Lipye vocatam, se vendidisse pro quinquaginta marcis dicto Gregorio in perpetuum. Ad cuius possessionis videndam quantitatem missi sunt nobiles jobagiones castri Radihna: Grulich, Hodus, Wlkozlav, Georgius filius Radeyk et Zuilan, qui etiam metas distinguerunt, quarum prima incipit a fluvio potok et vadit in fluvium Ozornicha, transiens viam cadit in fluvium Lubna et exit ad siuicam Mireni, pervenit ad lucum Raquitovech et venit ad fluvium Ozornicha contra Obrov, inde ad lucum Hraztoueth, ad mlakam et per viam ad primam metam.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. IX. 43.

MC. *1273. 23. Maii.* Ladislaus IV. rex laudando servitia Petri et Mathaei filiorum Mathaei de genere Chak, praestita ei et patri suo, commemorat inter caetera: cum Erney banus et alii avi regis barones, persecutionis tempore contra patrem ejusdem regis Ladislai armata militia accessissent, magister Petrus cum fratre suo huiusmodi praeveniens exercitum, ipsum Erney banum devictum in praelio captivavit, ubi ipse laetaliter extitit sauciatus. Item in Ilzvazeg cum idem pater regis contra Belam ducem Presocilinum, Henricum banum et alios ipsius avi sui adiutores et barones conflictum haberet, idem magister Petrus licet transfossus lancea et sectus gladio militare non valeret, mori tamen pro patre et ipso rege elegit potius quam relinquere initiatum negotium patris, ubi coronam regni coelitus ei per successionem traditam in persona patris sui obtinuit et recuperavit per eiusdem Petri fidelitatem. In quo conflictu Bela duce effugato et Prewcedlino interfecto, Henricus banus cum filiis et complicibus suis extitit captivatus. — Inter praelatos et barones regni occurunt: Joannes archiepiscopus Spalatensis, Thimotheus episcopus Zagrab., Henricus banus totius Slavoniae, Egidius banus de Machov et de Bozna, Ugrinus magister Agazonum et comes Simigiensis.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. IV. p. 23.

MCI. *1273. 29. Maii.* Ladislaus IV. rex notum facit, quod comes Ruh, qui primum Belae regi avo suo, postmodum patri ipsius cum suis servitiis placidum se reddidisset, post obitum eiusdem patris, ipsi regi cum magna societate et sumptu maximo servivisset. Et cum inter ipsum et Boemorum regem, prius patris sui nunc eius et regni hostem contra eundem regem generalem exercitum levasset, idem comes Ruh, licet tunc nullo honoris culmine esset sublimatus, venit ad exercitum regis, ducens secum potentes milites et in belli examine virtuosos. Rex igitur licet minor aetate cor tamen senile gerens, eidem Ruh in remunerationem suorum actuum commendabilium, nobilitavit praedia eius in Garig et in Guersence existentia, quae praedia licet a jobagionibus castri seu praedialibus emptionis titulo aut per modum cambii possiderat usque modo, ex nunc tamen in antea eadem praedia pure et simpliciter sine debito primae conditionis tam ipse quam haeredes teneant et possideant, sicut veri, primi et naturales Slavoniae nobiles suas possessiones possident et usque modo possederunt. Praedium autem sive possessio eiusdem Ruh comitis in comitatu de Guersenche existens, quam a Dezyno, Gumzina et Dionizio filiis Vecheren jobagionibus castri comparavit, Katynna nominatur. Item aliud quod habet in comitatu de Garig emptum a Martino filio Brezhaal jobagione dicti castri, Devche nuncupatur; item tertium in eodem comitatu de Garig cuius particulam a filiis Dyene comparavit, aliam vero a rege Bela pro meritis obtinuit, Polosnicha appellatur. Ut igitur idem Ruh eadem praedia a priori debito exempta, iuxta libertatem aliorum regni nobilium perpetuo possidere valeat, concessit ei litteras duplicis sigilli munimine roboratas. Datum per manus Benedicti Orodiensis praepositi. Existentibus inter caeteros: Johanne archiepiscopo Spalatensi, Timotheo Zagrabiensi episcopo, Herrico bano totius Slavoniae, Egidio bano de Machov, Vugrino magistro Agasonum comite Sirmiensi, Emerico comite Simigiensi, Dedalo Zaladiensi.

Cod. dipl. patrius. VII. p. 139. Ex croat. archivo com. Erdődy Galgoczam ablato.

MCII. *1273. 1. Junii.* Ladislaus IV. rex significat, quod Nicolao filio Tyba condam comite de Gversenche ab una parte, et Benedicto filio Martini ex altera coram eo constitutis, idem comes Nicolaus terram Peklen in comitatu de Guerzence, quae quondam fuerat Nicolai dicti Toldol, quam ipso sine haerede decedente idem comes ex collatione regia habuerat, confessus est se vendidisse praedicto Benedicto pro septuaginta marcis, sicut in patentibus litteris capituli Chasmensis patuit evidenter.
Wenzel: Cod. dipl. Arpad. T. IX. p. 32.

MCIII. **Venetiis.** *1273. 20. Junii.* Conceditur per majus consilium quod Rainerius de Varicasso (de Jadera) possit maritare unam suam filiam natam de una domina de Spalato cum uno de Sclavonia, cum conditione, quod de possessionibus quas habet pater in Jadra vel in districtu, filia sua nichil habere debeat neque possit. Eodem die capta pars: quod alicui de Jadra non possit concedi ullo modo ut parentellam sive matrimonium contrahat cum aliquo Sclavo secundum formam pacti Jadrae.
Ljubić: Mon. I. 106—107.

MCIV. *1273. 6. Julii.* Ladislaus IV. rex notum facit, quod nobilis vir Chepanus filius Kazmerii de genere Jak a primo iuventutis suae principio, avo et patri eiusdem regibus ac ei ipsi in continuo fideliter servivit, ex quibus servitiis memorat, quod quando pater regis propulsare volens iniuriam per Ottocarum regem finitimis partibus terrae suae irrogatam, cum Gregorium tunc magistrum tavernicorum reginae matris suae, Ponith banum Zaladiensem, Erney banum Worosdiensem, Dyonisium filium Georgii de Morovcha comites, nec non Chepanum filium Kazmerii una cum aliis nobilibus ad devastandam Styriam transmisisset, idem Chepanus sub castro Rudgney (Radgonj) quemdam militem strenuum deiecit et captivavit. Praeterea cum idem Boemorum rex ducens secum in auxilium principes totius Alemaniae fines regni Hungariae adiisset, Posonium et quaedam alia castra occupando, et pater regis contra eum exercitum levasset generalem, praefatus Chepanus apud Musunium et apud fluvium Rabche contra illius exercitum dimicans victoriosus extitit, laetalia vulnera sustinendo. Item cum Herricus banus totius Slavoniae post coronationem patris regis a domo regia segregatus, se ad praefatum Boemorum regem transtulisset, castra sua Kuzeg, Scentwyd, Zlavnuk et Perestyen manibus regis eiusdem assignando, ipse Chepanus in recuperatione castrorum ipsius Henrici gratum impendit fidelitatis obsequium, ita ut per ipsius et aliorum fidelium actus strenuos castra eius patri fuerunt restituta. Ad haec post decessum patris, cum Bohemorum rex autumans ipsum regem in aetate tenera constitutum non posse per fideles eius defensari, fines regni fecisset devastari, et ipse rex Mathaeum banum, Omodeum Castriferrei, magistrum Johannem Zaladiensem tunc comites et Nicolaum comitem de Zana et ipsum Chepanum contra Styriam misisset, ipse Chepanus sub castro Frustun per quemdam locum munitum prior ante alios in adversam aciem ingressus quemdam ministerialem Styriae lancea propria deiecit et occidit, pro quibus servitiis, licet idem Chepanus esset ingenti remuneratiore confovendus, pro nunc tamen rex contulit immo restituit tanquam ius suum haereditarium villam sancti Michaelis in confinio castri Ferrei cum quadam alia parva villa Inceed vocata. Datum per manus Benedicti praepositi Orodiensis aulae vice-

cancellarii. Existentibus inter caeteros: Johanne archiepiscopo Spalatensi, Timotheo episcopo Zagrabiensi, Rolando palatino, Herrico bano totius Slavoniae, Egidio bano de Machov et de Bozna, Paulo bano de Zeurino, Joachino magistro tavarnicorum comite Posoniensi et de Plys, Moys comite Simigiensi, Dedalo comite Zaladiensi.

Ex archivo comitum Batthyani. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. 73. Cod. dipl. patrius II. p. 8.

MCV. *1273. 25. Augusti.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis declarat, quod Elias de Worosdino filius Martini Wolpot terram suam Polana usui septem aratrorum sufficientem, contiguam terrae episcopi, videlicet villae ecclesiae s. Mariae iuxta Worosdinum, cum omnibus pertinentiis, confessus est se vendidisse ex permissione Stephani comitis Worosdiensis, Timotheo episcopo Zagrabiensi pro 30 marcis denariorum, minus duabus marcis, quas se dixit recepisse et esse in sui redemptionem a Theutonicis persolutas.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 166.

MCVI. *1273. 29. Septemb.* Ladislaus IV. rex notificat, quod cum possessiones Dyonisii calvi, quae ad manus regias fuerant devolutae, Iwancae comiti bacciniferorum regis contulisset et factum hoc inquisitioni capituli Albensis ecclesiae commisisset; idem capitulum rescripsit, quod suum hominem cum homine regis Petro de Putul ad faciem loci miserit, qui eundem Ivancam in tota portione dicti Dyonisii in villis Gan, Poucha, Boldur et Meger rite statuissent. Datum per Benedictum praepositum Orodiensem, aulae vicecancellarius. Existentibus inter caeteros: Joanne Spalatensi archiepiscopo, Timotheo Zagrab. episcopo, Rolando palatino, Henrico bano totius Slavoniae, Jowachino magistro tavernicorum, Ugrino magistro agazonum et comite Sirmiensi, Dedalo comite Zaladiensi.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 166.

MCVII. *1273. 5. Octob.* Ladislaus IV. rex notum facit, quod Timothaeus episcopus Zagrab. exhibuit privilegium Stephani regis, patris ejus, sub bulla aurea cum donationibus, libertatibus et exemptionibus quas ecclesia Zagrab. ex collatione praedecessorum regis possidere dinoscitur, petens id de novo confirmari, cui petitioni rex annuit et sigillo suo roboravit.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 168.

MCVIII. Spalati. *1273. 9. Novemb.* Regnante Ladislao IV. rege, temporibus Johannis archiepiscopi Spalatensis, Pauli de Bribirio comitis, Rogerii Luppi de Firmo potestatis ac Dragimani, Dobri Duscisae et Josephi Petri judicum, Marislava uxor quondam Michaelis Leonardi, spontanea voluntate dedit filiae suae Dabrae uxori Jacobi Andreae Petrici de Jadera, ipso Jacobo consentiente domum suam in civitate Jadrensi, cui adiacet domus Damiani Micullae atque totum suum Darrum quod habebat in territorio Jadrensi, sub existimatione ducentorum et sexaginta librarum denariorum veneticorum parvulorum. Testibus . . . liacocce, Leono et fratre Buccanocopli, Michaele Laurentii, Simon Martini examinator, magister Franciscus anconitanus Spalat. notarius scripsit.

Orig. in perg. in mea collectione.

XCIX. **Tragurii.** *1273. 15. Decembris.* Henricus natione Paduanus, episcopus Cephaloniae et Jacenti, positus in civitate Tragurii spontanea voluntate per sacramentum confessus fuit, quod omnia quae banus Stanoy et Sarcuenus cursarii de Almissio cum suis sociis sibi abstulerunt, fuerunt primo sua bona, absque rebus acceptis Alberigo notario Veneto, nuntio D. Mathaei Sanuto Veneti, quae eidem Alberto restitutae fuere, exceptis tribus . . . grossorum, qui fuerunt nauchlerii ligni. Qui episcopus omnes quietavit et absolvit de omnibus rebus sibi ablatis, promittens per sacramentum nec per se nec per aliam personam de rebus acceptis aliquid petere velle. Actum in ecclesia monasterii s. Joannis, praesentibus Gervasio archidiacono, Martino canonico, Valentino de Casarizza, Nicola Jacobi Vodovari et Lompre eius fratre, Duimo Domichae, Nicola Casizzae, Marino Mathaei, et Jacobo Andreae nuntio Zadrae testibus, Stephano Maximi Pugae examinatore.
Lucius: De regno Dalm. et Croat. Lib. IX. cap. IX.

MCX. *1273.* Ladislaus IV. rex notum facit, quod attendens eximias fidelitates et immensorum servitiorum obsequiosa merita Olivierii et Herbordi filiorum Gregorii quae iidem in diversis expeditionibus regni et specialiter in Teutonia sub castro Furustun cum Mattheo bano, comite Dionisio et comite Joanne filio Henrici bani, qui ibidem de mandato regio convastationes committebant, ubi etiam frater Oliverii et Herbardi Thomas viriliter dimicando fuit interemptus, laudabiliter impenderunt, quocirca iisdem quandam vacuam terram castri Zaladiensis ad usum trium aratrorum sufficientem super qua quondam Hegun et sui cognati castrenses Zaladienses residebant contulit et per Joanem tunc temporis comitem Zaladiensem introduci fecit. Datum per Benedictum praep. Orodiensem. Existentibus Joanne archiep. Spalatensi, Timotheo episc. Zagrab., Henrico bano totius Slavoniae, Joachino magistro tavarnicorum comite de Plys, Matheo bano iudice curiae, Moys comite Simigiensi, Dedalo comite Zaladiensi.
Wenzel: Cod. dipl. Arpad. IX. 27.

MCXI. *1273.* Ladizlaus IV. rex manifestat, quod magister Ochuz filius Buzad humiliter supplicavit ut illi donationem Stephani regis, patris ejus, super terra Palkuna in Zaladiensi comitatu in quam sub testimonio conventus monasterii s. Adriani de Zala per hominem suum Pous introductus fuerat, confirmaret; cujus petitioni rex annuit. Datum per manus mag. Benedicti praepositi Orodiensis aulae vicecancellarii. Existentibus inter caeteros Strigoniensi vacante, Spalatensi archiepiscopo Johanne, Herrico bano totius Slavoniae, Egidio bano de Machov et de Bozna, Iwachino magistro tavernicorum, Ugrino magistro Agazonum et comite Sirmiensi, Moys comite Simigiensi, Dedalo comite Zaladiensi.
Wenzel: Cod. dipl. Arpad. IX. p. 26.

MCXII. *1273.* Ladislaus IV. rex notificat, quod cum avus eius Bela rex castrum quodam iuxta Zagrabiam, quod Medvedvar nuncupatur, tempore translationis Philippi tunc episcopi Zagrab. ad ecclesiam Strigoniensem, pro conservando thesauro regio ad tempus ab ecclesia Zagrabiensi recepisset, et licet postmodum per banos et duces Slavoniae, eo quod dictum castrum in confinio regni Slavoniae est constructum, guerra inter Stephanum regem,

patrem suum, et regem Bohemorum perdurante, ad conservationem provinciae retentum fuisset; tamen quia pro certo constitit dictum castrum ex bonis et sumptibus ecclesiae Zagrabiensis per praefatum praelatum extructum fuisset, attendens etiam multimoda fidelia servitia moderni episcopi Timothei, praedictum castrum cum omnibus pertinentiis restituit episcopo et capitulo suae ecclesiae. Datum per manus magistri Benedicti Orodiensis praepositi aulae vicecancellarii. Existente inter caeteros magnates Henrico bano totius Slavoniae, Edigio bano de Machov et de Bozna, Paulo bano de Zeuriro, Ugrino magistro Agazonum et comite Sirmiensi.

Tkalčić: Mon. episc. Zagrab. I. p. 168.

MCXIII. *1273.* Ladislaus IV. rex notum facit, quod comes Ruh ad eius accedens praesentiam terram castri Simigiensis Decche (Devche) vocatam in Garig existentem, dicendo ipsam suae terrae immediate adiacere a rege sibi dari postulavit. Rex igitur mandavit capitulo Chasmensi ut de quantitate et qualitate terrae ipsi referat, qui postmodum rescripserunt, quod magister Emericus tunc comes Simigiensis praedictam terram, emptitiae similiter Deche vocatae mixtim adiacentem, praesentibus omnibus commetaneis reambulatam cum tribus vineis in monte Garigiensi et una in monte Gorgov ad eandem spectantibus assignasset eidem Ruh nullo contradicente. Rex igitur considerans servitia eiusdem, dictam terram ei iure perpetuo donavit. Cujus metae fuerunt inter caeteras arboreas et terreas fluvius Zabrudna, aqua Garig, rivus Deccha et terra emptitia Decche comitis Ruh. Existentibus Johanne Spalatensi archiepiscopo, Timotheo Zagrab. episcopo, Herrico bano totius Slavoniae, Joachimo magistro tavernicorum, Emerico comite Simigiensi, Dedalo comite Zaladiensi.

Cod. dip. patrius VII. p. 144. Ex actis comitum Erdödy Galgozam ablatis.

MCXIV. *1273.* Elisabetha regina notificat, quod consideratis meritis magistri Aladarii filii Chety, quae a primaevis puritiae suae annis Belae socero suo et postmodum Stephano consorti suo quondam regibus Ungariae exhibuit, eidem terram Aryaicha (Orjavica) in comitatu Posega sitam, quam Petrus filius Cheleus de donatione regia tenuit ac per mortem sine haerede decedentis ad manus regias devenerat, quae terra ipsi magistro primum per socrum reginae Mariam quondam reginam collata fuerat et consensu Belae regis donata pro eo quia primicias gaudiorum nativitatis filii Ladislai ei detulerat. Ipso magistro autem Aladario per Stephanum regem et consortem reginae, eo quod contra ipsum magistrum motus extiterat et translata ad dominium diversarum personarum fuerat, modo de voluntate regis Ladizlai et omnium baronum consensu reddidit et restituit ipsa regina, in eadem consvetudine et libertate, quibus aliorum nobilium de Posagua de genere quondam Borych bani terrae et possessiones possidentur. Hoc expressim annotato, ut omnia documenta quae super donatione ipsius terrae Nicolao filio Laurentii aut aliis quibuscumque emanassent, cassa et irrita habeantur. Datum per manus Philippi episcopi Bachiensis aulae cancellarii, comiti Neogradiensis.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex regni archivo ablatis. N. R. A. Fasc. 1502. Nr. 21.

MCXV. *1273.* Elisabetha senior regiua considerans fidelia servitia comitis Dominici, filii Petri de genere Chak iudicis curiae ejus et specialiter pro effusione sanguinis, cum quidam infideles incolae regni apud Albam ante tempus coronationis filii eius regis Ladislai contra suam Excellentiam manu armata insurgentes, idem D. gladium cujusdam armati, qui prius in domum reginae ausu temerario irruerat, de manu ejus arripiens, mortis poterat subdere periculo, nisi aliorum sceleratorum et armatorum manus obstitissent, letale vulnus accepit, et ibidem semivivus relictus vix corporis recepit sanitatem. Contulit igitur ei titulo cambii pro aliis possessionibus in Hungaria, possessionem Hagamas (Hagymas) sitam iuxta Danubium, ubi aqua Drawa in ipsum Danubium descendit, in comitatu de Wolko cum omnibus pertinentiis et tributo in fluvio Drawae et Danubii.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 131.

MCXVI. **Zagrabiae.** *1273.* Henricus banus totius Slavoniae significat, quod Gregorius pro se et fratribus suis Dosa et Foyn vocatis, Poscyl filius Mirozlai, Gordina filius Raduzlai pro se et pro Draguina, Demensa filius Hernan, Godimirus filius Dunguan, Tomas filius Vid pro se et pro Vidomero et Vgrinich, Dobrila frater eius Petk(o) pro se et pro Bratk(o) fratre eius et Wolk filius Volchina nobiles de Brochina, qui vocantur Jarmanigi et Raztinarigi a parte una, Perchinus comes ab altera constituti, iidem Jarmanigi et Raztinarigi contestati sunt, dimidiam partem portionis suae, quam habent in magno monte in Brochina, se vendidisse Perchino comiti pro quadraginta marcis.

Ex archivo camerali Budensi. Cod. dipl. Arpad. IX. p. 41.

MCXVII. **Crisii.** *1273.* Herricus banus totius Slavoniae significat, quod Lucas, Wyd, Mathaeus et Petrus filii Endrini exhibuerint litteras Ladislai regis, quibus ei praecipiebat, ut particulam terrae Odra et insulam Preloca quas ab eis Stephanus banus per potentiam alienaverat, eis restitui debeat, quod dictus Henricus banus praesentibus Ladislao filio Gymzina comite terrestri, Ivan filio Meneslai, Obulgano filio Domomir, Rados filio Georgii, Paulo filio Vida et Bossone jobagionibus castri Zagrab., a quibus cum esset Zagrabiae suscitatus fuerat, praefatam terram et insulam filiorum Endrey fuisse haereditarias, quare easdem dictis filiis etiam restituit.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex regni archivo Pestinum ablatis. N. R. A. Fasc. 135. N. 20.

MCXVIII. *1273.* Capitulum Chasmensis ecclesia notum facit, quod parvo Endrey de Gresenche ab una parte, Voysa et Marizlov fratre suo ab altera constitutis, iidem fratres de terra sua Glodna quandam particulam eidem Endrey pro 4 marcis denariorum banalium se vendidisse confessi sunt. Metarum autem sicut eas Gregorius canonicus Chasmensis reambulando circumscripsit, prima incipit in valle quae vicinatur terrae Damiani iuxta quemdam fluvium, et vadit per varias metas terreas et arboreas venit ad magnam viam. Transiens quemdam rivulum descendit ad fluvium et iuxta silvam aquosam terminatur.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 169.

MCXIX. *1273.* Capitulum chasmensis ecclesiae significat, quod Ladislaus frater Gabrielis confessus sit se donasse seu legasse pro remedio animae suae fratribus s. Augustini de Gersenche apud ecclesiam B. M. V. commorantibus, duas vineas in medio terrae suae constitutas; quarum una sita est in quodam monte ab oriente, alia vero ab occidente in monte juxta magnam viam.

Ex actis monasterii de Garić. Fasc. 1. N. 3. per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis.

MCXX. *1273.* Capitulum chasmensis ecclesiae significat, quod Olup de Gersenche portionem suam in terra, quam idem et Johannes propinquus suus ex donatione Belae regis possederunt, confessus est se vendidisse comiti Demetrio, Jacobo et Sebastiano filiis Deme, seu Demetrii pro sedecim marcis.

Cod. dipl. patrius VII. p. 146. Ex actis comit. Erdődy. Galgocsam ablatis.

MCXXI. *1273.* Capitulum ecclesiae beati Petri de Posega significat, quod Petrus Cupse pro se et pro filio suo, Nemana, filius Badak pro se et fratribus suis ab una parte, comes vero Cupse et Conrardus frater eius filii comitis Petri ab altera personaliter constituti, iidem Petrus ac Nemana confessi sunt, quod terram ipsorum sitam in Predyzinch cum omnibus pertinenciis et molendino super fluvio Oryowa et duas vineas sitas super terra Mortunus, Odula, Philippi, Mirozlay, Tuczen et Symonis pro debito decem marcarum, quas de comite Cupse et eius fratre se recepisse dicebant, et eisdem sibi teneri ex voluntate Simonis, Tuczen et Mirozlai filiorum de Omesith et Odula, Morthunus, Philippi filiorum Mortun, Sousa, Bogdan, filiorum Zuoiza, Bolizlai, Bolerad filiorum Radihna, Martin, Petri, Petrus, Odolini et Jacobi filiorum Prodaza, Mortun et Mortunus filiorum Bosan et cognatorum eorundem, Pouse filii Dabichna et generationis eiusdem, Micha, Dragoth et genero eiusdem Fabiani comitis et generationis eius, Brahata et fratris sui filiorum Vadyn supradicto comiti Cupse et fratri suo vendidissent in perpetuum. Metarum autem terrae incipit prima iuxta quoddam Malaka et terram filiorum Omezit et filiorum Mortun, inde ad fluvium Oriaua, inde per varias metas arboreas ad Vinni potok iuxta terram filiorum Vodyn. Transit magnam viam et iterum ad fluvium Oryaua et terminatur in Malaka.

In transumpto capituli Posegani de anno 1305. Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni Budam ablatis. N. R. A. Fasc. 1597. Nr. 8.

MCXXII. *1274. 12. Januarii.* Ladizlaus IV. rex notificat, quod comes Perchinus exhibuisset privilegium patris eius Stephani regis in quo continebatur: quod rex Bela IV. avus eius, contulerat eidem comiti terram Ryuche, quae villicatus Machyk nuncupatur, iuxta aquam Velyka, quod privilegium confirmavit eidem comiti ipse rex. Sed quia eidem comiti placuerat venditioni exponere, peciit ut ei concederetur eandem terram donaticam vendere. Quibus precibus rex annuens, vendidit itaque comes Perchinus coram rege dictam terram Machyk, Alexandro de Mechus pro sexaginta et duobus marcis communis argenti. Datum per manus magistri Benedicti praepositi Budensis aulae vicecancellarii. Existentibus Johanne archiep. Spalat., Timotheo Zagrab. episc., Dyonisio palatino comite de Oklich, Henrico bano totius Slavoniae, Joachino magistro tavernicorum comite de Plys, Moys magistro tavernicorum reginae

comite Sirmiensi, Dedalo comite Zaladiensi (in aliis doc. Nicolao iudice cur. comite de Guechke).

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad IX. 49.

MCXXIII. *1274. 26. Januarii.* Ladislaus IV. rex manifestat, quod cum comes Andreas filius Iwan a primo iuventutis suae principio, avo ac patri regis ac ipsi regi conspicuis actibus meruisset complacere in omnibus regiis expeditionibus et diversis belli eventibus multipliciter se exponendo dubiis fortunae casibus, confert ei terras castri de Wolko: Jelen et Pobor vocatas. Datum per manus Benedicti budensis praepositi aulae vicecancellarii. Existentibus: Joanne archiepiscopo Spalat., Timotheo episc. Zagrab., Dionisio palatino comite de Oklich et iudice Cumanorum, Henrico bano totius Slavoniae, Joachimo magistro tavernicorum, Nicolao iudice curiae et comite de Guerche, Paulo bano de Severino, Dedalo comite Saladiensi.

Fejer: Cod. dipl. V. vol. II. p. 147.

MCXXIV. **Spalati.** *1274. 2. Februarii.* Johannes archiepiscopus Spalat. scribit suis suffraganeis episcopis: Traguriensi, Scardonensi, Nonensi, Tininiensi, Pharensi, Corbaviensi et Seniensi ac abbatibus, plebanis, caeterisque ecclesiarum rectoribus per provinciam Spalatensem constitutis: cum ordinem fratrum Praedicatorum sincero amplectatur amore, monendo et rogando quatenus omnes apostatas praedicti ordinis in finibus eorum gyrovagantes de terminis suis ejiciant et expellant; specialiter autem praecipit de fratre Michaele quondam socio ejus, nunc vero apostata abominabili, quem cum caeteris expelli et captivatum tradi debent, ne provinciam corrumpant et inficiant pravis conversationibus et exemplis.

Farlati: Illyr. sacr. T. VI. p. 286.

MCXXV. **Budae.** *Circa 1274. 25. Februarii.* Ladislaus IV. rex scribit iudicibus et comiti de Tragurio, quod hospites de Klissa nuntiassent, quod Tragurini cives in conservatione praedicti castri magnum auxilium eis praebuerint, quare nuntiat illis quod pro huiusmodi fidelitate eorum vult eis occurrere gratia regia cum favore, praecipiendo ut in fidelitate ultro quoque permaneant.

Lucius: Mem. di Traù, p. 119.

MCXXVI. *1274. 24. Martii.* Ladislaus IV. rex notum facit, quod gratam fidelitatem et commendabilia merita magistri Gerardi artis medicinae professoris, quibus coram eo et coram oculis Belae et Stephani regum, meruit multipliciter complacere eorum corpora in statu sanitatis conservando, et specialiter quod ipsum regem de gravi aegritudinis articulo, ubi de vita eius poterat merito dubitari, pristinae restituisset sanitati, contulit ei castri Zagrabiensis terram Tornawa cum omnibus pertinentiis, quam ei per Dionisium comitem tunc banum totius Slavoniae assignari fecit.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 174.

MCXXVII. **Tragurii.** *1274. 12. Aprilis.* Praesentibus testibus Desa clerico, filio Dragognae de Tragurio, Bogodae clerico, filio quondam Micae de Marco, Johanne Bello de Travisio et aliis, Treguanus Tragur. episcopus de consensu totius capituli constituerunt doctorem Calzam doctorem legum de Travisio

et Gausinnam primicerium s. Laurentii de Tragurio suos nuntios ad papam, ad protestandum ne archiepiscopus Spalatensis de facto procedat ad electionem et confirmationem episcopi de Sibenico.

Farlati: Illyr. Sacr. T. IV. p. 345.

MCXXVIII. *In* Och. *1274. 24. Aprilis.* Ladislaus IV. rex mandat Georgio potestati et communi Sibenicensi: cum intellexerit quomodo eos cives Traguriences incessanter molestarent plurima damna inferendo, quatenus nullam molestiam eis ulterius inferre praesummant, quia ille cives Trag. et populos ecclesiae Trag. recepit in suam gratiam et protectionem specialem. Vult etiam ut honestae personae ex illis ad eum accedant, quia et ipse ad illas partes accedet in brevi Domino concedente.

Lucius: Mem. di Traù, p. 92.

MCXXIX. *1274. 31. Maii.* Ladislaus IV. rex inhibet collectoribus marturinarum undecim et septem denariorum per Slavoniam constitutis: cum populi Zagrabiensis ecclesiae tam episcopi quam capituli ab omni collecta seu exactione qualibet marturinarum et aliorum exactionum iuxta antiquam et consuetam libertatem liberi sint penitus et exempti, ne quis praedictos populos ratione collectae cuiuslibet specialiter praetextu undecim et septem denariorum praesumat molestare. Datum per manus Benedicti Strigoniensis electi et aulae vicecancellarii. Existentibus Johanne archiepiscopo Spalatensi, Timotheo Zagrab. episcopo, Nicolao iudice curiae et comite de Gvecke, Henrico bano totius Slavoniae, Paulo bano de Zeurino, Joachimo magistro tavernicorum comite de Plys, Dedalo comite Zaladiensi.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 171.

MCXXX. *1274. 6. Julii.* Conventus domus hospitalis de Churgo (Čurgovo) refert Ladislao IV. regi, quod iuxta mandatum eius, homo capituli una cum Farcassio comite homine regio, terram Netech iuxta Dravam sitam, quam terram Vidoslai jobagionis castri sine haerede decedentis, assignaverint comiti Ochuz filio Buzad.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. cont. IX. p. 112.

MCXXXI. Strigonii. *1274. 18. Julii.* Ladislaus IV. rex scribit Dionisio palatino comiti de Oclich et Nicolao iudici curiae comiti de Guechke et de Zenta (Zenia) ac D. comiti Zaladiensi, cum quidam populi castri Zaladiensis, qui olim supra terra Debrete, quam Sidov filio Sidov in concambium terrae Kebele contulerat, residebant et quidem: Hynd cum filiis suis, Georgius Zekul, Constantun, Damianus, Simon et Bank, qui in regia vicecancellaria per falsisuggestionem litteras sub sigillo regio sibi dari procuraverint, sed quia illi non castrenses sed jobagiones dicti castri fuerint, idcirco mandat ut contra Sidov ulterius non procedant, populis autem perpetuum silentium imponant.

Codex dipl. patrius T. V. p. 50.

MCXXXII. Salonae, *1274. 21. Julii.* Gervasius, archidiaconus Traguriensis et procurator ac nuntius Columbani episcopi Traguriensis coram Y. episcopo Tiniensi et bano maritimo pronuntiat irritam esse electionem episcopi Sibenicensis contra dignitatem ac jurisdictionem ecclesiae Traguriensis

factam simulque archipresbyterum et primores cleri et oppidi Sibenicensis anathemate percutit.

Farlati: Illyr. sacr. T. IV. p. 288.

MCXXXIII. **Salonae.** *1274. 12. Julii.* Gervasius archidiaconus Traguriensis procurator et nuntius episcopi Traguriensis Columbani notum facit coram Y. episcopo Tininiensi et bano maritimo, quod cum Sibenicenses dicto episcopo Traguriensi a tempore cuius non extat memoria fuerunt lege diocesana subiecti, nunc autem eius monitis inobedientes existant et iura episcopalia contemnunt, et quod deterius est, clericum missum ad jura exigenda verberaverint, et rebus propriis expoliaverint, per haec omnia S(tanimirum) archipresbyterum, Vulconem, Diniacum, Casorinum et Radovanum sacerdotes, Michaelem diaconum et Ditum subdiaconum Sibenicemsem nomine episcopi excommunicat. Verum quia iudices Sibenicenses: Dobrogna, Ivanci filius Martini, Stefanus Brestovani et consiliarii: ser Dragovanus Bariz, frater Vulcepta, Elias Radovani, Georgius Dragozay, Fello Nicolai et alii dicto episcopo decimas dare denegant, idcirco eos quoque excommunicat. Praesentibus fratro Martino, fratre Joanne de ordine Praedicatorum, fratre Zubriano et fratre Joanne de ordine minorum, Luca sacerdote et canonico Spalatensi, Joanne filio comitis Jacobi de Breberio, Sclisa filio jupani Maladeni de .... Privoslavo Dobrolli de Spalato, Dessa Amblasii, Simone comitis Marini testibus et Duimo Domiche examinatore.

Farlati: Illyr. sacr. T. IV. p. 354.

MCXXXIV. **Budae.** *1274. 10. Augusti.* Ladislaus IV. rex scribit communitati Spalatensi, quod intellexerit quomodo illi iudices extraneos de aliis regnis recipere conserverunt, quod non est fidelitatis indicium. Cives etiam Tragurienses perturbant, et quosdam fideles regi ex sua communitate expulerunt, quare eis firmiter mandat, si eum naturalem dominum regni Hungariae et Croatiae cognoscunt, extunc iudices extraneos expellant et de regno eius sibi fideles pro potestate assumant ac cives Tragur. non perturbant, expulsos vero cives reducant, et bona eis reddant, ex suis autem melioribus civibus, si ei fideles esse volunt, usque festum s. Michaelis ad eum transmittant ut ipse una cum illis de bono statu regni Croatiae ordinet.

Lucius: Mem. di Trau p. 93.

MCXXXV. **Budae.** *1274. 13. Augusti.* Ladislaus IV. rex scribit communitati Traguriensi, quae sibi semper fidelitatis opera exhibuerit, quod eos regio cum favore prosequitur. Sed quia propter gverrarum discrimina ad illas portes accedere nequivit usque modo, annuntiat illis, quod in brevi talem hominem ad eos destinabit, qui eos tam a Paulo, qui vicem gerit pro bano maritimo, quam a civibus Spalatensibus et Sibenigh ac aliis omnibus molestantibus defensabit.

Lucius: Mem. di Trau, p. 92.

MCXXXVI. **Budae.** *1274. 13. Augusti.* Ladislaus IV. rex scribit Paulo bano, quod communitas Traguriensis conquesta sit, quod ipsos non desistit molestare petendo ab eis obsides et faciendo descensus super terris eorundem, et quamplures alias iniurias irrogando. Mandat ergo ei quatenus a molestationibus desistat, non permittendo eos nec per fratres suos nec per cives

Spalati et Sibenigh aggravari. Obsides reddat, populos autem qui de Spalato pro fidelitate regi debita sunt expulsi ad eandem introducat, restituat omnia eorum bona et possessiones.

Lucius: Mem. di Trau, p. 92.

MCXXXVII. *In* **Lypcha.** *1274. 15. Augusti.* Ladislaus IV. rex commendat memoriae, quod consideratis servitiis eximiis magistri Gerardi phisici sui, quas idem circa recuperationem sanitatis eius fideliter exercuit, terram castri Zagrabiensis Tornawa prope Zagrabiam, cum villa Karalicha ipsi perpetuo duxit conferendam.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 172.

MCXXXVIII. **Tragurii.** *1274. 16. Augusti.* Temporibus Ladislavi IV. regis, Colombani episcopi, nobilis d. Joannis de Breberio Traguriensis comitis et Preste Cotopagna potestatis, frater Columbanus episc. Tragur. notificat, quod nuper clerus et populus Sibenzanus in audaciam et inopinatum opprobium prorumpens ausu temerario ecclesiam Tragur. matrem suam spernendo ac in uno corpore duo capita erigendo, eligere sibi volunt novum episcopum. Unde cum illos episcopus repetita vice monuisset sed illi ad emendam venire noluerunt, idcirco intrusum ipsorum electum episcopum Paulum presbyterum canonicum Strigoniensem, potestatem Jurissam et maiores de castro Sibenic. videlicet: Dobrinam, Stephanum et Johannem Martini iudices, Dragovanum Baniz, Vulcettam fratrem, Georgeum Dragozaiz, Sijam Radovani, Tallonem Nicolae, S. archipresbyterum, Tholeonem diaconum, Stroinium et Radovanum sacerdotes, Miculam diaconum et Dominicum subdiaconum in scriptis excommunicat. Terram etiam Sibenicensem ecclesiastico subiecit interdicto. Praesentibus Ludovisio socio nobilis viri de Preste de Cotopagne potestatis Tragur. magistro Ralto medico, Janichae Casocto, Valentino Casariza, Lucae Mathaei, et Dessa Dujmi examinatore. Franciscus Benvenuti de Cingulo scripsit et publicavit.

Lucius: Mem. di Trau, p. 88.

MCXXXIX. *Apud locum* **Pensilos.** *1274. 4. Septembris.* Regnante Carolo rege Siciliae, ducatus Apuliae etc:, Bartholomaeus de Stressi de Regio et Jacobus de Varduno de Alba magna, regiae curiae iudices et Mathaeus Barabolus de Gaeta magnae curiae notarius cum testibus declarant, quod inter dictum regem ex una parte et Dobrenum et Heliam judices et nuntios speciales communitatis terrae Sibenici et Wlcinam Sreze et Privolaum Dabachae sindicos et nuntios civitatis Spalati ex altera, infrascripta pacta et conventiones firmatae fuerunt. Inprimis de facienda guerra per ipsum regem et praedictas universitates terrae Dalmisii et omnibus coadiutoribus suis. Item quod una pars sine altera non audeat facere treugam cum eis (Almissanis). Item quod ipse rex habebit pro ipsa guerra facienda usque ad finem guerrae duas galeas bene armatas hominibus, armis et aliis necessariis, singulis annis donec durabit guerra. Item quod ipse rex commodabit Spalatinis duas galeas cum offessis et corredis suis sine hominibus, Sibenicensibus autem unam galeam usque ad finem gverrae, quae galeae erunt in mari cum aliis galeis regis. Finita gverra debent restitui galeae, sicut receptae fuerant. Obligarunt se etiam gverram facere bona fide sine fraude dictae civitates per mare et

per terram. Lucrum dividetur aequaliter, captivi omnes perveniant in fortiam et bailiam domini regis, et de ipsis facient voluntatem suam. Pecunia pro redemptione captivorum sit dictorum universitatuum. Rex nominabit capitaneum qui praesit dictis galeis. Si voluerint aliqui ex Dalmasibus venire ad habitandum in terrenum dictarum communitatuum libere eos recipient, si non sint contra voluntatem regis Hungariae et si non offendent regem Siciliae vel gentem suam.

Ljubić: Mon. I. p. 108.

MCXL. **Lugduni.** *1274. 18. Septembris.* Gregorius X. papa ad petitionem magistri et fratrum domus militiae Templi qui insinuarunt quod olim civitatem Sceniensem et possessiones de Wecke (Gečke) ad eos spectantes cum quondam Bela Slavoniae, Dalmatiae atque Croatiae duce pro comitatu de Dobica cum omni districtu ac pertinentiis ad ipsum ducem pertinentibus permutaverint, eandem permutationem ratam habet.

Theiner: Mon. vet. Hung. I. p. 310.

MCXLI. *1274. 30. Septembris.* Ladislaus IV. rex contulit comiti Laurentio filio Petri quandam possessionem Scentmihal in comitatu Castriferrei pro ipsius fidelibus servitiis, inter quae memoratur specialiter: quod in conflictu quem cum Henrico (bano), Joachino (quondam bano) et aliis eorum sequacibus, qui cum vexillis elevatis contra coronam regiam ausu temerario venire temptaverant, pugnaturus apud montem Buken-somla habuerat, in quo conflictu idem Herricus primipilarius exercitus eorundem infidelium morte miserabili per fideles regis extitit interemptus, idem comes Laurentius actus exhibuit strenuos. Datum per Benedictum Strigoniensis ecclesiae electum, praepositum Budensem et aulae vicecancellarium. Existentibus inter caeteros, Johanne archiepiscopo Spalatensi, Timotheo episcopo Zagrabiensi, Rolando palatino, Dionisio (de Oklich) bano totius Slavoniae, Erney judice curiae, Egidio magistro tavernicorum.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. p. 88, 92, 95.

MCXLII. *Sub* **Zolounuk.** *1274. 1. Decembris.* Ladislaus IV. rex Dyonisio bano totius Slavoniae mandat, cum rex Bela avus et rex Stephanus pater eius terram castri Zagrabiensis Tornawa prope Zagrabiam magistro Gerardo fisico regis et ipse rex contulissent, quatenus ipsum in possessionem introducat.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 173.

MCXLIII. *1274. 4. Decembris.* Ladislaus IV. rex attendens obsequiosa merita Stephani filii Michaelis iuvenis sui, quae idem regi Stephano patri ipsius et ipsi ac regno in diversis expeditionibus exhibuit, concedit ei in recompensationem servitiorum: ut populi ejusdem Stephani in banatu Slavoniae constituti collectam marturinarum et victualium, que Zulusina nuncupatur, bano Slavoniae pro tempore constituto nullatenus solvere teneantur sed sint ab ea exempti. Datum per magist. Benedictum electum Strigoniensem aulae vicecancellarium. Existentibus Johanne archiepiscopo Spalat., Timotheo episcopo Zagrab., Thoma bano totius Slavoniae, Rolando magistro tavernicorum reginae comite de Zala, Moys comite Symigiensi, Bagun comite Zaladiensi.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. IX. 116.

MCXLIV. *1274.* Ladislaus IV. rex notificat, quod considerans quomodo comes Ivan filius Inslay (Jaroslai) nedum tempore gentis Tartaricae quum regnum Hungariae invasissent, prout per barones, nobiles et proceres regni clarius constitit luce clara, verum ab omnibus infantiae suae temporibus in plerisque casibus, diversis actionibus et expeditionibus maxime contra regem Boemorum indesinenter dimicando servivit, volens eum insignire regalibus donis, contulit eidem comiti Iwan villam in Slavonia existentem Zamabur nuncupatam cum universis juribus, cum tributo portae prope ipsam villam in regni confiniis existentis, sitae in terra Iwan comitis, jure perpetuo possidendum, maxime cum castrum, quod in praedicta terra Zamabur praedicti Bohemiae regis homines construerant, idem comes Iwan multo sudore, multis laboribus et expensis et non sine suorum sanguine et cruore ab ipsis inimicis rehabuit et recepit.

In archivo capituli Zagrab. Protocollum XXIX. p. 35.

MCXLV. *1274.* Ladislaus IV. rex enarrando merita Jacobi comitis filii Jacobi meminit specialiter, quod cum per insultum Theotonicorum castrum Jauriense captum esset, et ad obsidendum ipsum rex particulares exercitus misisset, idem Jacobus comes, una cum Iwachino magistro tavarnicorum, comite Posoniensi et de Pylis, contra Theotonicos laudabiliter dimicando, et quosdam ex ipsis lancea dejiciendo, lethalia recepit vulnera, de quibus vix per curam expertorum medicorum per spacium longi temporis est resanatus. Postmodum sub castro Wetrech, quod per exercitum regis Bohemorum obsidebatur, idem comes Jacobus audacter irruit in aciem Theotonicorum, ubi similiter graviter fuerat sauciatus. Pro remuneratione igitur servitiorum ejus, contulit rex terram Konszka castri de Riuche (Rovišće) ad sex aratra sufficientem ei et fratri ejus Stephano. Dedit una in mandatis capitulo chasmensi ut cum Abraamo de genere Kamarcha homine suo eandem terram inspicerent, et dictos Jacobum et Stephanum in eandem statuerent. Capitulum rescripsit dictam terram Konszka sitam esse iuxta fluvium Konszka et per Nicolaum comitem de Zana et de Ryuche statutam fuisse et assignatam. Datum per manus Benedicti praepositi Budensis, aulae vicecancellarii. Existentibus Joanne archiepiscopo Spalat. Tymotheo episcopo Zagrab., Dyonisio palatino comite de Oklych, Henrico bano totius Slavoniae, iudice Cumanorum, Iwachino magistro tavernicorum, Nicolao iudice curiae comite de Gueche.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 154.

MCXLVI. *1274.* Ladislaus IV. rex libertates civitatis Petrina in Slavonia a Colomano duce a. 1240 concessas, a Bela IV. rege a. 1242 confirmatas, de novo transumit et confirmat.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 230.

MCXLVII. *1274.* Saracenus episcopus Corbaviensis et exactor episcopatu, Sibenicensis significat, quod lamentabilem episcopi Traguriensis quaerellam et protestationem receperit, quod Joannes archiepiscopus Spalatensis cibaret eum pane angustiae atque tribulationis, imo potum daret sibi aquam fellis destruere volens ecclesiae suae statum et dividere suum episcopatum in duas partes contra omnia jura sine assensu papae, contra statutum concilii generalis. Et cum misisset suum nuntium Gervasium archidiaconum ad appelandum

idem archiepiscopus denegavit ei additum suae praesentiae et de ecclesia cathedrali indecenter expelli curavit. Qui archidiaconus postquam redivit, ad sedem apostolicam appellationem suam direxit. Ad hoc archipresbyterum Tolconem, Duimum et Martini filium iudices, Dragovanum Vatiz, Volchetam fratrem, Georgeum Drazzal, Eliam Radovani et Tolenum Nicolae consiliarios et cives de Sybenico excommunicatos denuntiavit.

Lucius: Mem. di Trau, p. 88.

MCXLVIII. *1274.* Herricus banus totius Slavoniae significat, quod Petrus filius Rodolphi coram eo confessus sit, vendidisse suam terram Petyn in Brochina cum piscina et omnibus utilitatibus pro viginti marcis comiti Perchino iure perpetuo.

In archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. T. XI. p. 88.

MCXLIX. *1274.* Dyonisius banus totius Slavoniae significat, quod magister Gerardus fisicus regis exhibuisset litteras regis super donatione terrae Torvawa, in cujus corporalem possessionem eum per comitem Bartholomaeum officialem suum de Pyhina introduci fecit.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 173.

MCL. *1274.* Dionisius banus totius Slavoniae refert Ladislao regi, quod terram Tornawa cum omnibus pertinentiis magistro Gerardo fisico assignaverit.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 174.

MCLI. *1275. 10. Aprilis.* Conventus domus hospitalis Jerosolimitani de Alba notificat, quod Gabrianus filius Jacov de Pochunta et comes Henricus filius Nicolai de Vrumnyohaz cum fratre suo Nicolao comitibus retulerint, quod idem Gabrianus terram Wobra (Dobra) in comitatu de Wolko, terram sex aratrorum quantitatis, a Dominico filio Egue de Dobra comparatam titulo emptionis, pro quindecim marcis argenti praedicto comiti Henrico et suis haeredibus se confessus est vendidisse. Praesentibus fratre Guillermo priore, eodemque custode ecclesiae dicti ordinis et fratre Ugone praeceptore domus.

Ex actis archivi Croatiae per banum Khuen-Hedervary ablatis. Wenzel: Cod. dipl. V. II. 277.

MCLII. *Ante* Nonam. *1275. 6. Junii.* Nicolaus banus totius Croatiae et Dalmatiae, comes de Guecka notificat, quod cum olim bonae memoriae pater ejus Stefanus banus totius Slavoniae, sicut sibi placuit, subtraxisset communi et hominibus de Tragurio quasdam possessiones in confiniis Traguriensibus positas in loco ad s. Petrum de Clobuchichy sub Ostrog, quae subiectae fuerant castro Clissiae per patrem eius. Homines autem de Tragurio allegaverunt, easdem possessiones ad se pertinere de jure et super hoc ostenderunt a rege Bela (IV.) edita et a rege Stefano V. confirmata privilegia. Quibus visis et auditis allegationibus banus praedictas terras relaxavit Traguriensibus absque omni contradictione. Confirmando eis omnes possessiones quae extenduntur usque ad terras de Blisay, constituens in Praestaldum nob. virum Radozlaum filium quondam comitis Jacov de Breberio ad haec omnia exequenda.

Lucius: Mem. di Trau, p. 93.

MCLIII. **Zagrabiae.** *1275. 9. Junii.* Johannes banus totius Slavoniae memoriae commendat, quod pater Timotheus episcopus Zagrab. exhibuerit ei litteras Ladislai regis continentes quod ob merita servitiorum episcopi ei terram castri Zagrabiensis Fayz vocatam (Kraljevec) sitam sub castro episcopi, jure perpetuo contulisset, quam igitur terram banus ei iuxta tenorem privilegii regis, a castro Zagr. penitus exemptam, possidendam reliquit.
Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 176.

MCLIV. *1275. 27. Julii.* Magister Martunos comes Crisiensis declarat, quod constitutis coram eo Bank filio Wyzezlay a parte una, Woinch autem et Thomas filiis Martini pro se et Alexandro fratre ipsorum absente ab altera parte, iidem Woinch et Thomas partem terrae suae inter fluvios Mozynya et Zelnek existentis eidem Bank pro 14 marcis confessi fuissent se vendidisse jure perpetuo. Meta terrae incipit ab occidente in fluvio Mozynya iuxta terram Christiani filii Mylozthe, per quem fluvium tendendo in magno spatio venit ad terram Mahark filii Minozlay, inde per quandam magnam viam iuxta terram eiusdem Mahark ad fructicem Gyumelchen. Per varias metas eundo intrat in rivulum Zelnek, et iuxta viam ad terram dicti Bank emptoris et per metas ad rivulum Brezthowcz ad primam metam.
Ex transumpto palatini Michaelis Orszag de a. 1481. In actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 681. N. 22.

MCLV. *In* **Potok.** *1275. 4. Augusti.* Ladislaus IV. rex monet matrem suam Elisabeth reginam: cum in persona eius vergente deorsum virtute corporea invalescat possessionum ecclesiasticarum invasio et desolatio ac occupatio indebita, cum specialiter per frequentes nuntios et litteras requisisset eam ut possessionem s. regis Stephani de Zagrabia, Wasca vocatam, occupatam restitueret, sed sine ullo effectu, ut possessionem dictam ecclesiae restituat, si non vult ut episcopus contra eam esclesiastica procedat censura.
Tkalčić: Mon. hist. T. I. pag. 177.

MCLVI. *1275. 11. Augusti.* Ladislaus IV. rex considerans fidelitates et servitia civium montis Grecensis, quae in conservatione dicti castri contra homines regis Boemiae exhibuerunt, villam castri Zagrabiensis Kobila cum omnibus pertinentiis donavit eis et contulit. Datum per manus Benedicti electi Strigoniensis aulae vicecancellarii. Existentibus Johanne archiepiscopo Spalat., Timotheo Zagrab. episcopo, Johanne bano totius Slavoniae, Nicolo bano totius Croatiae, Paulo bano Zeurino, Iwachino magistro tavernicorum, comite de Plys.
Ex mea antiqua collectione. Arkiv za povjest Jugosl. III. 81.

MCLVII. *1275. 11. Augusti.* Ladislaus IV. rex notificat, quod cum pater ejus Stephanus rex terram Glaunicha in comitatu de Morovcha Perchino comiti cum suo privilegio contulisset et postmodum Dionisius magister tavernicorum dominae reginae consortis regis dicto comitatu de Moroucha ex regia collatione ad ipsum perpetuo devoluto, eandem terram Glaunicha abstulisset a comite Perchino; tandem dictus magister eandem terram exemit a privilegio suo super ipso comitatu de Moroucha et reliquit de bona voluntate ipsi comiti Perchino sub metis in privilegio patris regis contentis. Rex autem multiplices fidelitates et servitia dicti comitis Perchini, qui ei cum personae suae

captivatione, et suorum et rerum suarum expensione non modica in diversis regni negotiis exhibuit attendens, collationem eiusdem terrae confirmavit et exemit eandem ab omni debito et servicio castri de Moroucha, relinquens eandem terram ipsi comiti prout caeteri nobiles in partibus ultra Dravanis constituti terras eorum et possessiones detinent, libere possidendam; cum et ipsum comitem Perchinum inter primos et potentiores regni nobiles reputet. Datum per manus magistri Strigoniensis ecclesiae electi aulae vicecancellarii. Existentibus Johanne Spalatensi archiepiscopo, Timotheo Zagrabiensi episc., Johanne bano totius Slavoniae, Nicolao bano totius Croatiae, Paulo bano de Zeurino, Joachimo magistro tavernicorum et comite de Plys.

Orig. membr. in actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 1532. N. 31.

MCLVIII. *Datum in castro* **Budensi.** *1275. 12. Augusti.* Joachinus magister tavernicorum regis et comes de Barana et de Plys significat, quod Andreas magister tavernicorum Timothei episcopi Zagrab. vice domini sui et capituli exhibuisset litteras Ladislai regis super facto collectae septem denariorum banalium ex parte episcopi et capit. provenientium, in quibus litteris mandat bano, ut tenorem privilegiorum regum Belae et Stephani servat et per exactores faciat observari. Banus igitur a dicta exactione omnino cessavit et duxit desistendum.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 177.

MCLIX. **Zagrabiae.** *1275. 25. Augusti.* Johannes banus totius Slavoniae una cum capitulo Chasmensi et Martino comite Crisiensi attestantur, quod Bank filius Moyzlauy a parte una, Woynech et Thomas filii Martini pro se et Alexandro fratre suo absente parte ex altera, confessi sunt particulam terrae eorum inter fluvios Mosyna et Zelnyk existentem eidem Bank et suis haeredibus pro quatuordecim marcis denariorum perpetuo vendidisse.

Ex litteris magistri Thomae vicebani et comitis Crisiensis de a. 1393. in quibus continentur literae Ludovici regis de a. 1363. et Mariae reginae de a. 1390 pro Johanne et Mathia Bisseno de Nezd emanatae. — In mea collectione.

MCLX. **Zagrabiae.** *1275. 27. Septembris.* Inus comes Zagrabiensis significat, quod ille pro et ex parte Ladislai regis, item bani totius Slavoniae habuit in mandatis terram Kebela (Kobila) cum omnibus appendiciis et metis assignari civibus de monte Grech, et statuit illam ipsis sine contradictione coram testimonio capituli Zagrab. et Paulo filio Vida pristaldo terrestri.

Tkalčić: Mon. civ. Zagrab. vol. I. Doc. 62.

MCLXI. *1275. 27. Octobris.* Ladislaus IV. rex notum facit, quod Timotheus episcopus Zagrab. exhibuisset litteras Belae regis super terra s. Martini (de Vaska) confectas, petens ut eas dignaretur confirmare, cui petitioni rex annuit.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 178.

MCLXII. **Albae.** *1275. 31. Octobris.* Ladislaus IV. rex memoriae commendat, quod constitutis ab una parte Nicolao filio Drusan et comite Demetrio judice curiae Tymothei episcopi Zagrab. pro domino suo ex altera,

idem Nicolaus terram suam Toplicha, generationis Tybolch, eidem episcopo pro LX marcis denariorum a festo Omnium Sanctorum usque ad anni revolutionem pignori obligasset, in quibus LX marcis ipsi episcopo ratione decimarum suarum dicebat se teneri, tali obligatione: quod si in festo praedicto in anno subsequenti idem Nicolaus dictam terram suam non redemerit, extunc eandem perpetuare tenebitur eidem episcopo, et si maioris pretii aestimata fuerit, episcopus iuxta aestimationem proborum virorum superaddet.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 179.

MCLXIII. *1275. 27. Novembris.* Ladislaus IV. rex litteras a Bela IV. rege, avo suo, episcopo Zagrabiensi (a. 1255) concessas et super terra scti. Martini (Waska) confectas ratificat et roborat. Existentibus Joanne archiepiscopo Spalatensi, Timotheo episcopo Zagrabiensi etc.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 235.—258.

MCLXIV. *1275. 2. Decembris.* Ladislaus IV. rex notificat, quod attendens fidelia obsequia et merita Stephani filii Michaelis, quae idem patri suo Stephano regi ac ei et regno in diversis expeditionibus exhibuisset, concessit ut populi ejusdem Stephani in Banatu Slavoniae constituti collectam marturinarum et victualium, quae Zaluzina nuncupatur, bano Slavoniae nullatenus solvere teneantur, sed ab ejusmodi collecta exempti penitus habeantur; sed iidem populi eidem Stephano, domino suo, prout eidem videbitur expedire, in eadem collecta debeant respondere. Datum per manus magistri Benedicti electi Strigoniensis et aulae vicecancellarii. Existentibus Joanne archiepiscopo Spalatensi, Timotheo episcopo Zagrabiensi, Petro palatino comite Suprun. Thoma bano totius Slavoniae, Rolando magistro tavernicorum reginae comite de Zana, Moys comite Simigiensi.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 277.

MCLXV. *1275. 13. Decembris.* Capitulum Quinqueecclesiense commendat memoriae, quod magister Corrardus filius Stephani de Jeur pro se et Jacobo filio suo ab una parte, Dionisius filius Leonardi de Nempthy pro se et fratre suo carnali, item pro Petro et fratribus eiusdem filiis comitis Dominici fratris sui carnalis, item pro filiis Johannis etiam fratris sui carnalis ab altera personaliter constituti, super omnibus destructionibus, combustionibus, dampnis, vulneribus sive plagis, iniuriis ac iniuriosis facinoribus quibuslibet et super discordiarum hinc et inde subortis, specialiter super facto mortis Urbanus servientis filiorum Leonardi, quem Sebastianus filius Jacobi interfecit, confessi sunt perpetuam pacem se habere, et quod neutraque partium alteram super praeteritis dampnis vel iniuriis et specialiter pro morte dicti Urbanus poterit in posterum molestare. Pro qua morte Corrardus, qua fideiussor Sebastiani, persolvit 11 marcas et dimidiam; item ratione judiciorum duas marcas, item pro damnis quinque marcas et dimidia, in summa decem et octo marcas et dimidiam, quam pecuniam recepit Dionisius filius Leonardi, cuius pecuniae modus solutionis in litteris Ducissae totius Slavoniae plenius continetur. Corrardus cessit etiam omni actioni super facto terrae Beangh.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. 577.

MCLXVI. *1275.* Ladislaus IV. rex confirmat comiti Gaan (Jan) filio comitis Wydonis de Wegla de Modrus et Wynodol privilegium Stephani regis patris suis confirmatorium super potestate Seniensi.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 272. In archivo camerali. Pray exhibet sigillum, Syntagm. hist. Tab. VI. fig. 3.

MCLXVII. *1275.* Ladislaus IV. rex manifestat, quod cum Bela IV. rex avus ipsius olim ad quandam inductivam seu odiosam suggestionem civium Traguriensium inclinatus possessionem ecclesiae Spalatensis, Astroch vocatam, ac alias particulas possessionarias, Traguriensibus civibus contulisset, qui ad haec usque tempora eas tennuissent; propter quas inter Spalatenses et Tragurienses infinitae caedes, innumerabilesque strages factae exstitissent. Rex mediante consilio baronum suorum inquirendo edoctus, quod eaedem possessiones a Spalatensibus alienari merito non potuerint, easdem ecclesiae et civibus Spalatensibus restituit. Existentibus Joanne archiepiscopo Spalatensi, Timotheo episcopo Zagrab., Nicolao palatino, Nicolao woyvoda judice curiae, Johanne bano Slavoniae, Nicolao bano maritimo, Dionisio tavernico reginae comite Zaladiensi, Gregorio bano comite Simigiensi.

Farlati: Illyr. sacr. T. III. p. 288.

MCLXVIII. *1275.* Ladislaus IV. rex notificat, quod magister Paulus comes de Volco pro gratuitis servitiis suis, terram Vyd filii Volchina sine haerede decedentis, Crazna vocatam, ultra Gozd in parochia de Busan existentem, sibi dari humiliter postulasset. Rex considerans eius fidelitates, quae a primaevis suae pueritiae temporibus laudabiliter exhibuerat, donavit ei terram Crazna dicti Vydus, habito baronum consilio. Datum per manus Benedicti Strigon. eccl. electi aulae vicecancellarii. Existentibus Johanne archiepiscopo Spalatensi, Timotheo episcopo Zagrab., Joachimo magistro tavernicorum, Johanne bano totius Slavoniae, Nicolao bano Croatiae atque Dalmatiae, Dionisio magistro tavernicorum reginae comite Zaladiensi, Gregorio bano comite Symigiensi.

Cod. dipl. patrius VI. p. 209.

MCLXIX. *1275.* Elisabetha regina notificat, quod ad petitionem Otrochk, Gregorii filii Beluch et filiorum Sewa terras tenentium de Posega, terram Oryovicha in dicto comitatu, eo iure, quo tempore Mariae socrus reginae tenuerant eisdem secundum tenorem privilegii praedictae Mariae reliquit possidendam. Metae terrae secundum distinctionem Laurentii condam comitis de Posega, haec sunt: Prima incipit iuxta aquam Oryoycha, inde ascendit ad montem et pervenit ad viam, inde iuxta populos reginae de Romiricha et de Gradpotok vadit ad terram quae dividit terram Beluch a terra reginae, et ibi est commetaneus Petrus filius Cheley, et venit ad eius curiam; et per vallem et montem venit ad ecclesiam s. Lucae evangelistae, sub cimiterio est meta terrae. Et venit ad commetaneos populos reginae de Oryoycha et terram fratrum Otrochk et Sewa, et iuxta aquam Oryoycha ad piscinam Chernuch ubi terminatur. Datum per manus magistri Gregorii aulae cancellarii.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex regni archivo ablatis N. R. A. Fasc. 1538. N. 28.

MCLXX. *1275.* Elisabetha regina manifestat, quod servitia comitis Benedicti, filii comitis Iwancha, qui Belae et Stephano regibus et tandem Ladislao regi, filio suo et ei ipsi, personam suam casibus fortunae comittere non formidans in prosperis et adversis cum summa diligencia exhibuisset, quandam terram in foenore, Vrbna vocatam, in comitatu de Posaga, quam quondam Morcunus filius Mike detinebat, cum omnibus pertinentiis, de beneplacito filii sui Ladislai regis contulit. Metarum autem prima incipit iuxta fluvium Churnuch, inde procedit ad septemtrionem in silvam Zana, declinat ad campum et ad fluvium Vrbua. Per varias metas cadit in potok Bokolcznyk. Commetatur terrae comitis Chech, et per dictum potok vadit ad magnam viam, cadit ad aquam Zlopchenik et ad Dopouchpotok et transit aquam Dobouch, vergit versus Dastenlaz, venit per campum ad aquam Luki et ad lacum, qui una Helenskapolya vocatur, ad meridiem ad aquam Churnuch et ubi in eum cadit aqua Zavina et separatur de terra Cheh ibique terminatur. Datum per manus Gregorii aulae cancellarii.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex regni archivo ablatis. N. R. A. Fasc. 1503. Nr. 12.

MCLXXI. *1275.* Elisabetha regina notificat, quod cum Ladislaus rex et dux Andreas frater eius, filii reginae, patre eorum Stephano de medio sublato in aetate tenera constituti regnum gubernare nequirent, et exinde per extraneos hostes variae necessitates regno, et per discordiam baronum inter se iniuriarum acciones incolis eiusdem in ablatione possessionum imminerent, volens succurrere immunitati quorumlibet, Damasa et Thomae nobilibus de Verecha filiis Mathiae in comitatu de Wereuche terram tenentibus, duxit annuendum, ut terram Lusanch prope fluvium Ilua, quam Maria socrus reginae in concambium terrae Bryzniche dederat, cum omnibus pertinentiis iidem Damas et Thomas ac haeredes eorum perpeuto tenere valeant et legandi potestatem cuicunque voluerint habeant etiam haeredibus destituti. De collectis autem marturinarum et aliis debitis populorum suorum reginae persolvendis, tertiam recipiant portionem. Concessit insuper, ut ultra Dravam ad curiam regis vel alterius judicis cuiuscumque citati nullatenus accedere teneantur. Et quod persona extranea testes extraneos producere non possit contra ipsos. Metarum autem terrae prima incipit ab oriente de capite putei Repesch iuxta terram magistri Egidii, versus meridiem terrae Vyznicatus. Inde ad fluvium Ilua et per varias terras ad terram Jacobi filii Bethe et in monte ad magnam vineam Mathiae, inde ad viam iuxta terram magistri Egidii et revertitur ad primam.

Ex actis monasterii Dobra kuća per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis. Fasc. 1. N. I.

MCLXXII. *Circa 1275.* Nicolaus palatinus comes Supruniensis scribit viro nobili et amico suo Gregorio bano comiti Symigiensi et requirit amicitiam suam quatenus comitem Bartholomaeum et magistrum Calmerium ratione terrae castri Symigiensis Gorbonuk, ipsis pro servitiis suis per regem collatae, non molestet.

Cod. dipl. patrius VI. p. 214.

MCLXXIII. *1275.* Nicolaus banus Croatiae et Dalmatiae refert regi Ladislao, quod Spalatenses et Sibenzani nobilibus omnibus et potentioribus

Slavoniae societati contra civitatem Traguriensem processissent, et non solum bona, sed etiam civitatem destruere conassent, nisi ipsius civitatis episc. capitulum et cives promitterent, quod praedicta communitas Sybenicensis, quae a tempore, cuius non existit memoria, fuit de dioecesi civit. Tragur. (exempta), episc. haberet proprium et pastorem in Sibenico residentem. Et nisi Spalat. restituerent quasdam terras per privilegium Belae communtati Tragur. concessas et per Stephanum regem confirmatas, prout ex ipsis privilegiis a bano visis evidenter apparet. Prohibitiones et mandata bani ex regia parte facta eaedem commumunitates vilipenderunt. Quumque banus videret ipsam civit. (Tragur.) esse totaliter praecepitatam et sociatis adversariis propter modicam suam societatem resistere non audebat, ad praedictam destructionem evitandam, mandavit Traguriensibus, quod petitionibus praedictorum debeant penitus satisfacere. — Ad quod ipsi Tragurienses responderunt: quod ante patientur eorum civitatem destrui, quam consentiant petitionibus supradictis et ut regum privilegia frangerentur absque regiae maiestatis scientia et voluntate. Demum quum banus nihil aliud potuerat facere de iure, coegit Tragurienses ad praedictas petitiones admittendas, qui licet inviti paruerunt. Quae omnia, ut in posterum reprehendi non possit, cum non voluntate sed coactus fieri fecerit, Maiestati regiae refert.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 361 erroneae ad a. 1276. prolatum. Lucius: Mem. di Trau, p. 96.

MCLXXIV. *In* **Cur** . . . *1275.* Nicolaus totius Dalmatiae atque Croatiae banus et comes de Gezcha notum facit, quod cum de speciali mandato regis Ladizlai accessisset ad civitatem Spalatensem et Traguriensem pro sedanda discordia quae dicebatur inter homines earundem terrarum suscitata, invenit inter utramque civitatem capitalem inimicitiam. Cumque de causis inimicitiae et guerrarum cepisset inquirere, dicebant Spalatenses, quod Tragurienses contra Deum et iustitiam sibi quasdam terras in districtu et confinibus Spalatensium detinebant occupatas, unde petebant eas sibi restitui. Ad quod respondebant Tragurienses se illas terras tenere de voluntate gratuita totius communitatis et hominum de Spalato et de assensu Belae regis et confirmatione regis Stephani, verificantes ex toto per privilegia super his terris ab utroque rege sibi edita, quae banus repperit fide digna. Quare utrique partium dedit in mandatis, ut cum iuribus suis coram regia Maiestate compareant, ad audiendum quod regia celsitudo super his dignabitur ordinare.

Lucius: Mem. di Trau, p. 94.

MCLXXV. **Zagrabiae.** *1275.* Johannes banus totius Slavoniae significat, quod cives de monte Grecensi exhibuissent litteras Ladislai IV. regis, in quibus praecipiebat, quod villam castri Zagrabiensis Kobylam cum omnibus pertinentiis eis statuere deberet, cum eandem ob merita servitiorum eorundem perpetuo eisdem contulisset. Banus itaque misit Inus comitem suum Zagrabiensem ut terram eandem reambulando civibus assignaret. Peracta reambulatione sine ulla contradictione jobagionum castri, perlecto privilegio regio coram universis, assenciens banus collationi regiae, fecit civibus assignari dictam terram.

Tkalčić: Mon. civit. Zagrab. vol. I. Doc. 63.

MCLXXVI. *1275.* Dionisius banus comes Zaladiensis significat, quod nobiles de Kustan, Mikov et Bola, exhibuissent ei litteras Ladislai regis in quibus ei mandat, ut dictam terram accedere et a castrensibus de Kustan et ab udvornicis ac a populis dominae reginae separare debeat. Qui cum Gregorio bano fratre suo et cum aliis nobilibus de districtu Zaladiensi, ac cum Sebe maiore exercitns Zaladiensis et metas terrae distinxit, quae terminantur cum vinea Ibur, foenili Horvasuth, terra Karamah, vinea Ramugh, et vinea Michaelis Jacobi.

Cod. dipl. patrius IV. 54.

MCLXXVII. *1275.* Frater Pontius de Fayn, magister domorum hospitalis s. Johannis Jherosolimitani per Hungariam et Slavoniam significat, quod cum omnibus fratribus suis in capitulo eorum in die Ascensionis domini in Chorgo (Čurgovo) celebrato cum eo consedentibus videlicet: fratre Ugone Boraldy praeceptore de Chorgo et de Vdvorhel ac vices eius gerente, fratre Guilermo de s. Paulo, praeceptore de Chychan, fratre Ugone de monte Claro, praeceptore de Alba, fratre Margaritha, praeceptore de Bela, fratre Petro Umberto praeceptore de Zyrak et aliis quamplurimis, consideratis multipliciis servitiis comitis Perchini potestatis de Monte Grecensi et Antonii fratris sui, quae Domui eorum in diversis necessitatibus fideliter impenderunt, quasdam terras domus suae vacuas et quasi desertas, minor Peschenicha et Lykenik vocatas, cum omnibus pertinentiis coutulissent. Quarum primam Borch et Zloyna cum fratribus suis ex parte domus quondam tenuerunt, de quibus domus annuatim vix unius marcae redditum percipiebat. Dederunt autem terras in feudum cum pacto: quod nulla ratione possint ab eisdem fratribus et eorum haeredibus auferri, nisi in manifesta infidelitate contra domum perpetrata notarentur. Praeterea in silvis ad domum de Chychan spectantibus, excepta silva Ovas, tam porci dicti Perchini et fratris eius quam etiam populorum suorum sine aliqua exactione tributi pascantur et ligna tam pro aedificiis quam pro usu recipiant. Omnia iura terrarum tam in marturinis quam in collectis quae per terram domus solvi consveverunt, illi etiam obtinebunt. Populi eorum in iudicio solummodo illis substabunt, praeter causas homicidii, quas praeceptor de Chichan una cum comite Perchino et fratre eius iudicabit. Caeterum domui nomine pensionis quatuor marcas annuatim solvent in duobus terminis cum quinque pensis denariorum Zagrabiensium.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. IX. 128.

MCLXXVIII. *1275.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis significat, quod Wlk filius Dobrelech de Cassina totam suam portionem in inferiori Blagusa vendiderit pro 11. Marcis denariorum banalium Withuch filio Martini ventrosi, eviccione in se assumpta, et Radila filio Radus consanguineo et commetaneo consentiente.

Marcellovich: Extr. dipl.

MCLXXIX. *1275.* Capitulum ecclesiae Zagrab. notum facit, quod Johannes prior de Toplica ab una parte vice et nomine abbatis, ab altera vero Marcus filius Martini et Radislaus filius Isani de genere comitis Poursene asseruissent, quod cum super metis possessionis monasterii dicti d. abbatis Zvcha-Chemernicha vocatae et possessionis Mark et Radoslai Stirochenna nuncupatae ex utraque parte questio mota fuisset. Tandem mediante sollici-

tudine comitis Pourseni ut controversia sopiretur ambae partes ad metas distinguendas personaliter accederunt, et ad invicem distinxerunt taliter: quod incipiendo super capite Styrochenne iuxta viam publicam, quae ducit versus meridiem ad partes Pezech, a parte dextra praedictae Zucha-Chemernicha relinquerent monasterio, a parte autem sinistra relicta est terra Marco et Radizlao.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 180.

MCLXXX. *1275.* Chasmensis ecclesiae capitulum attestatur, quod feria secunda proxima post festum b. Egidii confessoris frater Stephanus Heremita ecclesiae B. Virginis de domo Garig de ordine s. Augustini exhibuisset litteras super collacione duarum vinearum per Ladislaum fratrem Gabrielis factorum a. 1273. quas de verbo ad verbum transummi fecit.

Ex actis monasterii de Garić. Fasc. 1. N. 3. Ex regni archivo per banum Khuen-Hedervary ablatis.

MCLXXXI. *1275.* Capitulum Chasmensis ecclesiae notum facit, quod ab una parte Stephanus filius Spoch, ex altera vero Sampson filius Bobeta personaliter constituti fassi sint: quod idem Stephanus terram Hrusevech quam Bolehna frater Boletae fratris dicti Sampsonis, dicto Stephano vendidisset pro duodecim marcis, reddidisset idem Sampsoni numeratis ab eo 12 marcis. Metae autem terrae, quas homo capituli Varov sacerdos ecclesiae B. V. M. de superiori Izdench reambulavit, incipiunt de aqua Hrusevch, deinde per varias metas arboreas ad unam mlakam et magnam silvam, deinde per vallem nemorosam iuxta silvam bik (bukova) ad occidentem per quendam fluvium et cadit iterum in aquam Hrusevch.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. 158.

MCLXXXII. *1275.* Capitulum ecclesiae Agriensis notum facit, quod Nicolaus filius Ponyth bani de genere Miskovch, medietatem possessionis suae Bogus in comitatu de Karazna (Krasna) dederit Thomae, Andreae et Alexandro filiis Bedek de Perezne et Martino filio Rosoyn fratri suo; item Stephano filio Eliae de eadem Perezne in concambium terrae Aranyas in comitatu de Borsod.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. T. XII. p. 159.

MCLXXXIII. Tragurii. *1276. 7. Januarii.* Temporibus Ladislai IV. regis, Columbani episc. Traguriensis, Johannis de Briberio comitis Trag., Michae ..... potestatis, Valentini Casarizzae, Dessae Amblasii Trag. consiliariorum, dictus episcopus considerans magna servitia quae receperat a Nicolao Casotti, concessit ei et cessit omne jus, omnemque actionem realem quod et quam habuit contra Raphaelem Bertramum de Venetiis et eius bona pro centum et viginti libris Venetorum parvorum, quas idem Raphael eidem episcopo dare et solvere tenetur. Praesentibus Duimo Pertolo, Nicolao Calcorde et Dessa quondam Duimo de Cega.

Ljubić: Mon. I. 110.

MCLXXXIV. *Apud* Tragurium. *1276. 13. Jan.* Magister Romanus archidiaconus Bossiensis et magister Fulcus referunt B(enedicto) electo archiep. Strigoniensi, praeposito Budensi et aulae regis vicecancellario, quod cum versus maritima venire debuissent, invenerunt per Scenam et Zadriam vias sibi observatas et insidias praeparatas, idcirco ad civitatem Traguriensem

fidelem regis declinarunt quae illos benigne recepit, familialiter tractavit et de bonis suis honoraverat. Et cum propter nauli expectationem diutius mansissent in civitate, monstrarunt eis cives regis Belae privilegium per quod constat ipsum regem pro eximiis servitiis dictorum civium quandam terram illis contulisse, cuius donationem rex etiam Stephanus ratam habuit. Tandem et rex Ladislaus factum avi et patris ratificavit et suo privilegio communivit, quae privilegia Stephani et Ladislai per manus supradicti B. cancellarii emanarunt. Novissime vero cives Spalatenses dicuntur se obtinuisse privilegium Ladislai regis, per quod revocare asserunt avi, patris ac suum (Ladislai regis) privilegium, quod non credimus dicunt magistri nuntii. Occasione tamen ipsius privilegii (emanationis) dicti Spalatenses ipsos Tragurinos magnis iniuriis et damnis afflixerunt et affligere non verentur. Quocirca hortantur dictum electum archiepiscopum, quatenus propter Deum et justitiam et ipsius honestatem dictos Traguricnses, in suis juribus velit adiuvare apud regem, barones e banum.

Lucius: Mem. di Trau. p. 95.

MCLXXXV. **Venetiis.** *1276. 17. Januarii.* Jacobus Contarenus dux Venetiarum, Marco Michaeli comiti Abseri scribit, gravibus cum quaerellis se audivisse, quod cum Veneti cum suis lignis, blado et aliis mercationibus oneratis per partes illas transirent, tam de marchia quam de aliis partibus venientes, homines insulae Abseri cum barchis et lignis eorum armata manu intrantes in mare, more piratico praefata ligna caeperunt, ad propriam eorum insulam ea conducentes et de lignis bladum et alia abstulerunt, unde illi mandat, ut dictum frumentum et bladum acceptum Venetis debeat totaliter restituere, praeterea debet sex de bonis hominibus dictae terrae usque ad introitum futurae Quadragesimae ad ducis praesentiam destinare pro obediendis suis mandatis et pro solvenda poena mille librarum.

Ljubić: Mon. I. p. 111.

MCLXXXVI. *In* **Labod.** *1276. 20. Januarii.* Ladislaus IV. rex mandat Johanni bano totius Slavoniae, ut magistro Gerardo fisico suo restituat terram Tornova collatam ei ab avo suo rege Bela IV. et per ipsum regem confirmatam, sicut etiam ad petitionem regis id se facturum banus liberaliter promisit.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 180.

MCLXXXVII. **Chersii** *1276. 12. Februarii.* Praesentibus Marco Dodo socio Marci Michaelis comitis Abseri, Gabriele de Topertis notario dicti comitis, Benedicto Baldo de Venetiis et aliis, Androssius Cerne judex Abseri una cum consilio eiusdem, Janettus Simeon Petricha judex Kersii una cum suo consilio, Dragossius Jacobus judex Lubinicae una cum suo consilio, ordinaverunt atque fecerunt Marcum Michaelem comitem Abseri, Budissam condam vicecomitem, Zerne Andream condam zupan, Johannem condam Dragognae atque Piculum Joannem filium condam Andreae, suos legitimos sindicos et nuntios speciales coram Jacobo Contareno duce Venetiarum ad petendum comitem perpetualiter. Insuper tribuunt nuntiis suis plenam potentiam omnia necessaria faciendi in causis et litibus quas haberent occasione

frumenti accepti per Abserinos et Kersinos, in omni loco et coram quocumque judice. Filippus de Montasco imperialis notarius scripsit.

Ljubić: Mon. I. 211.

MCLXXXVIII. **Budae.** *1276. 25. Februarii.* Mathaeus magister tavarnicorum regis, comes posoniensis et de Barana significat, quod magister Hab cognatus eius et nuntius patris Thymothei episcopi Zagrab, nomine eius et capituli supplicasset ei, super facto collectae septem denariorum banalium ex parte populorum episcopi et capituli provenientium; quibus inspectis cessavit penitus ab exactione dictae collectae.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 181.

MCLXXXIX. *In* **Vasca.** *1276. 12. Martii.* Ladislaus IV. rex scribit identidem Johanni bano totius Slavoniae, si eius vitam vult et affectat ut per operis evidentiam ostendat, restituendo terram Tornava magistro Gerardo, non obstante alicuius suggestione vel contradictione, sicut regis vitam, teste deo ei caram praeservatam fore desiderat et integre conservatam, nam si secus fecerit, forte tempus esset et locus quod multis possessionibus hoc emendare non possit, nam nec quisquam melior medicus, quam fidus amicus. Nec consideret necessitatem castri, sed necessitatem regis, quam praeponat omnibus possessionibus, terris, auro et argento.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 182.

MCXC. **Laterani.** *1276. 4. Maii.* Innocentius V. papa ad petitionem Columbani episcopi Traguriensis infirmitate et senectute labefacti annuit ut officium et dignitatem suam deponere et loco eius alter successor eius elligi possit. In hunc vero elegit ipse papa Johannem praepositum de Glogovniza Zagrabiensis diocesis et canonicum Jerosolomitanum, mandatque clero Traguriensi ut eum reverenter suscipiat.

Farlati: Illir. sacr. T. IV. p. 357.

MCXCI. *1276. 7. Maii.* Capitulum Zagrabiense testificat peractam esse mutuam conventionem inter Mathaeum abbatem Toplicensem et Martinum filium comitis Hirink fine servandorum per nominatos arbitros specificatorum limitum inter posssssionem abbatialem Pouuetnia et comitis Jaruel.

Ex elencho privilegiorum episcopatus Zagrab. In archivo dioces. Zagrab. N. 106. vol. V.

MCXCII. **Venetiis.** *1276. 2. Junii.* Fuit capta pars in maiori consilio, quod cum in commissione comitis Ragusii contineatur, quod per totum tempus suum non possit exire de Ragusio, quod addatur, si ei casus occureret, quod possit ire ad parlamentum extra districtum Ragusii pro factis dictae terrae quociens casus eveniet, et stare si ei videbitur per octo dies.

Ljubić: Mon. I. p. 112.

MCXCIII. *1276. 20. Augusti.* Capitulum ecclesiae beati Irenaei declarat, quod Agatha relicta Laurentii filii Spank de Syrmia una cum filia sua Maria confessa sit, quod cum voluntate regia terram mariti sui Laurentii, Solomun vocatam, in comitatu Syrmiensi, tamquam sine haerede defuncti Regk curiali comiti Syrmiensi contulerit, et de quarta parte dotis filiae suae secundum

regni consuetudinem cum eodem comite pacificam ordinationem fecerit, scilicet in solutione octo marcarum argenti.
Cod. dipl. patrius. T. VI. p. 220.

MCXCIV. *In castro prope* **Cartaginem.** *1276. 18. Septembris.* Carolus I. Siciliae rex magistro Nicolao Bucceli Thesaurario mandat ut Nichodemum archidiaconum de Camlu (Kamluk — Kalnik) nuntium regis Hung. honorificet ac eidem providet de expensis necessariis conductis, equitatura ac de navigio secundum quod expediens fuerit.
Wenzel: Acta extera I. p. 46.

MCXCV. **Viterbii.** *1276. 15. Octobris.* Joannes XXI. papa ad conquestionem prioris et conventus ordinis Praedicatorum Jadrensis quod licet per litteras sedis apostolicae sit inhibitum, ut nullus ecclesias aut loca fratrum ord. Praed. ausu temerario praesumat infringere aut violentiam exercere ac statutum ut illi qui secus facereut, sententiam excommunicationis incurrant, a qua non possint absolvi nisi per sedem apostolicam. Marcus tamen et Michael comites, Miroslaus, Trazon et Buchze cives Nonenses cum nonnullis aliis sociis suis, ad locum quem dicti fratres et prior habebant in civitate Nonensi hostiliter accedentes, in quosdam ex dictis fratribus manus injicientes, partem loci eiusdem diruere, et bona fratrum rapere et asportare praesumpserunt. Mandat ergo archiepiscopo Jadrensi, quatenus comperta veritate praedictos sacrilegos excommunicatos publice pronuntiat.
Farlati: Illyr. sacr. T. V. p. 80.

MCXCVI. **Viterbii.** *1276. 3. Decembris.* Joannes XXI. papa insinuando fratribus suffraganeis ecclesiae Ragusinae quod vacante sede illius Salvium episcopum Tribuniensem ad sedem archiepiscopatus Ragusini transtulerit, qui fervida caritate cupit prosperum statum illius regionis unde originem produxit. Commemorat insimul papa quod translato priori archiepiscopo Aleardo ad Arbarensem ecclesiam. capitulum et canonici Ragusini Andream Gauzonem de Venetiis canonicum Paduanum de facto in archiepiscopum suum elegerunt, qui ad eandem ecclesiam accedens, personaliter nulla licentia habita, vel confirmatione obtenta a sede apostolica, in spiritualibus et temporalibus impudenter administravit ibidem, et tandem ex parte Gregorii quondam papae X. citatus, personaliter comparere postposuit, sed quemdam priorem ad ipsius papae praesentiam destinaverit, qui electioni et omni juri quod eidem canonico competebat ex ea, nomine ipsius sponte et expresse renuntiavit.
Ex bullario Ragusino p. 90.

MCXCVII. *1276.* Ottocarus rex Bohemiae perscribit Catarinae reginae Serviae filiae Stephani V. regis Hung. causas e quibus ad condictum pacis cum Ladislao rege ineundae gratia colloquium convenire nollit, enumeratque perfidias comitis Joachimi (filii Stephani bani), qui nec regi nec regno fidelis existit, cujus detestanda perfidia faciente, rex olim Stephanus, pater reginae, dum filium suum ab eodem Joachimo subreptum per investigationis festinantiam cuperet rehabere, ac etiam propter dolorem et inconsultae fatigationis onus falce crudelis fati extitit interemptus. Qui etiam A. juniorem regem Ungariae abduxit, et zizaniae lolium seminans inter fratres, per quod scissum

fuit regnum et deventum ad Martis certamina. Idem etiam praesentem regem suo regimini sic addixit, ut rex nil nisi iuxta ipsius Joachimi arbitrium audeat operari.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 315.

MCXCVIII. *1276.* Ladislaus IV. rex Mainhardum comitem Tyrolis, Clementiae filiae Rudolphi imperatoris, fratri suo Andreae duci Slavoniae desponsandae gratia, vices suas interponere petit.

Fejer: Cod. dipl. T. VII. vol. II. p. 44.

MCXCIX. *1276.* Ladislaus IV. rex notificat, quod considerans obsequia et fideles famulatus Enardi comitis, filii Enardi, quos patri ejus regi Stephano et ei ipso impenderat, remunerationis beneficio volens respondere, in compensationem servitiorum eiusdem Johanni pupillo suo, adhuc in aetate tenera constituto, hanc gratiam duxit faciendam, quod populi ipsius Johannis inter Zava et Baza (Bosut aut Bosna) existentes collectam victualium, quae vulgariter Zalusina dicitur, et marturinarum solvere debentes iuxta terrae morem et consvetudinem approbatam, a iurisdictione bani pro tempore constituti perpetuo expediti sint penitus et exempti. Datum per manus magistri Benedicti Strigoniensis ecclesiae electi, praepositi Budensis, aulae vicecancellarii. Existentibus i. c. Johanne archiepiscopo Spalatensi, Tymotheo Zagrab. episc., Petro palatino comite Supruniensi, Moys judice curiae comite Symigiensi, Thoma bano totius Slavoniae, Micud bano de Zeverino.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 339. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. pag. 173.

MCC. *1276.* Praepositus et capitulum Quinqueecclesiense testificant venditionem terrae Kurmuzov in comitatu de Barana, quam filii comitis Cleti a Hemerico filio Stephani bani de genere Chaak compararunt.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. IX. p. 163.

MCCI. *1276.* Judices et populus Traguriensis petunt a Benedicto Strigoniensi ecclesiae archiepiscopo patrocinium eius contra Joannem archiepiscopum Spalatensem, qui in causa inter ecclesiam Traguriensem et Sibenicensem quoad jurisdictionem episcopi Trag. iam dudum sopitam, suscitavit novas calumniosas et arduas questiones.

Farlati: Illir. sacr. T. IV. p. 357.

MCCII. *1277. 12. Februarii.* Capitulum Chasmensis ecclesiae significat, quod ab una parte Jacobus, Stephanus et Farcasius filii Drugan, Domald et Bold filii Bylek, Endrey et Domady filii Vulcedrug jobagiones castri de Garich, ex altera vero Ivan, Carachinus et Benedictus filii Morcun, personaliter constituti fassi sint, quod iidem filii Drugan et filii Bylek et filii Vulcodrug, filiis Morcun totam terram eorum in Garich existentem, vendidissent pro 20 marcis, cum uno molendino sito supra aquam Comoria, ac cum duabus vineis, sitis super terram Thomae filii Borivoy et vineam ecclesiae s. Martini et vineam jobagionis Blasii et locum unius molendini super aquam Cemernicha. Metarum autem terrae prima incipit, a terra filiorum Morcun, ubi aqua Cemernicha et Comoria coniuguntur iuxta terram Rolandi. Per varias metas eundo venit ad terram Georgii filii Bogdas, et cadit in aquam Chasma

et pervenit ad terram Emerici filii Wulcheta, et exit de aqua Chasma ad rivulum Pleterna et terminatur in prima.

Ex collectione Thadaei Ferić.

MCCIII. *1277. 27. Februarii.* Ladislaus IV. rex notum facit, quod cum Wlk (filius Dobrolich) jobagio castri Zagrab. decessisset sine liberis, terram contiguam terris capituli Zagrab. de s. Petro in Casna, Tymotheo episcopo pro eius eximiis servitiis et capitulo contulit. Datum per manus magistri Demetrii praepositi Albensis, domini papae capellani et subdiaconi et aulae vicecancellarii.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 182.

MCCIV. *1277. 3. Martii.* Ladislaus IV. rex confirmat ad petitionem Tymothaei episcopi Zagrab. privilegia collata ei et ecclesiae a praedecessoribus suis regibus Hungariae et Croatiae.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 163.

MCCV. Crisii. *1277. 6. Martii.* Elias comes Crisiensis significat, quod Mathaeus, filius Pezk comitis, a parte una et Tolila, Godezlav, Woyn, Pezk Wlkina filii Zlobk, Wlkman, Drask filii Chornk, Grobina, Ratk filii Vissebor et Paulus filius Marelk jobagiones castri Crisiensis de Polana ab altera parte; iidem Tolila, Godezlav et alii supradicti totam porcionem terrae cum silva, quam in duello a Gordoba, Benchech, Zmorta, Ivano et cognatis eorum sub nomine haereditariae communiter optinuerunt pro septem marcis; item Grobina et Ratk totam terram ipsorum cum silva eorum Dobouch similiter pro septem marcis, praeterea Wlkman, Drask et Paulus filius Marelk particulam terrae suae pro duabus marcis denariorum Zagrabiensium, confessi sunt se vendidisse eidem Mattheo perenniter. Terrarum metae distinguntur per varias arbores, deinde in magno spatio venit ad viam quae tendit de Polyana versus domum Tolika dicti. Iterum per varias metas arboreas et terreas venit ad nemus Znos vocatum, et inde ad silvam Dobouch et ad fossam Ark, cadit in fluvium Glogoncha et ad litus eiusdem prope molendinum Petri filii Prehe et venit ad magnam viam quae tendit de Polana versus Crisium, et superius ad montem Zapoch et ad terram ecclesiae s. Georgii ad Laurentium comitem spectantis, deinde ad primam metam.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex regni archivo Pestinum ablatis. N. R. A. Fasc. 25. N. 60.

MCCVI. *1277. 8. Martii.* Ladislaus IV. rex notum facit, quod cum terram Wlk, filii Dobrolych jobagionis castri Zagrab. decedentis sine liberis, contiguam terris capituli Zagrab. de s. Petro Casna vocatis, ob fidelia servitia Tymothei episcopi Zagrab. contulerit eidem et capitulo Zagrab. constituit pro reambulatione, statutione et assignatione terrae sub testimonio praeceptoris s. Martini prope Zagrabiam magistrum Martinum aulae regis notarium, qui coram homine Joachimi bani totius Slavoniae eandem terram episcopo et capitulo sub testimonio fratris Benueniud praeceptoris domus templi de sancto Martino statuit et assignavit, deputatis ad hoc Manfredo archidiacono de Guerche, Dominico decano, et Stephano ac Gregorio canonicis Zagrab. Metarum autem terrae (Blagusa) incipit a fluvio Casna et progreditur in quadam

fossata versus orientem, ascendit ad verticem montis, venit ad viam, quae est in cacumine montis, ad duas metas distinguentes terram capituli de Casna et Wydchech filii Martini jobagionis castri zagrab. Per viam itur ad septemtrionem et venit ad pedem alterius montis, ubi divertens ab illa via magna venit ad antiquas metas. Deinde veniens in saepedicta via in verticem montis ubi est terra rubea. In eadem via per eandem rubeam terram venit ad foveam palustrem, et procedendo per viam ad septemtrionem incipiunt metae separare terram Potela filii Borch. Deinde descendit ad rivulum Casna iuxta alveum rivuli qui vocatur Zopath in quo rivulo descendens ascendit ad fontem, qui est prope viam, incipiens habere a septemtrione commetaneam terram Cruciferorum s. Sepulchri de s. Georgio. Deinde per varias metas et per secundum et tertium ramum rivuli Casna ad terram filiorum Mladochuet, et exit de ipso fluvio ad unam stratam versus villam Casna eundo revertitur ad primam metam.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 183.

MCCVII. *1277. 17. Martii.* Capitulum Chasmensis ecclesiae attestatur, quod Tolila et Godezlav filiis Martini, Wlkmano ed Drask filiis Chornk, Woyn, Pezk et Wlkyna filiis Zlobk, Ratk filio Wisebor, pro se et Grobyna fratre sua ac Paulo filio Marelk jobagionibus castri Crisiensis a parte una et Matheo filio Pezk comitis ex altera coram eo constitutis, iidem Tolila, Godezlav ac ceteri pro parte eorum, portionem terrae eorum in Polona cum omnibus pertinentiis, quondam a Gordoba, Gordon, Benchech, Zmorta, Iwano, et cognatis eorum in examine duelli et area certaminis (sicut in privilegio Elyae comitis Crisiensis continetur), aquisitam, pro septem marcis. Item Ratk et Grobyna frater ejus, qui partem suam in Polona cum silva Dobowch similiter pro septem marcis; item Wlkona, Drask et Paulus particulam suam pro duabus marcis vendidissent eidem Matheo. Metarum autem terrae predictae incipit prima a parte orientis in arbore cerasi crucesignata, item per varias metas arboreas ad viam quae tendit de Polona versus domum praedicti Tolila; item per varias metas ad dumum Monorou. Inde ad lacum Machala, inde ad nemus Znos vocatum. Penes domum Polila venit ad fossatum Ark vulgariter dictum et cadit in fluvium Glogoncha et in littore ipsius prope molendinum Petri filii Prelse et venit ad magnam viam quae tendit de Polona versus Crisium et super pontem Zopoth ad terram sancti Georgii ad comitem Laurentium et per varias metas ab ecclesia s. Georgii versus Polonam.

Orig. perg. in mea collectione.

MCCVIII. *In* **Oronos**. *1277. 21. Martii.* Ladislaus IV. rex attendens plurima servitia Timothaei episcopi Zagrabiensis, confert ei castrum regium de Garig, quod a tempore coronationis regis conservationi eiusdem episcopi commiserat, cuius conservationis onus, sumptus et labores idem episcopus de propriis bonis supportavit.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 185.

MCCIX. *1277. 22. Martii.* Ladislaus IV. rex manifestat, quod Timotheus episcopus Zagrabiensis terras quas a comite Ruh comparaverat in comitatu de Bersenche ob reverentiam s. Spiritus donavit ecclesiae Chasmensi ad communem mensam fratrum ibi residentium, petens regem ut ipsam donationem

ratam haberet et a jurisdictione comitum de Bersenche et banorum regni Slavoniae, uti et a collectis septem denariorum, marturinarum et denariorum descensualium et censuum ac cuiuslibet generis collectarum eximere dignaretur.

Ex transumpto Ludovici regis de anno 1352 in archivo capituli Chasmensis.

MCCX. *1277. 25. Martii.* Capitulum Chasmensis ecclesiae memoriae commendat, quod Blasio filio Jurk pro se et Dursivoy, Gregorio et Gursa fratribus absentibus ab una parte, ab altera autem Paulus filius Zebesk constitutis, idem Blasius de terra in Polichna, ad ipsos pro concambio terrae eorum apud Zentgurg existentis ex parte Benedicti filii Gregorii fratris dicti Gurk devoluta, particulam terrae unius aratri cum duobus molendinis in aqua Cheresneycha et aqua Mosonycha confessus sit se vendidisse eisdem Paulo pro quinque marcis. Astitit etiam Wlkoy pro se et pro Crisan fratre suo. Meta terrae incipit iuxta terram dicti Wlkoy in fluvio Polichna, inde pertransiens aquam Mosonycha cadit in aquam Cheresneycha.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 186.

MCCXI. *1277. 31. Martii.* Capitulum Chasmensis ecclesiae notum facit, quod Syrbok cum duobus filiis suis Beley et Andrea, Chernoglav filius Neterni, Petrus filius Endrey, Marcus cum Netenich filio suo, Petrus et Luka filii Wlchnik, Veche filius Wlchich et Thomas filius Thomae nobiles de Chesminch vendidissent quasdam particulas terrae eorum in Othna comiti Benedicto filio Jacobi pro 34 marcis. Quarum prima meta incipit iuxta fluvium Vinzca-znoz deinde terra Orbava, inde ad caput eiusdem fluvii, inde per metas varias ad caput putei Vether et per rivulum ipsius putei exit ad fluvium Kemnek, et currit in magno spatio ad aquam Chasma ubi terminatur.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. 209.

MCCXII. **Zagrabiae.** *1277. 10. Aprilis.* Comes Ivan filius Irozlay memoriae commendat, quod pro remissione peccatorum suorum, hanc collationem duxit faciendam, quod monachis de ord. fratrum Cisterciensium de abbatia s. Jacobi de insula Zawa iuxta Zagrabiam dedisset ecclesiam s. Elenae de Zamobor et terram circa eandem ad usum duorum aratrorum, unum molendinum situm in fluvio Zamobor, unum fundum curiae in villa Zamobor, et tres vineas in loco praenotato. Praeterea in Brezoycha capellam suam et terram ad duo aratra in fine terrae suae in Brezoycha existentem, ac unam vineam in Chucherie; praeterea si creator omnem statum regni in melius reformaverit, et ei dederit vitam longiorem obligat se in loco capellae suae de Brezouicha monasterium propriis laboribus suis condere, ita quod perfecto opere monasterii inibi esse debeat per se locus abbatiae.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 187.

MCCXIII. **Zagrabiae.** *1277. 13. Aprilis.* Capitulum eccles. Zagrab. significat quod Zlawogosth filius Tolen, Zlauech filius Pribizlay, Wulkouoy filius Murge, Obrad et Gorivolk frater suus, Georgius filius Voyhnae, Blasius filius Druzinae, Achibil filius Georgii, Nicolaus, Zlauch et Stanech filii Drugan, Dimine filius Tolk et Pribizlaus filius Hink ab una parte, Perchinus vero comes trium Camporum ab altera, personaliter constituti, confessi sunt idem Zlau-

gozth cum sociis suis nobilibus de Brochina: omnes terras suas in Brochina, de Gradech, ex utraque parte fluvii, tam in planis quam montibus etc. ipsi comiti Perchino pro quadraginta marcis, ex permissione omnium cognatorum suorum in Brochina existentium, vendidissent in perpetuum.

Orig. membr. in actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis N. R. A. Fasc. 1532. N. 32.

MCCXIV. *1277. 8. Maii.* Capitulum ecclesiae Chasmensis notificat, quod Woynch filius Zapachk confessus sit se vendidisse Jacob et Bartholomaeo filiis Stepk et fratribus eorum, terram suam Tymenicha in comitatu de Garigh existentem cum omnibus pertinentiis pro tredecim marcis. Cujus terrae meta incipit a terra Stephani filii Stephani, inde terra filiorum Berizlay, inde per varias metas arboreas ad fluvium Timenicha, superius terra Thobiae filii Bodizlai et fratrum Andreae filiorum Gungys, inde ad rivulum Palouinazta, ad terram comitis Alberti, et per varias metas ad primam.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. p. 212.

MCCXV. **Tragurii.** *1277. 23. Junii.* Cum per Joannem praepositum de Glogoncza et Petrum comitem insularum Pharae et Brazae esset inter communitatem Spalatensem et Traguriensem hinc per totum mensem Julii treuga composita, secundum formam articulorum inferius denotatorum, petentibus ipsis a judicibus et civibus Tragurii ipsam treugam sacramento et publico instrumento firmari. Domini vero Valentinus Casarizza et Dessa Amblasii consules civ. Trag. et comes Marinus Amblasii et universa communitas Trag. in consilio generali, ob reverentiam et honorem d. regis Karuli et honorem praedictorum praepositi et comitis Petri ipsam treugam praestito juramento et omnia praedicta in hunc modum acceptarunt; scilicet quod homines utriusque civitatis per terram et per mare libere vadant salvi in personis et rebus; excepto quod ingressu civitatum non utantur, et nullatenus civitatibus adproximent sed in pontibus civitatum conveniant. Exterius ubicumque vadant libere sine faciendo aliquod damnum vel injuriam, absque reputatione pacis sub poena duarum millium marcarum fini argenti. Quarum medietatem habebit Ladislaus rex Ung. aliam vero damnum aut iniuriam patiens. Quae observare firmiter obligavit se tota communitas Tragurii cum judicibus et consilio .Insuper si Sibenzani praedicta omnia facere voluerint et observare, commune Tragurii et consules et consilium juraverunt etiam ipsis servare pacem. Actum praesentibus Cernocta Amblasii, Nicola Cosizae, Dessa Petri Lucae testibus, et Dessa Duymi examinatore.

Lucius: Mem. di Trau. p. 97.

MCCXVI. **Spalati.** *1277. 30. Junii.* Temporibus Jacobi Contareni, ducis Venetiarum et magistri Laurentii Jadrensis archiepiscopi et Jacobi Teupoli comitis ad honorem et reverentiam Ladislai regis Ungariae et bonum, pacicumque statum civitatum Spalati et Tragurii, Georgius de Breberio comes Breberiensis et Sybenici, Preste de Cotopagna atque Domaldus de Zadolinis cives Jadrae, judices arbitri, arbitratores, concordatores, laudatores, sententiatores et amicabiles compositores inter Joannem archiepiscopum Spalatensem, capitulum, monasteria, ecclesias et virum nobilem Vitum de Cerna potestatem et Gauzegnam Duxizae, Marinum Bonazuntam, et Privoslaum Do-

bralis judices, consilium, commune et speciales personas civitatis Spalati ex una parte. Ut patet per publicum Instrumentum completum manu Francisci Anconitani notarii civit. Spalat. 12. Maii 1277. sicut in eo plenius legitur; et nobiles viros d. Mladinum comitem Breberiensem et potestatem Tragurii et d. Stane de Varicassis, capitaneum civitatis eiusdem et consilium, monasteria, ecclesias, homines atque commune et speciales personas dictae civitatis Tragurii ex parte altera, uti patet ex publico instrumento confecto manu Francisci Benvenuti de Cingoli Trag. notarii de 11. Maii 1277. super ordinanda pace inter Tragurium et Spalatum, de guerra que fuerat inter easdem civitates post Tartarorum adventum usque in praesens tempus. Inprimis lata est sententia per arbitros: ut Tragurienses cunctas possessiones archiepiscopatus Spalatensis quas tenent a Columna, quae pro meta antiquitus sita erat, infra versus Tragurium et quae possessiones per commune Spalatense datae fuerant communi Traguriensi tempore prioris guerrae, habitae post Tartarorum adventum, eisdem archiepiscopatui et communitati Spalatensi illico restituere debeant. Possessiones autem specialium hominum Spalati quae datae fuerant dicto tempore ipsis Tragurinis, permanere debent Traguriensibus, exceptis possessionibus ecclesiasticis et sub columna villae Dedigiorum, Ostrogh nuncupatae, ac insula s. Stephani. Et titulo maioris complexi terrarum obtentarum solvent Tragurienses Spalatensibus tria milia librarum Veneticorum parvorum. Villa autem Ostrogh cum omnibus suis pertinentiis per civitatem Traguriensem totaliter relinquatur omnibus commorantibus Spalati vel Tragurii illis, qui vulgariter lingua slavonica Dedigi appellantur, qui etiam antiquitus, tempore prioris guerrae tenuerunt et possederunt eandem villam. Praeterea insula s. Stephani adiudicatur Spalatensibus. De ecclesia vero s. Petri de Clobuchaz cum pertinentiis et terra Bristicz relinquitur ius decidendi regiae maiestati. Omnes possessiones in guerra acceptae, ablatae, aut venditae vicissim restituantur. Super possessiones terras et villas in hoc tractatu nominatas, partes nullam novam donationem aut privilegia a rege, vel bano Slavoniae seu Maritimo impetrari audeant. Omnibus litibus motis tempore guerrarum viceversa finis imponitur. Deinceps nullo unquam tempore civitas Spal. vel Trag. aliquem ex concivibus, vel Tragurienses comitem Stepconem de Zettina vel Volcestam quondam d. Vulcignae filium qui in auxilium steterunt Spalatensibus, vel Spalatenses jupanum Sleoc et Steredem, qui steterunt penes Tragurienses, infestare aut molestare valeant. Instar prestaldi, judices arbitratores introducent ipsi partes in suas possessiones. — Actum apud Spalatum in domo Praedicatorum conventus civ. Spalat. Testibus fratre Dominico subpriore, fr. Jessae lectore, fr. Leonardo, fr. Michaele guardiano. Nobilibus viris Cernae de Dunae et Michaele Martinus civibus Jadrensibus. Vicentius s. Mariae maioris clericus et Jadrensis notarius scripsit.

Lucius: Mem. di Trau, p. 101.

MCCXVII. **Viennae.** *1277. 13. Julii.* Lodomerius Varadiensis, Timothaeus Zagrabiensis episcopi, Rolandus banus, Aladarius magister dapiferorum reginae et comes de Neograd, Demetrius Albensis aulae regiae vicecancellarius, et Johannes Budensis praepositus significant, quod in praesentia Rudolphi imperatoris fecissent tractatum foederis cum Ladislao rege, in quo etiam sponsalia inter Andream ducem totius Slavoniae et Croatiae, fratrem ipsius regis et

filiam imperatoris Clementiam contracta fuissent, accepto per praenominatos nuncios corporali sacramento a primogenito filio imperatoris a principibus, baronibus et consangvineis eius.

Fejer: Cod. dipl. P. V. vol. II. p. 388.

MCCXVIII. *1277. 15. Julii.* Ladislaus IV. rex consideratis servitiis fidelium comitis Pousae et magistri Gvechae fratris sui, quae ei in aetate tenera constituto in diversis expedicionibus omni cum fidelitate impendissent tempore discriminis variantibus et disturbantibus baronibus regni, propter quod universi populi ipsorum in regno Slavoniae constituti per continuos insultus et bella intestina baronum inter se dimicantium destructi fuerant penitus et dispersi; volens eos regio prosequi favore, eosdem Pousam et Guecham ac universos populos ipsorum in Crisiensi et Simigiensi comitatibus videlicet ultra Dravam in Vrbanana et Chanaburda et in Rathina existentes, a iudicio et iurisdictione comitis Crisiensis et Simigiensis perpetuo duxit eximendos, reservando eos duntaxat iudicio bani totius Slavoniae.

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. VII. vol. 5. p. 593.

MCCXIX. *1277. 19. Octobris.* Capitulum ecclesiae Chasmensis notum facit, quod comes Syrbok fassus sit se vendidisse comiti Benedicto filio Jacobi portionem terrae suae inter terram Myrse filii Descov et inter fluvium Dobrolech exitentem pro triginta marcis. Cujus terrae meta incipit in loco ubi fluvius Dobrolech cadit in aquam Chasma, inde per varias metas arboreas et terreas cadit in aqusm Wrbovnychka et venit inferius ad insulam et cadit iterum in aquam Chasma.

In archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. T. XII. p. 210.

MCCXX. **Zagrabiae.** *1277. 7. Novembris.* Henricus banus totius Slavoniae mandat omnibus regni collectoribus, cum dominus Ladislaus rex comitatum de Gersenche cum cunctis marturinis, septem denariorum, Zalusinis et aliis redditibus eiusdem Timotheo episcopo Zagrabiensi perpetualiter duxerit conferendum, quatenus de huiusmodi collectis se nullomodo intromittere praesumant.

Farlati: Illyr. sacr. T. V. p. 378.

MCCXXI. *1277.* Ladislaus IV. rex, attendens multiplicia servitia Timothaei episcopi Zagrab. confert ei et per eum episcopatui Zagrabiensi comitatum de Guersentze cum collecta marturinarum et septem denariorum possidendum in perpetuum cum immunitate a judicio bani Slavoniae et exemtione a cuiuslibet generis collectione secundum libertatem aliorum populorum episcopatus Zagrabiensis. Datum per manus magistri Demetri praepositi Albensis aulae vicecancellarii.

Tkalčić: Mon. hist. I. p. 190.

MCCXXII. *1277.* Ladislaus IV. rex notificat, quod Thymotheus episcopus Zagrab. postulasset, ut Zagrabiensem eccles. tam in capite quam in membris, in possessionibus, tributis, judiciis et juribus eo privilegio uti faceret, quo tempore praedecessorum ejus utebatur. Maxime terram s. Martini prope

Waskam iuxta Drawam, quae est inter Ungariam et Schlavoniam, quae privilegia ipse rex confirmat.

Tkalčić: Mon. hist. I. p. 184.

MCCXXIII. *1277.* Ladislaus IV. rex notificat, quod cum magister Gerardus fisicus regis, universas possessiones suas et suum patrimonium ad regalem confisus providentiam pro Bela avo, et Stephano patre reliquisset, et eosdem in bona sospitate conservasset, ac demum circa ipsius regis praeservationem et curam cum omni fervore fidelitatis periciam suae artis exhibuisset, quocirca eidem terram castri Zagr. Tornova contulit, et ipsum etiam in corporalem posesionem dictae terrae, consilio et concensu Iohachyni bani totius Slavoniae per magistrum Manfredum hominem regium sub testimonio cap. Zagr. fecit introduci. Cujus terrae meta incipit a parte meridionali a quadam arbore ylicis, et protendit per quendam rivulum versus ecclesiam sitam in honore virginis gloriosae et per varias metas arboreas venit ad magnam viam et per alteram viam ad aquam Blizyna, per quam venit ad quandam viam per quam ascendit supra in montem, et descedens pervenit ad primam.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 188.

MCCXXIV. *1277.* Elisabetha regina notificat, quod consideratis meritis et servitiis magistri Aladarii filii Cheche, quae a primaevis pueritae suae annis domino Belae socero suo et postmodum Stephano consorti suo exhibuisset, terram Aryauicham in comitatu de Posaga, quam Petrus filius Cheleus de donatione regia tenebat, sed sine haerede decedens ad manus regias devoluta est, que ipsi Aladario primo per socrum, reginae Mariam reginam ex consensu regis Belae, donata et per Regem Ladislaum erepta fuerat, de novo donat, possidendam ea consvetudine et libertate quibus aliorum nobilium de Posoga de genere quondan Borych bani possessiones possidentur.

Orig. membr. in actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 1532. N. 35.

MCCXXV. *1277.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis significat, quod comes Gardun filius Gardun cum fratre Wlkozlao ab una parte, et Georgius filius Branich cum Mark, Fyle, Selk, Ete, Prohan et Pous fratribus tale concambium inter se inivissent, videlicet quod Georgius et fratres sui terram ipsorum in capite Lona existentem, cum castro in eadem terra et omnibus pertinentiis contulissent comiti Gardun et eius fratri Wlkozlao iure perpetuo, hi autem duo fratres de consensu proximorum suorum dederunt tres villas ipsorum Vztricha, Prisnicha et Bisicha praedictis Georgio et fratribus, et quia possessio istorum maior erat, superaddiderunt Gardun et fratres ejus adhuc triginta marcas denariorum banalium.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. IX. 183.

MCCXXVI. *1277.* Conventus monasterii s. Egidii de Symigio declarat, quomodo comes Johannes filius Iseph ab una parte cum Zenke filio Bed, Joanka filio Kupren, Nicolao filio Tyze, Benke filio Emerici, Petro filio Pyntek,

Nyged filio Marci castrensibus coram Antaleo filio Wytalus de Maah homine Gregorii bani et comitis Simigiensis convenerint de villa Mogorey.
Wenzel: Cod. dipl. Arpad. IX. p. 184.

MCCXXVII. *1277.* Hermanus magister et conventus domus hospitalis s. Stephani regis de Strigonio testificant, quod populi de villa Cholnuk universaliter convenissent, quod magistro Paulo aulae regiae notario pro interfectione ejus fratris comitis Petri et parvuli cognati ejus velint solvere 58 marcas in denariis, dando decem pensas viennenses pro qualibet marca, aut quinque pensas denariorum banalium ita tamen, quod medietatem solutionis denariorum deberent facere in denariis banalibus, medietatem vero in wiennensibus.
Wenzel: Cod. dipl. Arpad. IX. p. 187.

MCCXXVIII. *1277.* Petrus filius Rudolphi, terram suam Petyn in terra Brochina existentem cum omnibus pertinentiis, Perchino comiti pro 21. marcis coram Henrico bano totius Slavoniae perennaliter vendit.
Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 425.

MCCXXIX. **Budae.** *1278. 3. Januarii.* Ladislaus IV. rex cupiens fideles cives de monte Grecensi in suis antiquis libertatibus conservare, duxit eis ex speciali gratia concedendum, quod banus Slavoniae ad praesens constitutus et eiusdem successores super ipsos cives descensus non possint facere aliqualem.
Tkalčić: Mon. civit. Zagr. I. Doc. 64.

MCCXXX. *1278. 28. Januarii.* Capitulum ecclesiae Chasmensis significat, quod Bogdozlav et Pousa filii Zovani confessi sunt terram eorum haereditariam in Garig inter terras Jacobi filii Stepko et fratrum suorum Alexii filii Zouk, Bogdani filii Stoiko et Stephani filii Stephani existentem, se vendidisse eidem Jacobo filio Stepko iobagioni castri de Garig pro decem marcis. Cuius terrae meta incipit in capite unius siccae vallis, inde vadit in caput vallis Ztermech inde in rivo ad unum puteum et per varias metas ad fluvium Divich, superius exit ad vallem Kasnidol, inde in magno spatio ad viam super qua itur ad locum fori de Garig, inde ad terras Bogdani et Chernel, deinde declinat ad caput fluvii Graduch, ibique est mons seu berch Gradech et cadit in fluvium Medveganuga et per silvas bik ad metam priorem.
Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. p. 241.

MCCXXXI. *In* **Patobo.** *1278. 9. Martii.* Giula comes iudex curiae regis significat, quod Mathias comes et magister Ratoldus filii Rolandi bani fratris dicti Giulae confessi sint possessionem ipsorum Arauicha in Pasaga constitutam, matri ipsorum relictae Rolandi bani dimisisse perpetuo possidendam.

Orig. membr. in actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 1503. N. 17.

MCCXXXII. **Venetiis.** *1278. Mense Martio.* Judices delegati communis Venetiarum ferunt judicium contra derobatores Graecos, Palaelogum Joannem Delocavo, Saladinum et socios damnificatis Georgio Ragusaeo, Dessa Michaelis de Zadra, Theodoro filio ipsius Dessae et Fumato ejus cognato, item Leonardo fratri suo, item Domaldo patrono unius medietatis ligni, item Jacobo et Stephano Andrae Ormintendae perderiis dicti ligni, item Boneino Pisano

de Jadra, item Salvo filio magistri Marcolae, item Radoano Zorgi de Vegla, item Micha de Gronco, item Petro de Bona de Jadra, item Liae de Laveniza civi Ragusaeo, nauclero, item Pasquae de Dragogna de Ragusio marinario, item Gregorio filio Johannis de Cazainpino de Ragusio marinario et pluribus marinariis, item Gervasio Buzignoli de Ragusio, Martino Vezario de Jadra etc.

Ljubić: Mon. I. p. 113.

MCCXXXIII. **Venetiis.** *1278. 1. Aprilis.* Capta fuit pars in maiori consilio, quod insula Farae cum aliis insulis quae pertinent ad episcopatum Farrae recipiatur cum conditionibus datis et dictis per eorum episcopum.

Ljubić: Mon. I. 115.

MCCXXXIV. **Venetiis.** *1275. 3. Aprilis.* Praesentibus nobilibus viris Marino Valaresso, Andrea Geno et Armorao Justo, tunc consiliariis d. ducis, Marco de Mugla et Bartholomaeo Capello et aliis, in capite salae, Ven. pater S. Farensis episcopus ex commissione hominum insulae Farrae submisit ac subposuit ipsam insulam et alias sui episcopatus et personas et havere hominum dominio Jacobi Contareni ducis Venetiarum et communis Venetiarum eo modo, quod subpositi sunt alii sui fideles de Dalmatia, cum obligatione dandi salarium potestati seu rectori in libris mille venecialium parvorum annuatim, et quod aedificabunt civitatem quae aliis temporibus fuit apud sanctam Mariam de Lesna pro habitatione hominum insularum ipsarum.

Ljubić: Mon I. p. 115.

MCCXXXV. **Budae.** *1278. 16. Aprilis.* Ladislaus IV. rex considerans fidelitatem et merita Stephani filii condam Haholt regni Slavoniae bani, quae diversis temporibus, tum etiam gravibus et necessariis legationibus cum in bellicosis expeditionum generibus exhibuisset, in signum compensationis alicuius confert ei diruta castra Lindoa et Nempthy iuxta fluvium Kereka et oppida et possessiones in Saladiensi, Simigiensi et Crisiensi comitatibus existentes.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 430.

MCCXXXVI. **Dubicae.** *1278. 20. Aprilis.* Stephanus banus filius Stephani comitis cum suis cognatis ab una parte et Joannes banus cum suis ab altera parte faciunt pacem et concordiam invicem, quam Carolus rex Jerusalem et Siciliae ratam habet.

Orig. in archivo comitem Frangepani in castello Porpetto. N. 5.

MCCXXXVII. *1278. 24. Aprilis.* Conventus s. Adriani de insula Zala Stephanum regni Slavoniae banum, filium condam Haholt, in possessionem castrorum Lendva et Nemphthy jussu regis Ladislai per fratrem Blasium Cruciferum statutum fuisse testatur, nullo contradictore apparente.

Fejer: Codex dipl. T. V. vol. II. p. 478.

MCCXXXVIII. **Crisii.** *1277. 24. Aprilis.* Elias comes Crisiensis memoriae commendat, quod Grobina et Ratk, filii Visebor, jobagiones castri crisiensis de Polona duas parcellas suarum terrarum Matheo filio Pezk comitis vendiderint in perpetuum.

Autographum pergam. in bibliotheca accademia Slav. merid.

MCCXXXIX *1278. 9. Maii.* Nicolaus banus totius Slavoniae significat, quod cum feria tertia proxima ante ascensionem Domini congregationem regni Slavoniae, Zagrabiae habuisset generalem, universi jobagiones castri Zagrab. in communi concilio praedicto conditiones libertatum ipsorum antiquarum exposuissent sub hac forma: Quod persolutis commutationibus descensuum nec viceiudex bani aut curialis comes eiusdem descensum facerent, eo facto a debito commutationis descensus iidem jobagiones castri essent expediti, si vero descensum non facerent extunc semel in anno scilicet circa festum scti. Martini ratione eiusdem descensus comiti decem et octo pensas dare tenerentur, eo quod nec judex bani nec curialis comes ipsius in eundo versus Gozd vel redeundo, descensum facere possent inter ipsos, vel familia eorundem aut bani. Item quantum in habita compositione adversae parti darent, tantumdem judici dare tenerentur. Nec aliquis possessionatus ratione alicuius debiti deberet captivari. Si quis vero ex ipsis contumacia ductus, usque septimum terminum juri parere negligeret, poenam eiusdem terrestris comes judicio bani recipere teneretur et receptam ipsi comiti bani assignare. Nec aliquis inter ipsos terrestris comes esse potest nisi de communi consensu eorundem, et evoluto termino anni terrestrem comitatum renovandi haberent facultatem. Nullus etiam collectorum jobagiones dicandi habet optionem. Nec ratione exercitus iudiciorum ipsos potest banus aggravare, nisi eadem collecta emergeretur per regnum Slavoniae. Curialis comes Zagrabiensis nullo unquam tempore potest descensum facere super eos. Banus auditis libertatibus supradictis, volens plenius certificari de eisdem universos nobiles regni, quorum multitudo aderat copiosa requisivit, qui unanimiter retulerunt, quod iidem jobagiones castri, a tempore cuius non extat memoria, in libertatibus praedictis remansissent. Unde banus easdem libertates roboravit.

Ex litteris confirmationalibus Ladislai regis de anno 1279. Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 498.

MCCXL. **Kedhida.** *1278. 27. Maii.* Andreas (Venetus) dux totius Slavoniae, Dalmatiae et Croatiae notificat, quod cum per capitulum Vesprimiensis ecclesiae vehemens eiusdem destructio relata fuisset, compatiens illi hanc gratiam ipsi ecclesiae ductus baronum consilio duxit faciendam, quod universi populi dictae ecclesiae in ambitu comitatus Simigiensis, Vesprimiensis et Zaladiensis constituti ab omni jurisdictione et judicio comitum seu curialium comitum dictorum comitatuum sint prorsus exempti.

Fejer. Cod. dipl. Hung T. V. vol. II. p. 471.

MCCXLI. *1278. 6. Junii.* Capitulum ecclesiae Chasmensis notum facit, quod Egidius filius Ragnin et Dominicus filius Iwan confessi sunt: comiti Odouich filio Gurgus et ejus fratri Eliae se vendidisse vineam suam super terra Guinzyna filii Wecherni, quam idem a Mark filio Iwan comparaverat pro tribus marcis. Item aliam vineam iuxta Zaposchicha super terra dicti Guenzina constitutam pro una marca.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. 232.

MCCXLII. *In* **Chenad.** *1278. 9. Junii.* Ladislaus IV. rex recipit sub fide aliquorum praelatorum et procerum, praestito prius juramento, in specialem gratiam Stephanum banum filium Stephani bani, conferendo eidem judicatum

curiae et comitatum Musuniensem cum plenitudine gratiae suae. Ordinat insuper ei mille marcas pro stipendio annuali. Omnes quoque possessiones eius tam haereditarias quam emptitias, et eas, quas ex collationc regia Joachimus frater eiusdem tenuit et possedit, specialiter Hozolo, Michad, Hotron, Sepsoe et Borsoud vocatas, eidem Stephano bano restituit. Promittens ei sub fide sua regia coram domina Elisabeth sorore sua, ac sub fide archiepiscopi Colocensis, episcoporum ac banorum specifice nominatorum, quod hanc ordinationem non retractabit, nisi damnabiles excessus commiserit, pro quibus barones et nobiles honoribus spoliari debeant et privari.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 447.

MCCXLIII. **Kosko.** *1278. 12. Junii.* Joannes magister tavernicorum Andreae ducis totius Slavoniae et comes Zaladiensis commendat memoriae, quod capitulum ecclesiae Vesprimiensis per suos speciales procuratores exhibuit privilegium Andreae ducis totius Slavoniae, Dalmatiae atque Croatiae in quo idem dux calamitatibus et pressurae ecclesiae Wesprimiensis compatiens, eandem ecclesiam reformare salubriter cupiens, inter caetera libertatis praerogativa sublimavit, quod praefatae ecclesiae populi universi in comitatu Zaladiensi in praesentia comitum seu curialium Zaladiensium super nullis articulis adstare amodo teneantur, dans firmiter in mandatis ut populi dictae ecclesiae nullatenus molestentur, nec per comites nec judices aut alios officiales.

Fejer: Cod. dipl. V. vol. II. p. 472.

MCCXLIV. *1278. 24. Junii.* Capitulum Chasmensis ecclesiae notum facit, quod Iwan filius Berizlay confessus sit: magistro Blasio, servienti comitis Elyae Saxonis vice et nomine eiusdem domini sui, vendidisse portionem terrae suae Polichna ex permissione et beneplacito Martini et Dominici fratrum suorum, pro una marca. Metae terrae sunt fluvius Blanicha, in occidente magna via, fluvius Charnareka, inferius terra magistri Moys, deinde rivus Dobovech, fluvius Jawarowa, terra filiorum Gverden et variae metae terreae et arboreae.

Ex archivo camerali Budensi. Cod. dipl. Arpad. XII. p. 237.

MCCXLV. *1278. 1. Augusti.* Capitulum eccl. Chasmensis notificat, quod Urbanus, Benedictus sacerdos, et Isep filii Bogdani terram eorum in Pribenesech contiguam terrae comitis Roh, item sextam partem silvae aquosae confessi sunt se vendidisse comiti Ruh pro se et Stephano, Jacobo et Benedicto fratribus suis pro sex marcis. Cujus metae fuerunt inter caeteras arboreas terra Thomae filii Ezae, fluvius Pribenesech, fluvius Koledyn, terra Pouka filii Bethlen, unus Chereth ex terra Blasii filii Demetri.

Cod. dip. patrius VII. p. 168. Ex actis comitum Erdődy Galgozam ablatis.

MCCXLVI. **Melfie.** *1278. 23. Septembris.* Carolus I. rex Siciliae, Justiciario Capitanate jubet, ut navim quam in portu Manfredoniae detinet, libere permittat discedere Tragurium.

Rački: Arkiv VII. p. 13. Ex regestis Caroli I. a. 1278. O. fol. 2.

MCCXLVII. **Melfie.** *1278. 26. Septembris.* Carolus I. rex Siciliae magistris procuratoribus Apuliae mandat, ut Sergio picto permittant ducentas salmas ordei, et centum salmas frumenti in duobus vasellis onerari et assignari Guil-

lelmo de Brueriis et judici Ade de Vigiliis, deferenda per eos ad vendendum apud Tragurium vel alia loca ipsarum partium.

Rački: Arkiv VII p. 14. Ex regestis Caroli I. a. 1278. O. fol. 2.

MCCXLVIII. *1278. 13. Octobris.* Capitulum Wesprimiense significat, quod Alexander filius comitis Simonis de genere Bogat-Rodvan litteras capituli patentes super divisione totius possessionis eiusdem generationis Halap confectas exhibuisset, petendo ut easdem transumeret, cui postulationi capitulum annuit.

Cod. dipl. patrius VII. p. 169.

MCCXLIX. **Zagrabiae.** *1278. 6. Novembris.* Nicolaus banus totius Slavoniae mandat collectoribus marturinarum et zaluzinarum quatenus de collectis et judiciis comitatus de Guersenche collatis per Ladislaum regem Timotheo episcopo Zagrab., nullomodo se intromittere praesummant.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 191.

MCCL. **Romae.** *1278. 9. Decembris.* Nicolaus III. papa, cum post mortem Salvii archiepiscopi Ragusini electus a Ragusinis Fr. Marcus de Venetiis ord. min. debitum naturae ante suam confirmationem persolvisset, postularunt Ragusienses, capitulum et commune pontificem ut ille eis archiepiscopum denominaret, qui petitioni eorum annuens, dedit eis in archiepisc. Fr. Philippum inquisitorem contra haereticos in marchia Tarvisina.

Farlati: Illyr. sacr. T. VI. p. 114.

MCCLI. *1278.* Rudolphus I. imperator Ladislao IV. regi de concordia cum Andrea Slavoniae duce, filiae eius sponso innita gratulatur, ad debellandumque Ottocarum regem Bohemiae eundem provocat.

Fejer: Cod. dipl. T. VII. vol. II. p. 85.

MCCLII. *1278.* Ladislaus rex componit inimicitias et hostilitates inter Stephanum banum totius Slavoniae, Stephanum comitem musoniensem judicem curiae et Paulum, fratres eiusdem filios alterius Stephani bani ac totam generationem eorundem ex una parte, ex altera vero inter Joannem banum et comitem Radoslaum filios comitis Stephani, Nicolaum et Stephanum filios comitis Babonyg, comitem Thomasium et Vulcetam filios Jelinich, comitem Gardun filium Gardun, et Johannem filium Arlandi et totam generationem eorundem. Quae hostilitates exstiterunt propter mortem Joachimi bani, in congressu belli per dictum Stephanum banum et per suos interempti. Ex mandato regis paciscerunt partes judices arbitri, videlicet Thimothaeus episcopus Zagrabiensis, Mathaeus palatinus, frater Mathaeus abbas Toplicensis ordinis Cisterciensium, frater Gerardus magister domus Templi per Hungariam et Slavoniam ac alii.

Bulletino di arch. et storia Dalmata. A. IV. 1881. N. 5, p. 71.

MCCLIII. *1278.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis manifestat, quod constitutis coram eo Alexandro filio Petri, et Mathey filio Blasey fratris eusdem de genere Acha ex parte una ac magistro Stephano archidiacono de Kamarcha, vice et nomine Tymothei episcopi Zagrabiensis ex altera, confessi sunt quamdam terram suam Planina nuncupatam de consensu cognatorum et

commetaneorum suorum vendidisse dicto episcopo et ecclesiae suae pro viginti marcis denariorum Zagrabiensium quorum quinque pensae tunc temporis marcam faciebant, cum omnibus pertinentiis nec non pertinentiis aliis quae vulgo Souskuth nuncupantur. Interfuerunt autem huic venditioni Pothola et Petrus filii Borch de genere eorundem, qui pro se et tota generatione sua plenum consensum tribuerunt. Introduxerunt autem ecclesiam in possessionem terrae Gregorius canonicus et archidiaconus de Bexin et Mlatk villicus de Chuchuria. Prima meta incipit a septemtrione juxta magnam viam quae tendit versus Worosdin et per varias metas arboreas, silvas, montes et valles venit ad quemdam fluvium currentem in ruptura aquae pluvialis, et ad alium fluvium magnum currentem per medium vallis, et per varias metas eundo, ascendens pervenit ad culmen montis ad viam magnam ubi est arbor castaneae et ibi commetatur terrae comitis Radizlai filii Stephani. Inde per eandem viam in culmine montis et a parte septemtrionali iuxta terram comitis Radizlay et per varias metas eundo commetatur terrae Ditrici filii Wlchina de genere Acha et per varias metas descendens in vallem pervenit ad magnam viam, quam transiens pervenit ad caput fontis Casna, abinde regirat per ipsam magnam viam versus meridiem quae via est pro meta, currens directe per longum spatium ad primam metam.

Orig. perg. in mea collectione.

MCCLIV. *1278.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notum facit, quod Chuck filius Humerl pro fratre Mathaeo abbate de Toplica et conventu ejusdem ex una parte et Wlkowoy filius Dragacha, Dobroteh filius Cherbich, Bogdan filius Zo . . . et Beck filius Nadanei de generatione Bathei de villa Mayay ab altera coram constituti, idem Wlkovoy et caeteri de parte sua confessi sunt terram eorum vicinam grangiae eiusdem abbatis Brochina nuncupatae, iuxta fluvium Adulnak existentem, super qua inter ambas partes lis et controversia iam dudum habita fuerat pro bono pacis, dicto abbati et monasterio pro duodecim pensis dimisisse in perpetuum.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 191.

MCCLV. *1278.* Capitulum Zagrabiensis ecclesiae notum facit, quod Budvoy filius Budilo, Wlcheta filius Braten, Wlketa filius Mladicha, Gerge filius Pribizlo, Stephanus filius Wlkoyn, Zlaven filius Radizlay de generatione Pouona confessi sunt se vendidisse Mathaeo abbati de Toplica et ejus monasterio, possessiones ipsorum Povona vocatas, nec non insulam Wlkom cum aliis parvis insulis in fluvio Wen existentibus pro centum ut duabus marcis denariorum banalium, quorum singulae quinque pensae tunc temporis marcam faciebant. Metae autem per magistrum Manfredum archidiaconoum de Guerche destinatae fuerunt haec: Prima ab oriente in flumine Wen (Una) ubi cadit rivulus Mutniche, a quo ascendit ad fontem, inde ad cacumen montis iuxta magnam viam. Deinde per medium montis in eadem via iuxta terram filiorum Henzconis. Deinde per eandem viam ad unam semitam. Deinde ad unum monticulum, de quo descendit ad rivulum Mercosyn. Deinde ad orientem per longum spatium ubi idem rivulus cadit in rivulum Jarovelg et versus meridiem per longum spatium cadit in fluvium Syrenicha, a quo descendit per maximum spacium in fluvium Woumnam versus orientem ad in-

sulam quae fuit antedicti Budvoy, et per fluvium Wouna usque ad primam metam ubi rivulus Mothnicha cadit in eundem fluvium.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 192.

MCCLVI. *1278.* Capitulum Zagrab. ecclesiae notum facit, quod constitutis coram illo Detrico filio Wlchina et Hertelen ac Mathaeo filiis eiusdem de genere Acha ex una parte et magistro Stephano archidiacono de Camarcha nomine Thymothei episcopi Zagrab. ex altera, iidem permittentibus suis cognatis Potala, Borch et Petro filio Borch pro se et tota sua generatione confessi sunt se vendidisse possessionem suam Schekerie contiguam terris Alexandri cognati de generatione Acha, dicto episcopo pro triginta marcis denariorum Zagrabiensium, singulas cum quinque pensis computatis. Interfuerunt huic venditioni Putula et Petrus filii Borch de genere Acha nec non et Jacobus frater Iwanka praedialis episcopi. Ad distingvendos terminos missi fuerunt magister Gregorius archidiaconus de Bexhun et Maltk, villicus de Chucheria. Qui termini incipiunt in capite fluvii Casna qui est pro meta iuxta viam magnam quae ducit versus Worosdinum et currens per ipsam viam versus septemtrionem separat terram Cruciferorum. Per varias metas arboreas et terreas ac per valles et montes procedendo pervenit ad fluvium Zekeria et regirans in occidentem per magnum spacium commetatur terrae comitis Jacobi fratris Iwanka et in magno spacio terrae comitis Radizlai, deinde ad fluvium Symog, qui procedens per silvam versus meridiem dividit terram Radizlai comitis, et pervenit ad terram Alexandri filii Petri ubi terminatur.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 193.

MCCLVII. *1278.* Capitulum ecclesiae Zagrab. notificat, quod Johannes filius Iwanch, Galcan filius Petri, Drugislaus filius Zibislai, Wratizlaus filius Wulkoyn de generatione Surlo confessi sunt se vendidisse possessionem suam Sernov, Mathaeo abbati et conventui de Toplica pro triginta et tribus marcis denariorum Zagrabiensium, singulis cum quinque pensis receptis. Metae autem per magistrum Manfredum archidiaconum de Guerche distinctae haec sunt: Prima incipit in loco ubi Surno cadit in fluvium Gradicha, deinde per longum spacium ad locum ubi rivulus Ogrageniche cadit in praedictum fluvium Gradicha, inde per longum spatium inter montes per dictum rivulum ad fontem qui est caput eiusdem. Transiens silvam Lumno tendit ad rivulum Lumno, et ascendens versus septemtrionem ad viam publicam separat terras nobilium de Blyna. Tendens ad monticulum Kynnk, descendit ad caput rivuli Zemo et per longum spatium pervenit ad primam metam.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 198.

MCCLVIII. *1279. 5. Februarii.* Capitulum Chasmensis ecclesiae intimat, quod comes Stephanus filius Belus, vice et nomine Belus filii Belus fratris sui a parte una, et comes Mohor ab altera ad eorum praesentiam accedentes exhibuissent litteras Nicolai bani totius Slavoniae in quibus exponebatur, quod dictus Belus filius Belus, ratione dotis novercae suae filiae Apa bani, sororis ipsius comitis Mohor, quem idem ex permissione ipsius dominae supra dictum Belus requirebat ut ei daret et solveret viginti marcas, ac de duobus monilibus praestaret juramentum. Qui quidem Mohor licet protestatus fuerit

quod dictae 20 marcae eidem dominae per dictum Belus persolutae sint, exmisso tamen Thoma sacerdote chori ad dictam dominam confessa est, quod per dictum Belus privignum suum praedictas 20 marcas ex integro perceperit, super facto autem duorum monilium quod sibi satisfactionem congruam exhibuisset.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. Cont. IV. p. 204.

MCCLIX. *In* **Wereuche.** *1279. 28. Martii.* Ladislaus IV. rex dum comiti Hudus et ejus fratribus possessiones Langvei filii Woyvodae cognati eorum sine haerede decedentis, Abraam, Botur et Kyus-Baturd vocatas, donasset, enumerando eorum fidelia servitia, commemorat specialiter ea, quando eosdem in societate magistri Joachim cognati eorum, contra Stephanum et Ladislaum filios Stephani infideles suos, qui ad destruendum universos nobiles et populos suos sub banatu regni sui constitutos, quamplures conductos Teutonicos de Styria secum adduxerant, cum eisdem miserat pugnaturos, qui videlicet comes Hudus amissionem sinistrae manus, praefatus vero Brictius tria vulnera laetelia et emutilationem digiti dextrae manus ibidem passi sunt. Enarrat porro praeclara eorum gesta in bello contra regem Boemiae.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. Cont. IV. 177.

MCCLX. **Ragusii.** *1279. 5. Junii.* Marcus Geno de mandato ducis Venetiarum comes Ragusii cum voluntate maioris et minoris consilii et populi Ragusini, post multos et varios tractatus ad invicem habitos cum nobilibus viris Triphone archidiacono Catarensi, Thoma Drago, Calisto Povengeni, Johanne de Pribi, Martholo Pascalis, Micha Petri Dinne et Johanne Belezi missis et ambasciatoribus communis Catari ad concordiam venerunt in hunc modum: 1. Quod inter ambas civitates firma pax debeat permanere et si rex Rassiae cum gente sua voluerit dare communi Ragusinae guerram, homines Cattari teneantur toto posse suo turbare dictam guerram, si autem non possent, teneatur pars altera alteri diffidare antequam faciat guerram. Item quod homines Cattari possint navigare cum lignis Ragusinorum et facere societates et messitationes ad invicem. Item quod omnia deposita sive debita facta tempore pacis in Cattaro et eius pertinentiis per homines Ragusinos debeant esse salva tam a quolibet domino Slavoniae sive rege quam a quolibet Catarino quam forestiero et idem debet fieri de depositis et debitis factis in Ragusio per homines Catarinos. Item tempore guerrae sint invicem salvi per mare in termino duorum mensium. Item commune Catari dimittet omnem doanam impositam super homines Ragusinos in civitate et extra. Item civitas Cattari nom faciet aliquod statutum contra commune et homines Ragusii, sic etiam vicisim Ragusini contra Catarinos. Patrimonia civium sint vicissim salva. Item Catari non citabunt Ragusinos nec pro aliqua re coram rege aut aliquo domino aut officiali Slavoniae, sed venient aut mittent Ragusium ad petendam rationem etc. Triphon Petri comitis juratus not. scripsit.

*Orig. cum duobus sigillis in archivo aulico Vindobonensi. **Rub.** Cataro 163/5.*

MCCLXI. **Spalati.** *1279. 10. Junii.* Johannes archiepiscopus Spalatensis significat, quod pecuniam taxatam per patrem Philippum Firmensem episcopum Sedis apostolicae legatum a capitulo et a monasteriis de Spalato, de mandato ipsius legati receperit et quidem: a capitulo 30. libras denariorum parvorum, a monasterio s. Stephani 12 libras, a monasterio s. Benedicti 12 libras a

monasterio s. Mariae de insula Soltae 12 libras denariorum parvorum pro qualibet marca argenti 1, quam pecuniam promittit dare legato vel cui ille praeceperit.

Ex archivo aulico Vindobonensi. Coll. XVI. p 166.

MCCLXII. *1279. 29. Junii.* Ladislaus IV. rex. notum facit, quod cum Mikud banus filius comitis Mikud, Belae regi avo suo multa servitia exhibuerit, ex quibus memorat, quod cum dictus rex suos barones specialiter autem dictum Mikud banum ad expugnandum castrum Mynen regis Bohemorum, prope confinium regni constitutum destinasset, idem banus cum expugnatione castri cum suis hominibus ante omnes aditum quereret, et vexillum suum ad idem castrum devehi facere niteretur, in dextra manu et in costa dextra cum lancea graviter fuerat vulneratus. Praeterea cum idem rex in propria persona cum suis baronibus et eodem Mikud bano ad expugnandum castrum Karchulcis regis Bohemorum existens in regno Austriae accessisset, homines regis Bohemiae dextrum pedem dicti Mikud bani cum lapideo ictu confregerunt et sinistrum crus eiusdem lancea transfixerunt intuente eodem rege Bela, quemadmodum hoc in privilegio ejusdem regis super collatione trium terrarum: Zuci, Zepene et Band in comitatu Zaladiensi existentium uberius continetur. Constitit etiam regi dictum Mikud banum Belae et Stephano patri suo regibus multa alia servitia inpendisse, pro his igitur et pro servitiis ipso regi in diversis expeditionibus exhibitis, confirmat ei rex donationem supradictarum terrarum cum omnibus pertinentiis.

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. VII. vol. 3. p. 83.

MCCLXIII. *Apud* **Budam.** *1279. 1. Julii.* Nicolaus banus cum suis cognatis ab una, parte ab altera vero Stephanus banus filius comitis Stephani cum suis stipulant pacem et concordiam coram Lodomerio episcopo Varadinensi.

Orig. In archivo comitum Frangepani in castelo Porpeto. cr. 6.

MCCLXIV. *In castro* **Budensi.** *1279. 13. Julii.* Philipus episcopus Firmanus apost. sedis legatus ad petitionem Thimothaei episcopi Zagr. confirmat donationem comitatus de Guersenche cum collecta Marturinarum et septem denariorum factam ecclesiae Zagr. per Ladislaum IV. regem.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 199.

MCCLXV. *In Tetum in generali congregatione totius regni Hungariae 1279. 25 Julii.* Nicolaus banus totius Slavoniae notum facit, quod Pousa comes et magister Gueche frater eius exhibuissent ei privilegium Ladislai IV. regis super quibusdam libertatibus eisdem collatis, petendo ut ipsum privilegium acceptare et tenorem eius suo privilegio confirmare dignaretur. Transumpto igitur privilegio regis de a. 1279. banus una cum nobilibus regni Slavoniae qui tunc cum eo aderant attendens meritoria servitia eorundem Pousae et fratris sui, dictum privilegium confirmat.

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. V vol. 5. p. 365.

MCCLXVI. **Venetiis.** *1279. 18. Augusti.* Jacobus Contareno dux Venetiarum scribit nobili viro et amico Mathut (Mathaes) palatino Ungariae, quod Rodogerius Blanchus sua conquestione monstraverit, quod eo pridem in

in partibus Hungariae mercatoris more cum bonis non modicis existente, Herka filius quondam Henrici bani bonis et mercationibus huiusmodi violenter spoliavit eundem, quae bona ad 336 marchas praeter equos et arnesia aestimata fuerunt, et cum coram rege super eo gravatus fuisset, petiit terminum pro fienda restitutione. Rex annuit ei terminum trium mensium datis super eo litteris, sed Herka nec venit, nec misit aliquem ad terminum, quocirca rogat dux, ut interponat partes suas pro spoliato.

Ljubić: *Mon. I. p. 113.*

MCCLXVII. *Aput lacum* **Pensilem.** *1279. 5. Septembris.* Karolus I. Siciliae rex castelano castri Trani mandat, ut Nicholetum quem nuper duxit de Ungaria Jacobus de Boursono studeat in castro Tirani custodire simul cum Stephano filio Stephani (bani), quem pridem de Manfredonia per justitiarium Capitanatae ad predictum castrum mandavit destinari. Quibus Nicoletto et famulo suo expensas competenter et necesarias debet exhibere, et eos non liberat sine specialibus litteris regiis.

Wenzel: Acta extera I. 62.

MCCLXVIII. **Melfiae.** *1279. 25. Septembris.* Karolus I. rex mandat castelano castri Trani: Cum beneplacitum eius sit, quod Nicolaus filius comitis Farcasii et Stephanus filius Stephani bani qui in castro Trani custodiuntur, ut obsides liberentur de carcere et ad propria revertantur, ut eos ad requisitionem patris J. Draguensis episcopi, consiliarii et familiaris regis per quem eos ad partes eorum remittat abire libere.

Wenzel: Acta extera I. 63.

MCCLXIX. *Apud civitatem* **Laudensem.** *1279. 8. Octobris.* Praesentibus fratre de ordine minorum Raimundo s. Aquilegensis ecclesiae capellano et nobili viro Anselmo de la Turre, sacr. pall. notario de Mediolano, Rolando de s. Angelo, Ostario dicti d. Patriarchae, testibus ad hoc vocatis Rev. d. Pater Raimundus s. Aquilegensis sedis patriarcha et Istriae atque Carniolae Marchio ordinavit Nicolaum Delfinum de Venetiis archidiaconum Polensem suum nuntium et procuratorem ad exigendum jura et rationes ipsius patriarchae et ejus ecclesiae in Istria et Slavonia et ad imponendum ibidem collectas et ad exigendum poenas et banna si necesse fuerit. Joannes de Lupico scripsit.

Ex collectione d. Kandler Tergestini.

MCCLXX. *In castro* **Budensi.** *1279. 17. Novembris.* Philippus episcopus Firmanus ap. sedis legatus, ad quaerellam episcopi Zagrab. Timothaei, quod judices et homines de Veruche et de Lipua et comitatu eiusdem, Zagrab. dioecesis, praetextu guerrarum, quae in illis partibus fuerunt retroactis temporibus, non curarunt de decimis ad ecclesiam spectantibus nec curant in aliquo respondere. Iniungit igitur guardiano fratrum minorum de Veruche quatenus praedictos judices et homines ad solvendas decimas moneat et iudicet.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 201.

MCCLXXI. **Ryuche.** *1279. 31. Decembris.* Petrus banus totius Slavoniae significat, quod cum una cum nobilibus regni Slavoniae in congregatione

sederet generali, venit ad eius praesentiam comes Pousa et frater ejus magister Geche exhibentes privilegia Ladislai regis ac Nicolai bani filii Stephani, antecessoris ejus et quamplures litteras regias, quasdam etiam Belae regis felicis recordationis, super gratuitis et meritoriis servitiis eorundem, ita quod idem comes Pousa, magister Geche et universi populi eorundem in comitatu Crisiensi et Simigiensi videlicet in Vrbona, Chernaborda et Ruchina existentes, a iudicio et iurisdictione comitis Crisiensis et de collecta septem denariorum quae ratione lucri camerae annuatim exigi consvevit excepti, et solum judicio bani totius Slavoniae astare tenentur. Privilegium igitur hoc confirmat banus cum sociis suis et nobilibus regni.

Originale in parva carta pergamenea in mea collectione.

MCCLXXII. *1279.* Ladislaus IV. rex ad petitionem Johannis, Leonardi, Stephani et Doymi comitum de Modrus, Vegla et Wynodol, ut omnia privilegia, quae pater ejus Friderico, Bartolomaeo et Gvidoni comitibus patribus eorum dederat, suo privilegio confirmaret; attendens fidelia servitia dictorum comitum, quae ei et progenitoribus eius impendissent, memorata privilegia transumit et confirmat. Datum per manus magistri Nicolai Albensis electi et aulae vicecancellarii.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 552. 554.

MCCLXXIII. *1279.* Ladislaus IV. rex notificat, quod procuratores Johannis comitis de Wegla, Winodol et Modrus exhibuissent ei privilegium patris eius Stephani V. regis a. 1271. super potestate de Scenia concessum, petentes idem privilegium confirmari. Cuius petitioni rex annuit.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex regni archivo ablatis. N. R. A. 1646. Nr. 2.

MCCLXXIV. *1279.* Ladislaus IV. rex commendat memoriae, quod ipse et domina regina consors ejus comitem Perchinum ad Karolum regem Siciliae socerum suum pro agendis arduis negotiis miserint, idemque apud eum functus legationis officio, cum esset in suo redditu incidit in latrones ibique per eosdem miserabiliter extitit interemptus, et post mortem ejus Nicolaus banus totius Slavoniae universas possessiones eiusdem existentes in Slavonia occupasset. Verum quia Merculinus comes avunculus ipsius comitis Perchini dimidietatem possessionum ipsius, suam esse per privilegiales litteras capituli Strigon. ecclesiae et alia documenta cum evidentia demonstraverat, rex eandem medietatem dicto Merculino comiti restituit in perpetuum, residuam autem dimidietatem restituit Antonio uterino fratri comitis Perchini. Insuper donavit eis omnes alias possessiones quas Perchinus ex collatione regia obtinebat propter fidelia servitia Merculini, quae primum patri regis et demum ipso regi omni tempore exhibuit. Datum per manus magistri Nicolai aule vicecancellarii.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex regni archivo ablatis N. R. A. Fasc. 1532. N. 38.

MCCLXXV. *1279.* Ladislaus IV. rex attendens fidelitates et laudabiles famulatus ac strenuos actus militiae nobilium jobagionum castri et praedialium suorum in comitatu de Ryuche existentium, quos iidem primum Belae regi avo et Stephano patri suo et demum ipso regi in aetate tenera constituto in

omnibus expeditionibus regni exhibuerunt, eximit eosdem nobiles specialiter autem Petrum filium Turachk jobagionem castri de Ryuche et eiusdem posteritates a judicatu, judicio, jurisdictione et potestate bani Henrici filii Nicolai quondam comitis de Ryuche et aliorum comitum pro tempore constitutorum et quidem tamquam veros et naturales servientes regales ultra Dravam constitutos, juxta libertatem eorundem nobilium. Datum per manus magistri Nicolai aulae vicecancellarii.

Ex actis a bano Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 562. N. 36. Cod. dipl. patrius VII. p. 172.

MCCLXXVI. *1279.* Joannes archiepiscopus Spalatensis insultus Sibenicensium propter non consecrationem electi per eos (contra ordinem et legem) Ungari Pauli in episcopum, et per hoc videns periculum non tantm rerum suarum sed quod gravius est personae suae, eundem coactus consecravit. Philippus tamen episcopus firmanus et ap. sedis legatus, eandem consecrationem per eum una cum Tiniensi et Nonensi episcopis peractam cassavit et irritam proclamavit qua indebite factam, praecipiens Paulo sub poena excommunicationis, ut ultra non electus sed Paulus simpliciter vocaretur.

Farlati: Illyr. sacr. T. IV. p. 355.

MCCLXXVII. **Zagrabiae.** *1279.* Nicolaus banus totius Slavoniae notificat, quod Petro filio Borch de genere Agha ex una parte et magistro Manfredo archidiacono de Gerche decano ecclesiae Zagrab. vice et nomine capituli ex altera personaliter constitutis, idem Petrus confessus sit, quod cum famis inedia et periculo propter instantem temporis sterilitatem laboraret, terram suum haereditariam Cozoliu vocatam, in montibus super Casna existentem prope ecclesiam beati Mathaei sum omnibus pertinentiis praefato capitulo pro viginti sex marcis denariorum Zagrabiensium, quorum singulae quinque pensae marcam tunc temporis faciebant, tradidisset, astantibus etiam Potola et Borch fratribus dicti Petri, Ditrico et Beryzlao fratre ejusdem de generatione dicti Petri commetaneis eiusdem. Metae autem terrae sunt a parte meridionali terra Cruciferorum de Planina in una valle quae vadit per potok Bopoth et venit sursum ad terras Ditrici et Berizlai patris eiusdem et per varias metas arboreas et terreas ascendendo in montem venit ad viam publicam per quam itur ad Vorosd. Per bonum spatium jungitur terrae Potula et per varias metas venit ad viam quae vadit ad Glaunicham, et venit ad montem ubi vicinatur terrae Vychech, et pervenit ad quandam ruperturam Gurhuc, et ascendit ad monticulum Cuoshegh (Knezberg?) et procedendo per vallem ad primam metam Zapoth.

Tkalčić: Mon. episc. Zagrab. I.

MCCLXXVIII. **Zagrabiae.** *1279.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis significat, quod fratre Johanne priore de Thoplica, pro venerabili viro fratre Mathaeo abbate de eadem Thoplica et conventu ejusdem monasterii a parte una, et Radyzlao, Jescen, Gordomel, Senko filiis Isan de genere Rathey ab altera personaliter constitutis, idem Radyzlaus et fratres sui confessi sunt terram suam in Kyrha vicinam terrae eiusdem abbatis Chemernicha vocatam, eidem abbati et monasterio de Thoplica vendidisse pro viginti novem marcis et dimidia denariorum banalium, quorum singulae quinque pensae unam marcam faciebant. Prima meta dictae terrae incipit in confinio terrae grange de

Bojna iuxta arborem brezt usque ad rivulum Chemerniche, deinde vadit ad alium rivulum Volyauech, ubi idem rivulus cadit in Chemernicham. Deinde usque ad verticem montis ad lapidem Zerno vocatum. Deinde ad vallem quae tendit in Bechenam, deinde descendens ad terram Becheriae, quae est abbatia.

Orig. memb. in archivo com. Lud. Blagay. N. 7. R. Lopašić.

MCCLXXIX. *1279.* Capitulum Chasmensis ecclesiae testificat, quod Moytin filius Dragussa, jobagio castri de Ryuche, totalem portionem terrae suae in Klokocheuch habitam, Laurentio et Georgio filiis Bratyssa eorumque haeredibus pro 3 marcis denariorum ac totidem pensis perennaliter vendidisset.

In transumpto anno 1388. Ex actis monasterii oo. ss. de Stresa. Fasc. I. Nr. 15. per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis.

MCCLXXX. *1279.* Capilum ecclesiae s. Petri de Posaga notificat, quod Georgius abbas de Rodyna ab una parte et Gregorius filius Zayda ab altera, ex voluntate Chelk, Borich et filiorum Odula cognatorum Gregorii et ex consensu Johannis et Petri filiorum Ocholini ac Romani patronorum ecclesiae de Rodyna talem inter se concambium inierunt, quod praedictus abbas terram ecclesiae Liphyne vocatam Gregorio filio Zawyda in commutationem ejusdem terae Vlchak assignasset in perpetuum. Meta autem terrae Lyphine incipit a terminis Lorandi bani iuxta viam per quam tendit in Puthnak potok et cadit in fluvium Liphine et super usque dum Bachybon potok jungitur ad ipsam Liphinam et revertitur ad priorem. Meta autem terrae Wlchak incipit in monticulo Zalamhfeu iuxta viam et per quasdam metas arboreas descendit ad Mala potoka et ad caput cujusdam fontis et revertitur.

Wenzel: Cod. dipl. arpad. IX. 261.

MCCLXXXI. *1279.* Capitulum ecclesiae b. Petri de Posaga notificat, quod Ladislaus filius comitis Pasca et Nicolaus filius Emchud ab una parte, magister Dacianus et Christophorus filii Johannis consobrini comitis Pasca ab altera, personaliter comparentes, iidem Ladisl. et Nic. confessi sunt, quod terram Borsod in comitatu de Wolkov, quam rex Bela (IV) adhuc tempore sui ducatus comiti Pasca contulerat, cuius terrae medietatem ejus filius Lad. dicto Nicolao ex concessione regia dederat, supradictis magistro Daciano et Christoforo pro quadraginta duobus marcis partim in denariis, partim in extimatione condigna plene receptis vendidissent. Quos tamen XL et duas marcas dicti Dacianus et Christoforus persolverunt Ladislao et Nicolao.

Ex actis archivi regni Croat. per banum Khuen-Hedervary ablatis.

MCCLXXXII. *1279.* Capitulum s. Michaelis de Castro ferreo de divisione terrarum possessionum et castrorum Henrici quondam bani inter eius filios Joannem et Nicolaum banum fratrem illius peracta, testatur.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. II. p. 593.

MCCLXXXIII. **Jadrae.** *1280. 22. Januarii.* Frater Guido Gradensis ecclesiae patriarcha, Dalmatiaeque primas, manifestat, quod 14. die mensis Januarii intrante, ecclesiae Praedicatorum de Jadra et maiori altari ejusdem ad honorem Dei et S. Marci apostoli et ev. consecrationis munus duxit inpendendum, cui consecrationi magister Laurentius Jadrensis archiepiscopus, Stephanus Nonensis episcopus et Martinus Seniensis episcopus astitissent. Hac occasione promulgavit ad petitionem Gregorii Arbensis episcopi omnibus qui festo b. Marci dictam ecclesiam visitaverint, indulgentiam unius anni et quadraginta dierum.

Farlati Illyr. Sacr. T. IV. 120.

MCCLXXXIV. **Venetiis.** *1280. 25. Martii.* Dux Joannes Dandulo et commune Venetiarum cedunt Marino Mauroceno, comiti abserensi, universum comitatum Auseri cum insula Leporaria, Auriola et Sarchcana cum caeteris insulis, et cum omnibus redditibus et honorificentiis; salvis regaliis et exceptis insulis Nia, Sansigo, Canidulis et Neumis. Pro dominio debet solvere annuatim 1400 libras in duobus terminis, et insuper communi quingentas marcas argenti debet emendare.

Ljubić: Monumenta I. p. 124.

MCCLXXXV. **Venetiis.** *1280. 14. Maii.* Praesentibus Jacobo Donato, Leonardo Gisi, Pancratio Venerio et Marco Maripetro, Tanto cancellario et Rustichino Benintendi notario et scriba ducatus Venetiarum, testibus vocatis, et multis aliis coram Petro Gradonico duce Venetiarum, astantibus nobilibus Andrea de Molino, Leonardo Venerio, Marino Ruzino, Gratono Dandulo, Gabriele Delfino et Johanne Superantio sancti Angeli, nobiles viri Pasqua de Varicasso et Domaldus de Zadulino, cives Jadrae, nuntii et procuratores domini Pauli Breberiensis bani et ejus fratrum comitis Georgii et comitis Mla-

dini solemniter firmaverunt meram, puram et firmam pacem (trengam) usque ad tres annos cum duce et commune Venetiarum.

Ljubić: Monumenta I. p. 125.

MCCLXXXVI. *1280. 22. Maii* Ladislaus IV. rex notificat, quod terram Dobouch in Posaga existentem, a Cheh filio Pocina sine haerede decedente ad regias manus devolutam, quam regina Maria, ava ipsius, eidem Cheh in concambium possessionis Lobor et castri in eodem constituti contulerat, cum omnibus pertinentiis et cum silva Salva bereke Nicolao filio magistri Dominici filii Petri de genere Chak, (dominae Annae reginae, matris suae, filio spirituali), ac Stephano et Petro fratribus suis, filiis Dominici, pro servitiis quae regi Belae, avo suo ac Stephano regi patri suo et demum ipsi exhibuit contulerit cum priori libertate, videlicet: ut collectam marturinarum, ponderum et submarturinarum populi in dicta Dobouch nullatenus solvere teneantur. Metarum autem prima incipit in radice montis lapidosi ubi coniungitur Oraycha et Lypolch. Transeundo fluvium Lipot (sic) ad cacumen montis, inde declinat in vallem ad fluvium Bregorynick et vadit usque terram Bylotae, Oroycha vocatam. In occidente cadit in potok Ziuni, ubi est commetaneus Dras, versus Oroycha est locus apertus Nadostlaz pertinens ad terram Dobouch. In margine silvae sunt loca aperta: Bogdasa, Tetuke, Boboycha et Kere klaz. Ad occidentem potok Kuhnek et vadit ad potok Zkorin, et potok Dobrouch. Per varias metas ad potok Skopchonik inde ad potok Pokolosnick. In aquilone ad villam Mortunus jobagionis castri inferior Wrba vocati et iterum per varias metas in longo spatio ad radicem montis Cukuck, vadit ad terram Ivanek, filii Drask, et vadit in longum versus villam Chochan, ad meridiem terrae Zkrabatnik ad primam metam. Habuit etiam Cheh in aqua Chernuk piscaturas, una est in fine campi Wnuklev, altera in Copunicha; item clausuram in aqua Kenezicha, item piscaturam in aqua Luky. Datum per manus magistri Achonis aulae vicecancellarii.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 1503. N. 20.

MCCLXXXVII. **Budae.** *1280. 18. Junii.* Ladislaus IV. rex significat, cum intellexisset, quod Ladislaus et Stephanus, frater eius, tacita veritate non . . . . litteras regias recepissent super eo: Quod magister Joachimus infidelitate perpetrata fuisset interemptus. Unde cum idem nullam infidelitatem contra regiam Maiestatem commisisset, imo semper studuit suis meritoriis servitiis complacere, vult ut omnia privilegia ejus et litterae ejus si quae contra Joachimum processerunt, cassentur, nullasque vires habeant, quia dictus magister Joachimus pro fidelitate coronae regiae per suos aemulos extitit interemptus.

Fejer: Cod. dipl. T. VII. vel II. p. 82.

MCCLXXXVIII. **Venetiis.** *1280. 18. Julii.* Capta fuit pars in maiori consilis, quod comes Fredericus, commune et universitas totius Veglensis insulae ex una parte et Veglensis episcopus ex altera parte debeant facere refici compromissum inter ipsas partes hactenus factum et hoc infra unum mensem sub poena librarum MM. pro qualibet parte. Item pro discordiis quae sunt inter ipsas partes, quaelibet partium debeat eligere unum iudicem arbitrum

et tertius eligatur per d. ducem et eius consilium et possint dicti judices eligi de omni loco et de omnibus officiis.

Ljubić: Mon. I. p. 126.

MCCLXXXIX. *Apud urbem veterem 1280. 16. Augusti.* Nicolaus III papa perscribit archiepiscopo Spalatensi, multa dura et amara discrimina terrae sanctae, quae ei nuper intulerat vis hostilis, cupiens igitur eandem e manibus impii Tyranni recuperari et recuperatam stabiliter conservari, communi voce declarat esse necessarium ut Fratres Hospitales S. Joannis et militiae Templi Hierosolymitani ad unius ordinis unitatem, seu religionis unionem reducat, super quorum unione hactenus etiam tempore Lugdunensis concilii mentio facta fuit. Mandat ergo archiepiscopo ut cum suffraganeis suis in provinciali synodo, prout ei in aliis litteris iniunxerat, habito super hoc consilio, de eorum deliberatione quantocius edoceat.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. III. p. 42. — Farlatti: III. 290.

MCCXC. *1280. 19. Augusti.* Elisabeth maior regina Hungariae, ducissa de Machov et de Bosna, cupiens fidem catholicam in praedictis ducatibus et in comitatibus de Posaga et de Valcov, depulsis inde haereticis, dilatari, ad requisitionem Philippi legati apostolici promittit, quod omnia statuta et decreta contra haereticos per sedem apostolicam edita observabit et per subditos suos observari faciet. Datum per manus m. Lucae Strigonensis praepositi et aulae reginae cancellarii.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. III. p. 37.

MCCXCI. **Arbae.** *1280. 23. Augusti.* Gregorius, Arbensis episcopus, una cum suo capitulo rogat in scriptis comitem, judices, consiliarios et totam communitatem Arbensem, cum idem comes Marcus Michael fecisset episcopum Arbensem, Dominicum archipresbiterum et alios clericos forbanire ut nullam habeant humanitatem cum Arbensibus, quod nullum audeant impendere servitium illis sub poena perperorum 50. quod est valde dissonum rationi, ut a tam gravi processu suos animos revocent, dantes eis terminum usque ad tertium diem, alioquin contra eos procedent secundum quod dictaverit ordo juris. Et haec amonitio lecta est in ecclesia cathedrali die nono exeunte augusto.

Ljubić: Mon. I. p. 127.

MCCXCII. **Budae.** *1280. 23. Augusti.* Moys, magister tavernicorum dominae reginae significat, quod comes Andreas filius Johannis de Wruzy, serviens ejus, diversis fortunae casibus committendo plurima opera fidelitatis et servitia ubique, specialiterque in Teutonia ubi extractis dentibus ac amputatis digitis per Teutonicos multa cruciamina passus fuit, exhibuisset, et demum Michael filius eius a tempore pueritiae suae cum omni fidelitatis studio existens in domo eius ei et consorti suae laudabiliter servivit, in quorum servitiorum recompensationem terram suam haereditariam Fekethew inter terras Zyman et Fyzesth, inter terram Kus Segesd sitas contulit in perpetuum.

Ex actis monasterii Garich. Fasc. I. nr. 4. Per banum Khuen-Hederváry ex archivo regni ablatis. Eiusdem priv. transumptum Ladislai regis post obitum magistri Moys a. 1280. Fasc. I. N. 5.

MCCXCIII. **Strigonii**. *1280. 17. Octobris.* Lodomerius, archiepiscopus Strigoniensis, Dyonisius Jauriensis, Petrus Transilvanus, Thomas Vaciensis, episcopi, confirmant ad petitionem Thimothei, episcopi Zagrab., donationem comitatus de Guersenche factam per Ladislaum IV. regem ecclesiae Zagrabiensi.
Tkalčić: Mon. Hist. I. p. 202.

MCCXCIV. *Sub castro* **Ozail**. *1280. 30. Octobris.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis significat, quod inter Nicolaum banum et suos cognatos ex una parte et Stephanum et fratres eius filios Babonig nec non Joannem et Doymum, comites de Vegla et de Modrussa ab altera parte pax et concordia inita sit.
Orig. In archivo com. Frangepani in castello Porpetto. N. 7.

MCCXCV. *In castro* **Strigoniensi**. *1280. 5. Nov.* Philippus, episcopus Firmanus et ap. sedis legatus, confirmat ad petitionem episc. Zagrab. Thimothaei donationem castri de Garig factam ecclesiae Zagrab. per Ladislaum IV. regem.
Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 202.

MCCXCVI. **Chasmae**. *1280. 8. Nov.* Jacobus praepositus Chasmensis, decretorum doctor et d. papae capellanus, refert Philippo episcopo Firmano et legato apostolico, quod erga conquestionem episcopi Zagr. et ad mandatum eiusdem legati villicos de Vereuche et de Lipoa et cum eis viginti quatuor utriusque villae maiores, seniores et iuratos, autoritate eius fultus, sollemniter sententia excommunicationis innodaverit, et totam terram reginae senioris ecclesiastico subiecerit interdicto.
Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 203.

MCCXCVII. *In* **Slankamen**. *1280. 11. Novembris.* Ladislaus IV. rex significat, quod cum Sebastianus filius Alberti, ad nullam expeditionem et congregationem regni tam generalem quam privatam venire contumaciter neglexerit, imo infidelibus adhaerendo contra regem processerit, damna quam plurima inferendo, terram eius Ibrau, comiti Sephrido filio Marcelli pro fidelibus servitiis, specialiter pro effusione sanguinis et morte Ivaneae fratris sui, qui in expeditione contra regem Boemorum dimicando extitit interemptus, contulerit possidendam.
Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. III. p. 32.

MCCXCVIII. **Venetiis**. *1280. 15. Novembris.* Capta fuit pars in maiori consilio, quod nobilibus viris Nicolao Storlato et Rogerio Mauroceno confirmetur carta concessionis factae nobili viro Gvidoni de Canali et Petro Storlato et Leoni Sanuto et Johanni Barvecio et Marino Dandulo per venerabilem abbatem de Sansego (Sušak) pro insulis per ipsum abbatem concessis praedictis nobilibus.
Ljubić: Mon. I. p. 128.

MCCXCIX. *1280. 7. Decembris.* Capitulum Chasmensis ecclesiae significat, quod Georgio filio Zlobsa tam pro se quam pro Nicolao fratre suo a parte una, ab altera autem Ladislao filio Pousa comite de Ruich, serviente Nicolai bani filii Henrici bani vice et nomine eiusdem domini sui, personaliter constitutis, idem Georgius concambium super terris cum eodem Nicolao bano

fecisse retulit, ita videlicet, quod omnes terras ipsum et fratrem suum Nicolaum in comitatu de Ruich contigentes, nec non terras comitis Pauli filii Endre fratris sui, eodem Paulo sine filiorum solatio decedente, iuxta regni consuetudinem ad ipsum et fratrem Nicolaum devolutas, in predicto comitatu existentes, et insula seu indagine eiusdem comitis Pauli in districtu de Crisio inter aquas Blyzna et Velika vocatas, eidem Nicolao bano perpetuo possidendas assignaverit; pro quarum terrarum concambio idem banus, sicut praedicto comiti Ladislao constat, quandam terram suam apud S. Benedictum, Poloncha vocatam, ipsis Georgio et Nicolao assignaverit, solvens eis insuper quadraginta marcas.

Originale perg. cum sigillo pendenti in mea collectione.

MCCC. **Romae**. *1280. 16. Decembris.* Nicolaus III. papa scribit archiepiscopo Jadrensi, quod ad eius audientiam pervenerit, quomodo Marcus Michael comes Arbensis, Stephanus de Forma, Madius de Paireo et Zodeniens de Zodenicis, tunc judices Arbenses contra Franciscum abbatem monasterii s. Petri ord. s. Benedicti Arbensis dioecesis, cum ipse per eos citatus accessisset ad illos, ipsum per multos dies in palatio s. Crucis, capellae ipsius monasterii, fame, siti, pluribusque aliis afflictum iniuriis stare fecerint, et eundem ad suum monasterium redire minime permiserint, asserentes se velle ipsum comburri, quare ipse abbas per vim et metum coactus fuerat suo monasterio renuntiare, praestito super hoc corporali juramento. Mandat itaque papa, si praemissis veritas suffragatur ut eundem abbatem a juramento absolvat, comitem vero et judices excommunicatos publice nunciat, et abbatem in possessionem reducat.

Ljubić: Mon. I. p. 128.

MCCCI. *Prope* **Warkun**. *1280.* Ladislaus IV. rex mandat Stephano bano totius Slavoniae ut ad quaerelam Belus, Nicolai et Stephani filiorum Belus, quod Bachader possessionem ipsorum Lapathk potentialiter occupatam detineret, ut eandem possessionem eis reddat.

Ex archivo camerali Budensi. — Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. 326.

MCCCII. *1280.* Ladislaus IV. rex notificat, quod Vrkun banus, filius Ipoliti de genere Thomoy, in praesentia et de beneplacito eius medietatem omnium suarum possessionum et Dyonisii fratris sui, sine haerede decedentis, videlicet: Pachey, Jaksynch, Susy, Vesnich, Petrich, Solch, Katha et Tuuch vocatarum cum appertinentiis in comitatu Syrmiensi existentium propter unionem et mutuae consanguineitatis dilectionem, Dyonisio comiti, filio Dyonisii quondam Palatini de eadem generatione, reliquisse et donasse confessus sit tali conditione, quod si eundem Vrkun banum sine haeredum solatio primo mori contigeret, dictam medietatem possessionis eiusdem Vrkuni bani, idem Dionisius comes cum medietate alia sibi devoluta possideret. Si haeredes habuerit remanebit eius medietas eis, si autem Vrkun et Dyonisius haeredibus carerent, possidebit ambas medietates Nicolaus frater Dionisii et eius haeredes.

Cod. dipl. patrius VI. p. 265.

MCCCIII. *1280.* Ladislaus IV. rex ad intercessionem Philippi episcopi Firmani, ap. sedis legati, omnia statuta contra haereticos, specialiter de Du-

catu et dioecesi Bosnensi ac quibusdam adiacentibus terris, sub eius dominio constitutis, poenis canonicis substerni et executioni dari jubet.
Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. III. p. 35.

MCCCIV. *1820.* Elisabetha maior regina manifestat, quod attendens multiplices fidelitates nobilis viri Jacobi filii Ponich de genere Buzad, magistri dapiferorum suorum, quae regi Stephano consorti suo et regi Ladislao filio in diversis regni expeditionibus et necessitatibus ipsius Ladislai filii adhuc in tenera aetate existentis exhibuerit, post mortem etiam Stephani regis reginam nullatenus relinqueudo et pro ipso filio suo Ladislao se et sua variis periculorum generibus exponendo, specialiter cum effusione sanguinis quum in expugnatione castrorum de Nowak et Paka (in Cris. comitatu) coram oculis suae Maiestatis laudabiliter dimicaverit laetalia et mortalia vulnera subferendo. In recompensationem ipsorum servitiorum contulit ei possessionem Chechy in comitatu segusdiensi. Datum per manus magistri Vrbazii, praepositi ecclesiae s. Petri de Posega, aulae reginae cancellarii.
Wenzel: Cod. dipl. Arp. XII. 301.

MCCCV. **Zagrabiae**. *1280.* Iwan comes filius Irizlai significat, quod pro remedio animae suae contulerit ad honorem Dei et virginis gloriosae partem terrae suae haereditariae Brezoicha vocatae, cum quadam vinea in Chucheri sita, abbati et conventui s. Jacobi de insula prope Zagrabiam Cisterciensis ordinis, ita ut etiam abbatia sub nomine ipsius comitis in ipsa terra Brezoicha ordinetur et aedificetur. Meta terrae incipit a via retro capellam iuxta rivulum Mochirad, inde versus meridiem, inde ad alium rivulum Damerie vocatum, inde descendit ad fontem Bukovi et versus septemtrionem per silvam Starch, inde per viam antiquam venit ad campum, et iuxta nemus ad locum Thopolgran, inde tendit ad locum Rukitgran et arborem Brezth, venit iterum ad rivulum Damerie et per magnam viam ad primam.
Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 205.

MCCCVI. **Zagrabiae**. *1280.* Ivan comes filius Irizlai, comes de Oeluch, (Okić) significat, quod terram suam prope Zamobor sitam, iuxta ecclesiam s. Elenae, contulerit ecclesiae s. Mariae virginis, abbati et patribus Cisterciensis ordinis in eadem ecclesia deo famulantibus, ecclesiae videlicet b. Mariae, quae est sita in terra sua Brezoicha. Cuius terrae meta incipit a meridie in arbore Gimulchin, tendit sub montem Straznivrh, cadit in unam viam, quae procedit in dictum montem, et per eandem viam venit ad Teluk portae indaginis, inde ad laevam manum girat per eundem Teluk et descendit ad antiquam piscinam quae pertinet ecclesiae s. Elenae. Per varias metas venit ad locum Mlaka et vadit ad primam.
Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 206.

MCCCVII. *1280.* Capitulum ecclesiae beati Petri de Posaga notum facit, quod Racoldus filius Rolandi bani confessus sit, particulam terrae suae Pechuae, quae Jelsevik dicitur, Ladizlao, Arnoldo, Gulae et Blasio filiis Zoboo, vendidisset pro triginta marcis denariorum. Meta terrae incipit iuxta quoddam Kalista quae est iuxta viam in monte Mocheych, descendit inferius ad Jelsewech potok, inde per silvas et planiciem iuxta quoddam Fuk, quod dicitur

Gradinin quod currit de fluvio Morchuna, inde ad fluvium Zawa et per silvam venit iterum ad fluvium Murzuna, transitoque ipso ad vallem in qua est Gramachnik potok, inde ad Berch et ad priorem Kalistam.

Wenzel: Cod. dipl. Arp. IX. 285.

MCCCVIII. *1280.* Capitulum eccles. de Posaga notum facit, quod Ybrahun filius Ahae, Apa filius Ezbeusy, Mutimir filius Negani, Gurdusa filius Zlaumeni de Churkunyk, jobagiones castri, postulaverint unum a capitulo transmitti, qui terram ipsorum de Churkunyk, quam dudum perditam et amissam per humanitatem et expensas Ybrahimi recuperarunt, certis metis distingueret et portionem Ybrahimi separaret. Cuius terrae Ybrahimi, ei a tota generatione concessae, prima meta incipit iuxta fluvium Churdunyk, inde tendit iuxta terram Batus comitis, per varias metas eundo commetatur terrae filiorum Negan, Mucimiri et Andreae et Jacobi filii Nerad. Inde ad magnam vallem in qua currit Seryzeunik pothok, pervenit ad latus cuiusdam lapidis et tendit ad montem maximum, descendit ad quoddam pothok et transito ipso ascendit ad montem Ostri hig, descendit ad vallem et ascendit ad viam quae vocatur Banuta, deinde cadit ad fluvium Prezekonlich et per ipsum vadit ad Zelemen, descendit ad fluvium Churkunyk ubi in eum cadit Prezekovech, venit ad viam et cadit in stagnum Truglo.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. 314.

MCCCIX. **Jadrae**. *1281. 13. Januarii.* Temporibus Joannis Danduli, ducis Venetiarum, magistri Laurentii, archiepiscopi Jadrensis, Gabrielis Michaeli, comitis, Petasca filia quondam Bratellae promittit solvere nobili viro Damiano de Begna jadertino septem libras denariorum Veneticorum parvorum hinc ad festum s. Michaelis sub poena dupli et hoc pro blado ovili habito ab eodem. Coram testibus Slavosco piscatore et Mathaeo filio Joannis pelliparii. Cavatae examinator manum misit. Vincentius ecclesiae s. Stephani diaconus notarius scripsit.

E meis miscellaneis Dalmaticis antiquae collectionis.

MCCCX. **Venetiis** *1281. 22. Januarii.* Capta fuit pars in maiori consilio, quod terra Almesii teneatur secundum illum modum et ordinem quod videbitur d. duci et sapientibus de consilio. Capitanei autem Almesii tam ille qui modo eligetur, quam alii, qui de caetero eligentur in maiori consilio sicut eliguntur rectores.

Ljubić: Mon. I. 129.

MCCCXI. **Spalati** *1281. 29. Martii.* Regnante Ladislao IV. rege, temporibus Johannis archiepiscopi Spalatensis, Mladeni comitis, filii Stepconis, comitis Spalatensis, Vitae Czerni, Merge de Jadera, potestatis, Gausinnae, Dusazzae, Leonis, Razeni, Joseb, Petri judicum. Radesius pelliparius condidit testamentum (salvis omnibus legatis in alio suo testamento manu Francisci notarii confecto), voluit quod statim post suum decessum capitulum ecclesiae b. Domnii haberet terram ipsius de Zunano prope terram Medule iuxta terram Dragi Stephani et quod de ipsius fructu annuatim ei exequias faciant ut est consuetum. Aliam terram de Ballo reliquit in potestate suorum commissariorum, qui debeant dare 20 sextarios de oleo pro accomodanda cruce magna ferrea in

ecclesia b. Domnii in nocte Epiphaniae; de residuis sextariis debent fieri facere libros necessarios in praedicta ecclesia. Commissarios constituit archidiaconum et sacristam, qui pro tempore fuerint. Actum in camera Lucae notarii. Testimonio Lathaei diaconi, Nicolae Leonardi, Valentini Blasii, pelliparii, Stephani Priliepek pelliparii et plurium aliorum. Nicolaus Johannis Cindri conscius examinavit. Lucas canonicus et juratus notarius Spalat. scripsit.

Ex archivo aulico Vindobonensi collectio act. Spalat. XVI. 27.

MCCCXII. *In* **Priscova.** *1281. 6. Aprilis.* Heinz de Bibanis notum facit, quod capellam suam quam in honorem B. M. V. iam dudum construxerat fratribus Praedicatoribus Ragusii obtulerit jure perpetuo, sub conditione, ut dicti fratres officiare in ea continue debeant. Insuper dedit eis omnes praetiosas reliquias dictae capellae, nec non calicem argenteum cum vestimentis sacerdotalibus et non modico ornamento altaris.

Farlati: Illyr. Sacr. T. VI. p. 443.

MCCCXIII. *1281. 24. Aprilis.* Ladislaus IV. rex notum facit, quod ad petitionem Petri bani, filii comitis Benedicti, cuius possessionem Oziag, exigentibus culpis suis, potentialiter abalienarunt et jurisdictioni comitis de Barana subiecerunt, ei restituere dignaretur. Consideratis itaque servitiis eiusdem Petri bani, quae ei in omnibus expeditionibus regni intestinis et extrinsecis impenderat, et specialiter in expugnatione castri Zumbathel, quod per regem Boemorum occupatum fuerat, ubi etiam laetalia sustulerat vulnera; item servitiis, quae in compescendis Croatis et hominibus Transdravanis, qui se de jurisdictione regia volebant alienare, ipsos potentiae regiae reducendo et restituendo exercuit, dictam possessionem Oziag reddiderit.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. 329.

MCCCXIV. **Zagrabiae,** *1281. 27. Aprilis.* Timothaeus, episcopus Zagrabiensis communicat per canonicum suum Paulum: Lodomerio, archiepiscopo Strigoniensi, Dionisio Jauriensi, Petro Transilvano, Andreae Agriensi et Thomae Vaciensi, episcopis; item praeposito Albensi, P. priori provinciali fratrum Praedicatorum per Ungariam et Slavoniam, A. priori Heremitarum s. Augustini at aliis ecclesiarum praelatis suam sententiam excommunicationis, quam 25. Martii ejusdem anni in Werence tulerat contra Nicolaum totius Slavoniae banum, Johannem comitem de Zana, Vrbaz, Guarig et Guechke et Henricum filios Henrici condam bani et contra eorum complices, signanter contra quemdam Wryz totius regní praedonem et publicum latronem propter varios violentos excessus, destructiones et depredationes in possessione episcopi Wasca, quam post descessum patris Philippi, episcopi Firmani, S. sedis ap. legati visitaverat 13. Martii et ita desolatam et destructam invenerat ut non solum res et bona illic residencium fuerant ablata, verum etiam vix pauci homines propter destructionem remanserunt in eadem, ubi etiam quinque mulieres expulsae de suis domibus per eosdem algore frigoris spiritum exalarunt. Alias quoque episcopi possessiones invenit totaliter desolatas; comitatum autem de Guersence, quem episcopatui Ladislaus rex contulerat, detinent Johannes et Nicolaus banus in praejudicium ecclesiae et magnum gravamen. Collegerunt decimas, fecerunt vasallos et officiales ecclesiae captivari quos praedictus Wriz in tantum fecerat tormentari ut omnia eorum bona extorserat ab eisdem.

Tkalčić: Mon. episc. zagrab. I. p. 206.

MCCCXV. **Ragusii.** *1281. 3. Julii.* Coram Nicolao Mauroceno, comite Ragusii, subscripti testes, Johannes de Pribi, Nicolaus Dabronis, Johannes Gymonis, Johannes Gillae, Marcus Basilii et Theodosius Thomae Dragonis, cives Catari et procuratores communis Cattari confitentur, quod receperint a comune Ragusii depositas olim in Ragusio per condam juppanum Desam, filium condam d. regis Ladislavi, et dominam Belloslavam matrem ipsius Desae, res praetiosas uti multas yconas, rapidos in lingua slavonica dictos de argento. Librum evangeliorum cum Christo et cruce de argento. Pecia de xamito cum smaldis et perlis, librum evangeliorum cum tabulis opertis argento et cum petris duplicibus et cum smaldis, item alium librum evang. cum resurrectione Christi et cum cruce in argento, item alium cum tabulis opertis cono nigro et cum argento per angulos et in medio. Cartam unam in qua est scriptum officium missae, cruces, calices, cooperta de argento. Manipula de drapo ad aurum, cortinae de drapo lineo opertae cum seta. Cintura de corio cum argento, bocale de stagno. Leones tres de drapo ad aurum. Bragerium de corio cum bulla de argento et alterum de seta, specula tria, pometi tres de auro et perlis et una perla et frexatura longa cubitis duobus et dimidio, carta una magna scripta. Libros viginti duo. Drapus magnus de camenacia inbindata pro facienda umbra etc. Subscripti erant in litteris procuratoriis Cattari: Petrus de Calixto, iudex, Bartholomaeus de Dobrosii et Marcus Guzolanae, Pryphon Petri, juratus notarius Cattari. In litteris ragusanis fuerunt testes: Vitagna de Cerna, Vitalis Bincolae, Grubessa de Ragnana, jurati judices et Thomasinus de Savere notarius Ragusii.

Orig. in archivo reip. Ragusanae Fasc. II. ex 106. Publicatum in Rad akad. jugosl. I. p. 135.

MCCCXVI. **Venetiis,** *1281. 6. Septembris.* Capta fuit pars in maiori consilio cum duabus vicibus missum sit episcopo Abseri (sine effectu), mittatur ei iterum, requirendo ipsum ut veniat Venetias usque ad festum s. Martini, vel mittat suum procuratorem, ad respondendum quare tenet occupatas insulas Sansegi et Neumarum, quae sunt nobilium virorum haeredum Petri Storlato, Johannis Barocio et Marini Dandulo. Si non venerit, mittet consilium praedictos in possessionem et tenutam dictarum insularum.

Ljubić: Mon. I. 130.

MCCCXVII. *1281. 22. Septembris.* Ladislaus IV. rex notum facit, quod abbas de Toplica sua conquaestione demonstraverit ei, quod propter viarum discrimina ac propter depraedatores et aemulos ecclesiae privilegia Andreae regis, attavi et Belae avi sui, super collacione possessionum ecclesiae de Toplica confecta et super donatione possessionis Graznich iuxta fluvium Zawa, etiam per patrem regis Stephanum confirmata ad regem deferre non praesummens, petivisset ut dictam Graznich eidem ecclesiae confirmare dignaretur; cui petitioni rex annuit. Datum per manus magistri Achonis aulae vicecancellarii.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 208.

MCCCXVIII. *1281. 15. Decembris.* Temporibus Joannis Danduli, ducis Venetiarum, patris Simonis, Pharensis episcopi et nobilium virorum Marci Dulfini, Farae et Brachiae potestatis ac Henrici Zantani eius consiliarii, nec

non Joannis et Guidosii Farensium judicum, consensu et voluntate totius communitatis Farensis, Draedosta (Dragosta) filia quondam Drajectae voluntarie obtulit se servire cum omnibus suis mobilibus et immobilibus toto tempore vitae suae, cum quadam pecia terrae, quae est in loco Piscopatt, monasterio s. Nicolai de Lissa, quam terram idem monasterium a praesenti die in antea tenebit et possidebit in perpetuum.

Farlati: Illyr. Sacr. T. IV. p. 248.

MCCCXIX. *Apud urbem veterem. 1281. 23. Decembris.* Martinus IV. papa: vacante dudum ecclesia Ragusina per obitum Salvii archiepiscopi, canonici eiusdem ecclesiae Fr. Marcum de Venetiis ord. fratr. minorum in archiepiscopum suum, ut dicitur elegerunt, qui antequam esset confirmatus, obiit. Post cuius obitum petierunt Nicolaum pontificem ut ille eis archiepiscopum denominaret, qui ad hoc munus destinaverat Philippum de Mantua ipsius ordinis, inquisitorem haereticae pravitatis in marchia Tarvisina; illo hanc dignitatem non acceptante, nominavit fratrem Lucam de Padua eiusdem ordinis, qui similiter munus resignavit. Tandem post mortem Nicolai papae elegit eius antecessor fratrem Bonaventuram de Parma, quem qua archiepiscopum comiti et populo civitatis Ragusii in duobus separatis litteris commendat.

Ex Bullario Ragusino. MS. p. 33. 389.

MCCCXX. *1281.* Ladislaus IV. rex manifestat, quod Petrus (de Pakrac) banus et comes Kemen, filii comitis Benedicti significaverint, quod possessio Gayul, quae olim progenitorum suorum fuerat ab ipsis sine eorum culpis potentialiter fuisset alienata, petentes regem ut ipsis dictam possessionem reddere dignaretur. Ideirco dederat rex capitulo Chasmensi in mandatis ut cum Johanne filio Gugyae homine regio, mitteret hominem suum, qui praedictam terram reambularent, et si non fuerit contradictum petitoribus restituerent, qui reipsa nemine contradicente possessionem Gayul eisdem Petro bano et comiti Kemen restituissent et eosdem in ipsa statuissent. Meta autem terrae incipit ubi Mogoroch potok cadit in fluvium Sopluncha et ascendit ad vallem Zuhodol, ibi tendit in magnam viam, inde inter silvam et vineas ad metas St. Borch et per longum spatium ad fluvium Megye potok et ad fluvium Desinche minorem, et per eundem ad fluvium Sopluncha, ubi tangit metam Petri filii Benedicti, terrae Pukur vocatae et per Supluncha ad metam priorem. Rex igitur considerans servitia Petri bani, quae in diversis regni expeditionibus, bellis videlicet intestinis et extrinsecis, coronae regiae incommutabiliter adhaerendo inpendit, et specialiter in expugnatione castri Zombothel, quod rupta pace per regem Boemorum captum fuerat, ubi laetalia sustulit vulnera, consideratis etiam hiis, quae in compescendis Croatis et hominibus transdrawanis, qui se de jurisdictione regia volebant alienare, ipsos potentiae regiae reducendo exercuit et impendit. Tam igitur in recompensationem servitiorum, quam etiam ex ratione ne in possessionibus olim per progenitores suos possessis et postmodum Paulo comiti fratri suo per regem traditis extraneum doleat possessorem, rex dictam possessionem Gayul ipsi Petro et Kemen fratri restituit. Datum per manus Anthonii magistri, aulae vicecancellarii.

Ex transumpto Sigismundi regis de a. 1420. pro Ladislao filio Nicolai filio Pauli de Pukur ac magnifico Johane de Maroth alias bano Machoviensi. In archivo camerali Budensi conservato. — Wenzel: Cod. dipl. Arpad. IX. 292.

MCCCXXI. *1281* Ladomirus, archiepiscopus Strigoniensis, cum suo capitulo approbat factum Timothaei episcopi Zagr., qui Nicolaum banum et alios excommunicaverat, quia bona ecclesiae et praecipue comitatum de Guersenche sibi usurparunt.
Marcelovich: Extractus dipl.

MCCCXXII. *In* **Selin** (Želin). *1281.* Iwan, comes de Oclich, filius Irizlai, significat, quod medietatem tributi sui in Zamobor, tam de porta, quam de foro, donaverit in remedium animae suae et progenitorum suorum abbati et fratribus de insula S. Jacobi Cisterciensis ordinis, ita quod ecclesia s. Elenae prope Zamobor per hoc melioretur et fratres ibidem existentes sui victus inde capiant fulcimentum.
Tkalčić: Mon. Hist. T. p. 209.

MCCCXXIII. *1281.* Capitulum ecclesiae s. Petri de Posega notificat, quod magister Barthολο, filius Jacobi, per litteras suas authenticas, et per Natum custodem dictae ecclesiae, quia infirmitate praepediente personaliter componere nequiverat, fecit manifestum, quod possessionem suam Paka, Emerico filio Athanas vendiderit pro septuaginta marcis, quas cum in legatione domini regis Romanorum iverat, se dixit recepisse. Commetanei autem terrae sunt isti: Thomas et fratres sui filii Petri, Wlkozlav filius Buda, Thomas filius Laurentii, et idem magister Bartholomus in suis possessionibus Werhovina et Nevna.
Cod. dipl. patrius. T. III. p. 35.

MCCCXXIV. *1281.* Petrus filius Petri, filii Buchk de Bereniza seu Beremen de generatione Jula bani una cum Urbano et Kajan filiis Nicolai ac Blasio filio Michaelis de eadem generatione coram conventu Varadiensi conveniunt et concordant circa possessionem Bremen in comitatu Baraniensi, quam Petrus iure mediante emerat.
Fejer: Cod. dipl. T. VII. vol. II. p. 88.

MCCCXXV. *Circa 1281.* Stephanus Uroš Serbiae rex ad petitionem missorum comitis Nicolai Mauroceno et communis Ragusii, nobilium Zrs et Grubesa renovat pacem cum Ragusinis et statuit sibi ab eis pendendum esse tributum quinque millium hyperperorum.
Miklosich: Mon. serbica p. 54.

MCCCXXVI. *Apud urbem veterem 1282. 7. Martii.* Martinus IV. papa, cum Bonaventura archiepiscopus Ragusinus sedi apostolicae retulisset, quod nonnuli iniquitatis filii, quos prorsus ignorat, decimas, terras, possessiones, census, redditus, domos, legata, piscarias et alia bona ad suam sedem spectantia malitiose occultare et occulte detinere praesumunt, imploravit idem episcopus remedium a pontifice, quocirca idem abbati monasterii Lacromoniensis dedit in mandatis, quatenus omnes detentores bonorum praeditorum ex parte sedis apostolicae publice in ecclesiis coram populo moneat ut infra terminum competentem ea dicto archiepiscopo restituant, et si et non impleverint in eos generalem excommunicationis sententiam ferat.
Ex Bullario Ragusino Ms. p. 65.

MCCCXXVII. **Venetiis.** *1282. 3. Maii.* Iniunctum fuit per majus consilium omnibus rectoribus (civitatum), praeter comitem Ragusii, ut teneantur diligenter inquirere denarios regis Rassiae contrafactis Venetis grossorum, cum obligatione omnes praedictos denarios, qui ad eorum vel officialium manus pervenerint incidere vel incidi facere, et gentem suam constringere, quod dicti denarii non current per suos districtus.

Ljubić: Mon. I. p. 131.

MCCCXXVIII. **Tragurii.** *1282. 31. Maii.* Tempore Martini papae et Ladislai regis. Cum ecclesia s. Laurentii, episcopatus Traguriensis, proprio pastore vacaret, ideo congregatis canonicis etc. ad electionem celebrandam, comparuerunt nempe: Gervasius filius Zanci, et Pelegrinus D. archidiaconi eiusdem episcopatus, Casoctus filius Zanichae Primicerius can. Marcus can. sacerdos filius Bod. Michael can. filius Stoisae, Dessa sacerdos filius Nadini, Natalis sacerdos filius Musinae, Firminus diaconus filius Vitalis, Laurentius subdiaconus filius Privillae, Bogdauus subdiaconus filius Michae, Michael filius Cerni, Kasaricius subd. filius Turinae. Qui omnes elegerunt in episcopum Gregorium filium Marchi de Tragurio de ordine Minorum, virum honestum et sapientem. Praesentibus: Jacobo Rusticho potestate civit. Benevento eius milite, Dessa et Cernocta Amblasii, Silvestro Mingacii, Chrestae Alberti, Toma Zanichae, Duymo Dumichae et aliis. Dessa Duymi de Maroiza examinatore.

Lucius: Mem. di Trau. p. 112.

MCCCXXIX. **Spalati.** *1282. 3. Julii.* Regnante Ladislao IV. rege, temporibus Johannis archiepiscopi Spalatensis, Mladeni Stepconis de Briberio incliti comitis, Vitae Zerni, Merge de Jadera potestatis, Joseb Petri, Madii Michae, Joannis Dabbrali judicum; Duimus archidiaconus et sindicus capituli Spalat. et ipsum capitulum, ac Georgius abbas monasterii s. Stephani et Alferius abbas s. Mariae de Solta et Stana abbatissa monasterii s. Benedicti, ac universus clerus civitatis unaniniter ab archiepiscopo taliter appellandum duxerunt: Cum se omnes in omnibus suis juribus et causis per predictum archiepiscopum communiter et specialiter aggravatos sentiunt, et in multis inepte et furiose procedere cognoscunt contra Deum et statuta sanctorum patrum, statuerunt, quod si per aliqnam sententiam vel per aliquod mandatum injuste procederet ad sedem apostolicam in scriptis unamiter apellari velint contra eum. Actum in palatio archiepiscopi, praesente ipso archiepiscopo et ibidem astante et apelationem diligenter ascultante, et praesentibus nobilibus viris Camurtio Petri, Martino Simonis, Thomasio Dusazzae, Gaudio Calendi et aliis. Lucas canonicus et juratus scripsit.

Ex archivo aulico Vindobonensi. Coll. Spalat. XVI. 126.

MCCCXXX. **Venetiis.** *1282. 27. Septembris.* Cum Bogdanus Petielebo vel frater ejus vadat cursizando juxta partes Farrae et Brazzae cum duobus lignis armatis sicut dicitur, capta fuit pars maioris consilli, quod pro securitate euntium vel redeuntium per partes illas concedatur Andreae de Molino ituro pro potestate ad illas insulas unum lignum a remis octuaginta, et habeat tres libras grossorum a communi et ipse debeat ire ad suas expensas; lignum autem debet remanere ibi ad expensas hominum de Insulis.

Ljubić: Mon. I. 133.

MCCCXXXI. *1282. 18. Octobris.* Capitulum ecclesiae Zagr. notificat, quod constitutis ab una parte Farcasio filio Jurk, nobile de Blyna et Henrico serviente nobilis viri Stephani bani, filii Stephani, nomine eiusdem domini sui ab altera, idem Farcasius confessus sit terram suam et fratrum suorum haereditarium Zuyunicha, consentientibus fratribus, propinquis et cognatis suis, sicut homo capituli Samson sacerdos de Blyna retulit, se vendidisse Stephano bano et haeredibus pro 50 marcis, singulas de quinque pensis denariorum banalium. Meta autem incipit a vinea Merk, contermina terrae abbatis de Toplica, vadit versus orientem per viam, et per varias metas ad aliam viam quae ducit in Zuynnicham. Transiens viam pervenit ad rivum in Zuiniche, cadens in eundem. Et vadit ad praedictam viam quae ducit in Zuynnicham, inde pervenit ad locum qui dicitur tumulus caninus, et procedens per eandem viam, transit vallem et rivum et venit ad pontem terreum, unde revertitur.
Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 209.

MCCCXXXII. *1282.* Ladislaus IV. rex notum facit, quod Emericus filius Athanas exhibuit ei privilegium capituli de Posega super possessione Paka concessum, petens ut eundem confirmare dignaretur. Cui petitioni rex annuit. Datum per manus mag. Bartholomaei aulae vicecancellarii.
Cod. dipl. patrius III. p. 35. A tergo: de Paka de comitatu Valko.

MCCCXXXIII. *1282.* Elisabeth maior regina Hung., ducissa totius Slavoniae, de Machov et de Bozna manifestat, quod a comite Benedicto filio comitis Iwanche, possessionem suam Podgoriam, quam a Mathia et Petro filiis Mortonos comparatam ad ius et proprietatem magnitudinis suae per concambium terrae suae Orboua (Vrbova) reciperat pro utilitate reginali, quae licet per collationem suam Thomae filio Cornelii et magistro Johanni filio Nicolai de genere Chak assignata extitisset, ipsam tamen ab eisdem ablatam et diutius conservatam ipsi comiti Benedicto in concambium praedictae possessionis Podgoria contulisset. Insupra recepit ab eodem comite ducentas marcas in argento. Et quia dominus rex filius suus per saevitiam quorumdam infidelium regni captus detinebatur, ipsa hinc inde quaerens subsidium, dictas ducentas marcas pro liberatione filii sui expendit, et sic possessionem Orboua tam ratione concambii quam titulo venditionis memorato Benedicto in perpetuum dimisit.
Ex actis per banum Khuen-Hederváry ex archivo regni ablatis N. R. A. 1511. Nr. 19. et Fasc. 1503. Nr. 23.

MCCCXXXIV. *1282.* Capitulum ecclesiae b. Petri de Posaga notum facit, quod magister Mathias filius Rolandi bani pro se et pro Ratholdo fratre suo confessus sit, quod licet primo possessiones suas Gologova et Pethna in comitatu de Posaga comiti Benedicto filio comitis Iwanchae pro 150 marcis impignorassent, tali modo: quod in termino assignato easdem redimere non possent, extunc duplo eiusdem summae subiacerent; qui cum in dicto termino solvere non potuissent, praedictas possessiones una cum turri sive castro et omnibus pertinentiis pro 400 marcis de argento et denariis comiti Benedicto vendidissent. Meta autem terrae incipit a parte meridionali in capite Babawelge inde ad Birh montis Motheck, abhinc per viam Keralva, dein ad puteum Detrichkuta, cadit in Pethna potok ubi commetatur terrae Burstian, inde per

varias metas ad terram Budimiri, usque metas terrae Golgova ad magnam viam per quam itur ad Posaga, per magnum spatium eundo cadit in fluvium Golgova in loco ubi rivulus Bukvarika cadit in ipsum fluvium, pervenit deinde ad magnam viam qua itur in Berezna, commetatur terrae filiorum Benedicti Poryk, pervenit ad montem Mothochech et rivulum ejusdem nominis, ad Babawelge.

Wenzel: Cod. dipl. Arp. XII. p. 375.

MCCCXXXV. *1282.* Abbas, totusque conventus ecclesiae b. Virginis Honestae vallis de Posaga declarant, quod magister Mathias filius Rolandi bani una cum Rothaldo fratre suo confessi sint suas possessiones Golgova et Pethna in comitatu de Posaga, comiti Benedicto filio comitis Iwancha pro quadringentis marcis argenti et denariorum vendidissent.

Wenzel: Cod. dipl. Arp. XII. p. 380.

MCCCXXXVI. *1282.* Capitulum Budensis ecclesiae manifestat, quod licet nobilis vir comes Kemin, filius comitis Benedicti de Pukur, frater videlicet Petri quondam bani, iuxta tenorem litterarum capituli dominabus seu sororibus s. Mariae Virginis de Insula occasione dotis et rerum parafernalium nobilis dominae relictae comitis Abrae, ratione cuius dotis eaedem sorores possesionem Pukur (Pakrac) coram Ladislao rege impetebant, quadraginta marcas, singulas cum quinque pensis denariorum banalium computando; item comes Paulus frater eiusdem comitis Kemin ratione destructionis villae earundem sororum, Samud vocatae, 12 boves eisdem sororibus solvere debuissent, tamen idem comes Kemin pro se et pro Nicolao ac Laurentio filio eiusdem Petri bani, fratris sui, comparendo ipsas 40 marcas, et Paulus frater dictos 12 boves in terminis ad solvendum assumptis, fratri Paulo converso ordini fratrum Praedicatorum generali procuratori ipsarum sororum, comiti Michaeli officiali earundem, nomine monasterii solverunt, quare ipsa possessio Pukur ab omni impetitione et vexatione absoluta remanet. Praeterea frater Paulus et comes Michael restituerunt comiti Kemin omnia instrumenta et privilegia respicientia possessionem Pukur.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. 365.

MCCCXXXVII. **Tragurii.** *1283. 11. Januarii.* Temporibus Ladislai IV. regis, Gregorii Traguriensis episcopi et Francisci Faletri de Venetiis, potestatis Traguriensis. Idem Franciscus potestas notum facit, quod olim pluries per nuntios et litteras speciales potestati et communi de Spalato ex parte civit. Trag. transmissum extitit ut amicabiliter lignum et res alias Vulcignae civi suo restitui faciant; quod et quas Spalatenses capi fecerant indebite. Sed illi detinent lignum et res dictas porro quoque contra Deum et homines. Unde volentes Traguriensis civem suum in iuribus suis manutenere, deliberant et licentiam tribuunt Vulcignae ut super bonis Spalatensium ubicumque invenirentur repressalia facere debeat, et sibi satisfieri de libris mille denariorum parvorum veneticorum. Actum praesentibus Dessa Amblasii, Silvestro de Mengaz, Georgeo Gudimeri et aliis ac Nicolao Casoeti examinatore.

Lucius: Mem. di Trau, p. 113.

MCCCXXXVIII. **Posegae.** *1283 13. Januarii.* Elisabetha regina Hungariae, ducissa totius Slavoniae de Machov et de Bozna, suis fidelibus comitibus de

Wolkov et maiori jobagionum castri et maiori exercitus et universis jobagionibus eiusdem comitatus communicat, quod cum terras Scelepche et Eýdevolu in comitatu de Volkov sitas, quas rex Ladislaus filius eius in concambium terrae Anyas iuxta monasterium Zeer, Johanni Adriano et Isip filiis Isip dedisset et contulisset, mandat ut eosdem in dictis terris non molestent.

Cod. dipl. patrius VI. p. 688. Ex archivo comitum Festetić.

MCCCXXXIX. **Venetiis** *1283. 2. Martii.* Per consilium majus iniungitur Friderico et Petro comitibus Veglae, ut persolvant debitum de regaliis filiis Laurentii Tiepolo quondam ducis.

Ljubić: Mon. I. p. 134.

MCCCXL. **Jaderae.** *1283. 29. Martii.* Temporibus Joannis Danduli, ducis Venetiarum, magistri Laurentii, archiepiscopi Jadrensis, Gabrielis Michaelis comitis, cum Fridericus Crisogoni de Mauro, Bartholomaeus de Saladini et Bivaldus de Batono, cives Jadrenses, essent iudices examinatores, venit Dominicus Slogodina conquerens, quod Dessin Stricha intravit in eius curiam quae est Jadrae in confinio Babarum cum suo pariete, unde petebat eum cum suo pariete a domo sua removere; e contra asseruit Dessin Strica quod eius curiam non intraverit sed sicut emit domum et locum a Marino Stumulo ita nunc tenet. Hoc ipsum confirmavit dictus Marinus Stumulus et ejus venditor Marinus de Stance. Judices inhibuerunt dictum Dessinum quocumque modo intrare domum et locum Dominici, et dederunt super sententiae diffinitionem pristaldum Maurum, filium Volcinae de Sagatisa civem Jadrensem et tribunum, qui hoc breviarium fieri fecit coram testibus Petro Zupanio et . . . ta Subina Jadrensibus at aliis. Bartholomaeus Saladini examinator manum misit. Vincentius s. Stephani presbiter Jadr. notarius scripsit.

Ex meis miscellaneis dalmaticis antiquae collectionis.

MCCCXLI. **Ragusii**. *1283. 10. Aprilis.* Ragusino capitulo congregato in sala archiepiscopali nec non clero civitatis ejusdem, occasione cuiusdam dilapidationis factae in die Resurrectionis dominicae post vesperas contra domum archiepiscopi Bonaventurae et contra ipsum et ejusdem familiam, praeceptum fuit omnibus capituli praedicti et cleri ecclesiasticis et presbiteris sub excommunicationis poena, quod super inquisitione praedicta et super quibus interrogati fuerint puram debeant dicere veritatem. Convocatus fuit etiam in praesentiam capituli et cleri subdiaconus Joannes de Prodanello, qui dicebatur concitator dictae delapidationis fuisse. Qui sub juramento declaravit, quod in illo rumore audivit a quibusdam, quod consanguinei sui fuerant percussi et tunc ipse dixit ista verba: „Ista non sunt ultra sustinenda quod familia d. archiepiscopi percutiat cives nostros, et quod ipsi d. archiepiscopo non erant sustinenda talia. Dicens etiam, quod non fecerat quartam partem malorum quod debuerat fecisse“ et haec dixit in pleno capitulo ad sonitum campanae, ut moris est. Jurati testes contra Prodanellum fuerunt: Antonius de Gaioppa, Bassarius de Ballislava, Clemens de Gangulo, Vitalis de Prodazio, clericus Blasius de Surco, Nicephorus de Ranana, Nicola de Crossio, qui omnes attestarunt quod Prodanellus incitaverit publice populum contra archiepiscopum ad lapidandum tam eum quam ejus familiam, vocitando inter caetera et minando archiepiscopo: Illum rusticum ego faciam lapidare. (Die Martis 18.

Aprilis 1284. idem subdiaconus Johannes de Prodanello juravit praeceptatus d. arhiepiscopi et S. Romanae ecclesiae et difidens de jure suo, posuit se in manibus eiusdem in alto et basso, et quod condemnaret et absolveret eundem secundum quod eidem placebit et secundum (quod) videbitur expedire. Praesente capitulo Rhacusino congregato. Et ita archiepiscopus attestationes praedictas fecit legitime publicari. Prodanellum autem excommunicari cum praecepto, quod Romanam curiam personaliter debeat visitare, reservato arbitrio maioris condemnationis. Antonius de Carletis civis Banormitanus juratus notarius scripsit.)

Ex mea collectione documentorum.

MCCCXLII. *1283. 25. Maii.* Ladislaus IV. rex, notum facit, quod cum Petrus banus totius Slavoniae, filius comitis Benedicti, magistri pincernarum, a temporibus suae adolescentiae, avo eius et Stephano patri regibus ac ipso regi devota servitia praestiterit, ex quibus vult notari, quod cum civitas Tyrnensis regi in aetate tenera constituto se a servitio eius retrahere, et regi Bohemiae tradare voluit, eidem Petro bano in expugnatione eiusdem viriliter dimicando duo dentes per emissionem sagittae adversae partis avulsi erant. Item cum misisset Joachimum tunc banum una cum eodem Petro ad coercendas seu compescendas ferocitates Croaticae gentis, qui elata obstinatione contra regiae Maiestatis culmen cum quibusdam (nobilibus) fortiter insurrexissent, idem Petrus banus in adversam irruens aciem dira et immania (facta gessit), dum inter caeteros aliquis Finta filius David cum suis complicibus regiae voluntati contraire non pavescens, (certum castrum occupavit), idem Petrus in ipsius castri expugnatione. adeo se militaribus actibus inmiscuit, quod per multitudinem lapidum (depressus) ab area certaminis extitit exportatus. Tandem in expugnatione castri Jaurinensis per Teutonicos occupati, strenue se opponens, gravia accepit vulnera. Pro quibus servitiis rex ei possessionem et castrum Garig ab eo indebite alienatum reddidit et donavit.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. 386.

MCCCXLIII. *1283. 29. Maii.* Ladislaus IV. rex manifestat, quod nobilis vir Dominicus de Wlko, filius Petri de genere Chak, exhibuit ei privilegia regum Belae IV. avi et Stephani genitoris sui, super omnibus donationibus ei factis, specialiter autem super possessione Ypoliti nepotis Mohar vulgariter Mohar unukaya vocati, in qua possessione ex parte orientis in villa Wylok vocata ad honorem OO. Sanctorum, et ex parte occidentis ad honorem b. Thomae apostoli in commetaneitate possessionis Gara, ecclesiae lapideae essent constructae, petens a rege ut eadem suis litteris privilegialibus confirmaret. In quibus etiam compertum fuit, possessionem ipsius Ypoliti Wylok pro annunciatone gaudii nativitatis regis Ladislai, per regem Belam avum suum ipsi magistro Dominico datam fuisse. Rex igitur eandem donationem ratificavit et approbavit. Datum per manus Thomae episcopi Vaciensis, aulae vicecancellarii.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. III. p. 150.

MCCCXLIV. **Klobučić.** *1283. 29. Junii.* Tempore Ladislai IV. regis, Gregorii episcopi Traguriensis et Francisci Falerii de Venetiis, potestatis Trag., praesentibus . . . . qui dicitur Elga . . . . et Martino de Jadra et aliis Gregorius

olim abbas monasterii s. Joannis de Tragurio, actor et procurator communis Tragur. protestatus est in praesentia domini bani Pauli fratrumque suorum, et aliorum multorum nobilium et magistratuum Slavoniae ibidem praesentium, super facto vero Spalatensium et Sibenicensium, quod tam per mare, quam per terram ipsae communitates cum exercitu et armata manu hostiliter veniebant et civitatem Tragurium offendere intendebant, nulla rationabili causa interveniente, quia civitas semper fuit, et est, et esse vult in ea pace, quam olim nobiles viri (iudices arbitri . . .) de Jadra sententiaverunt. Et quia ad hanc protestationem civitates Spalatensis et Sibenicensis breviter responderunt dicto Gregorio, quod nullam pacem neque pactum appositum cum Traguriuis attendere nec observare velint, imo odium et guerram volunt, interpellavit dictus Gregorius d. regem, ad cautelam dicti communis Traguriensis fecit publice hanc protestationem. Albertus quondam Millani de Padua domini Petri Canis notarius interfuit et scripsit.

Lucius: Mem. di Trau. p. 114.

MCCCXLV. **Tragurii.** *1283. 3. Julii.* Temporibus Ladislai IV. regis, Gregorii episcopi Traguriensis, Francisci de Faletris potestatis, Stanus de Varicas de Jadra, Damianus filius eius et Simon de . . . . ., Michael de Clemente de Jadra, Damianus de Pr . . . . de Jadra, Creste filius Prodani de Arbo, Raineriis filius Petri de Cega, Qualissa (Hvalissa) Mathaei de Jadra, et Dessa de Ywan de Jadra testificati sunt, quod viderint Spalatenses et Sibenicenses venire per mare et homines equestres de Spalato cum eorum lignis et barchis et descendere cum exercitu magno et cum vexilis elevatis hostiliter in terram et venire in campum Traguriensem, ubi inciderunt et destruxerunt omnes arbores et vineas cuiuscunque generis, et posuerunt ignem et per duas dies plus guasti fecerunt in campis et vineis Traguriensibus, metentes etiam bladum et omne malum quod facere potuerunt. Unde ad cautelam communis Trag. factum est exinde hoc publicum scriptum testimoniale. Actum presente Nicolao de Venetiis milite d. potestatis, Magistro Marino Giurgino de Jadra, Adamo Salmaris, Alberto de Padua tabellione, Simone q. Marini comitis, Mathaeo de Paschae camerario, et aliis. Dessa Duymi et Nicolao Kasotto examinatoribus. Nicolaus Casotto manum misit. Santonus Tragur. notarius scripsit.

Lucius: Mem. di Trau. p. 114.

MCCCXLVI. **Zagrabiae.** *1283. 27. Julii.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notificat, quod venientibus personaliter ab una parte Radoslao comite, filio Stephani comitis, filii condam Baboneg, ab altera vero Herga, Began et Junislav filii Bratoslav et Stavlen filius Radoslai de generatione inferioris Jamnicha pro se et pro tota generatione ipsorum confessi sint, quod cum ipsi praesidii seu tuitionis solatio propter paucitatem ipsorum indigerent, praefatum comitem Radoslaum receperint eum et successores eius in protectores et defensores suos speciales, conferentes ei praetextu tuicionis huiusmodi quandam portionem possessionis haereditariae in inferiori Jamnicha cum omnibus proventibus et utilitatibus .Radoslaus autem comes promisit eos in omni necessitate eorum defendere et pro posse tueri, illaesa eorum libera nobilitate.

Ex transumpto bani Ladislai Egervary de a. 1493 in archivo comitis Lad. de Blagay. Nr. 109. Rad. Lopašić. — Wenzel. Cod. dipl. IX. p. 367.

MCCCXVII. *1283. 14. Augusti.* Tymothaeus episcopus Zagrabiensis significat, quod nobiles viri comes Petrus de Monozlo ab una parte et comes Stephanus pro se et fratre suo Thoma coram eo constituti, protestati sint super dannis et injuriis, occisionibus hominum, mutilacionibus membrorum, vulneribus ac destructionibus possessionum, captionibus de personis propriis Petri videlicet et Stephani ac aliis inimicitiis hinc inde exortis, spontanea et unanimi voluntate in plenam se pacis unionem devenisse. Thomas etiam supradictus coram capitulo Chasmensi praesentis pacis ordinationi suum consensum tribuit, prout ex litteris capituli patet. Praestiterunt etiam sacramentum quod omnia pacta pacis inviolabiliter observabunt, et si quis in futurum eam malitiose violaret, incidet in poenam amissionis omnium bonorum suorum mobilium et immobilium, tam in Hungaria quam in Slavonia sine aliquo strepitu judicii. Incidet etiam pars non observantis in sententiam excommunicationis. Hanc etiam pacis unionem voluerunt praedicti nobiles ad cognatos suos Laurentium et Egidium filios . . . extendi. Litteras autem roboravit episcopus sigillo suo, Capitulorum Zagrabiensis et Chasmensis eccl. et Nicolai bani filii Stephani.

Cod. dipl. patrius. T. VII. p. 170. Ex croat. archivo comitum Erdödy Galgoczam ablato.

MCCCXLVIII. **Venetiis**. *1283. 18. Augusti.* Per consilium majus praecipitur comiti ligni Quanarii et comiti ligni Umagi, ut in continenti debeant ire ad succurrendum capitaneo terrae Almisii et intendere ad Andream Dandulo capetaneum ibi et ei obedire. Item missae sunt litterae omnibus comitatibus et capitaneo Galleorum, ut occasione novorum, quae habentur de Almisio, faciant viam illuc et dent adiutorium.

Ljubić: Mon. I. p. 135.

MCCCXLIX. **Venetiis**. *1283. 5. Octobris.* Confirmatur per ducem Jo. Dandulo concordia facta inter dominum Marinum Maurocenum comitem Chersi et Absari et homines insulae Chersi per dominos Michaelem Doro et Marcum Bembo. Testes: Budissa et eius nepotes et fratres, Cerna Permani, Balva, et Androsus omnes de Absaro; Bassigna, Bochigna, Bartolus Jo. del Visconte et Petrus Regina de Chersio.

Wenzel: Cod. dipl. Arp. XII. 395.

MCCCL. *In* **Pukur**. *1283. 29. Octobris.* Petrus banus totius Slavoniae comes de Barana et de Gyrzinch (Gersenche), et Keminus, filii comitis Benedicti, significant, quod cum illi terram suam haereditariam in Thoplicha existentem fideli servienti suo Benedicto comiti filio Job ob merita servitiorum suorum et fratris Nicolai, qui in eorum servitiis de medio sublatus fuerit, eidem B. dictam terram Thoplicha cum omnibus pertinentiis contulerint. Meta autem incipit de aqua Thoplica, currit per metas arboreas, montes et valles ad dumos avellanarum, inde ad dumos gumulcyn, ibi transit montem per longam metam terream, et cadit ad aquam Dubouch — per longum spatium ad dumos nemorum ad viam angularem, separatur a terra Gulad, vadit per unam planiciem ad vallem Poduzna, et per aquam Dubouch descendit in aquam Thoplicha, quae separat a filiis Tholyneg ubi terminatur.

Wenzel: Cod. dipl. Arp. XII. p. 399.

MCCCLI. *In* **Vereuce.** *1283. 19. Novembris.* Elisabeth maior regina Hungariae notum facit, quod licet decimas liberarum villarum de Verence et Lypoa ac totius comitatus de Vereuce, tam frugum, vini, tam marturinarum, tributorum fororum et portuum suis temporibus percepisset, credens ipsas decimas ad eam pertinere, licet per Tymothaeum episcopum Zagr. super restitutione fuisset saepius requisita, nec ei acquievisset usque ad haec tempora, quia tamen comperta veritate constitit ei per viros religiosos quam etiam laicos dictas decimas ad ius episcopi Zagr. pertinere, reddidit easdem decimas eidem episcopo et eius ecclesiae.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 210.

MCCCLII. **Zagrabiae.** *1283. 30. Novembris.* Capitulum ecclesiae Zagr. significat, quod nobili viro comite Iwan filio Jarozlai pro se et filio suo nomine Iwan adhuc in tenera aetate constituto ab una parte, et Pousa serviente comitis Radoslai, filii comitis Stephani, ac Jacobo magistro notariorum eiusdem vice et nomine ipsius domini sui, ab altera personaliter constitutis, idem comes Iwan confessus sit viva voce se castrum suum Lypouch vocatum cum omnibus possessionibus suis propter guerram dinturni et impacati temporis desolatis et habitatoribus suis destitutis, cum terris empticiis Plesiuicha et Braslavla, item donativis Bregana, Prilepi, Raztoca, et Kulkedfeldi nominatis cum omnibus pertinentiis et cavernis glirium vulgo Pussina (Puhšina) dictis, vendidisse praefato comiti Radoslao et suis haeredibus pro centum et quinquaginta marcis denariorum Zagrabiensium, quorum singulae quinque pensae marcam tunc temporis faciebant. Inter metas dictarum terrarum, quas magister Manfredus, archidiaconus de Guerche canonicus Zagr. reambulavit, prima meta est in capite aquae Bregana iuxta terras nobilium de genere Priba, inde vallis Thopina draga, et alia vallis Lomnicha draga, inde locus ubi quondam Rozeh habuit mansionem, et ascendit montem Dragonez, et venit ad lacum Jezero et supra montem Dragonce ad terras nobilium de genere Priba semper ad meridiem remanentes, ubi eae conterminantur terris jobagionum castri de Podgora. Demum descendendo in vallem ascendit in montem Vranidol, ad meridiem conjungitur terrae Nicolai Cherne, venit ad gymulchin, descendit ad fluvium Reka et exit versus septemtrionem, deinde penes rivulum Dolchina ascendit ad arbores nucis et brekina. Descendit ad fluvium Zeralin et ascendit montem Ravnivrh, conterminatur terrae Wlkonog filii Vrban et vadit ad montem Chucoagoricha, inde per montem et viam antiquam vadit ad locum Poganeniue et per eandem viam venit ad puteum Zamar et ad montem Precope inde ad locum Vratzcha, descendit ad rivulum Pissech, et cadit in fluvium Gradnicha, venit ad puteum Bela Studenech. Ad orientem conterminatur terrae Domah et suorum proximorum, jobagionum castri de Oelich. Inde per quandam viam ad septemtrionem venit ad Kamenna goricha. In oriente conterminatur terris de Zamobor, venit ad vallem Machla et ad fluvium Gradnicha et transiens rivulum Cernechech ascendit iuxta montem Chernch versus occidentem, et venit ad montem Pozorin et ad terram fratris Reketie iuxta aquam Gradna, ascendit montem Vorah versus septemtrionem et venit ad caput aquae Biztrech, descendit in aquam Bregana et cadit in fluvium Zaua, et vadit superius ubi aqua Bregana quondam cadebat in Zaua prope ecclesiam beate Elenae, quadam insula Corraray filii Radizla salvo iure remanente. Astiterunt autem persona-

liter universi proximi praefati comitis Iwan, videlicet Petrus: filius Herene, Jacobus filius Berizlai, Andreas filius Petus, Philippus filius Thomae, Berislaus, Henricus, Iwan et Paulus filii Vinter, qui venditionem ratam admiserunt. Praeterea vicini et commetanei, Mico filius Cherne, Andreas filius Voin de genera Priba, Farcassius filius Petrus, Zaladin filius Dragan, Wlkovoy filius Vrban, Peter filius Petrona, et Tholk ac Mare jobagiones castri de Podgoria. Item Domak, Obranus et Farcasius jobagiones castri de Oclich in limitationibus et cursibus distinquendis convocati.

Orig. in Membrana, in archivo comitis Lad. Blagay. N. 9.

MCCLIII. *1283. 21. Decembris.* Ladislaus IV. rex notificat, quod cum Zaheus filius Adriani de partibus Slavoniae inter intestina proelia et hostes congestos nocumenta, maleficia et spolia plurima commisisset, ut quasi promiscuorum maleficiorum perpetracio inter alias maliciae actores sibi nequeat specialiter inputari; in exaggerationem etiam suae iniquitatis et nequitiae, praeter indictum praeceptum regium, imo potius contra edictum ad obsidendum et expugnandum ac optinendum castrum comitis Germani, et fratrum suorum fidelium regis, suo motu proprio elevato temerarie vexillo, tam inhumaniter cum suis complicibus processisset, ibique inter consertos et deffendentium manus suae perniciositatis noxiis obligatus, sicut meruit fuerat interhemptus sine solatio haeredum, sicque omnibus eius bonis et possessionibus de iure ad manus regias devolutis, rex ergo universas possessiones dicti Zahey nec non servos et ancillas patri Thomae episcopo vaciens', dominae reginae consortis suae cancellario, et fratribus suis Cristoforo comiti, Johanni et Stephano ac haeredibus suis donavit et per comitem Inus hominem regium sub testimonio Chasmensis capituli fecit introduci. Datum per manus mag. Bartholomei, praepositi de Scepus aulae vicecancellarii.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arp. IX. 350.

MCCLIV. *1283.* Ladislaus IV. rex divisionem bonorum magistri Rorandi et Desew filii Lenstachii, Dominici et Ladislai filii Stephani, Reynoldi et Nicolai filii Olyverii de genere Ratold, protestantium contra magistrum Mathaeum filium Rorandi bani qua dissipatorem et alienatorem possessionum suarum, pro bono pacis et amicitiae ratam habet.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. III. p. 174.

MCCLV. *1283.* Ladislaus IV. rex divisionales inter successores familiae Ratold, inter quos etiam Mathias filius Rolandi bani qua dissipator possessionum suarum occurit, rati habet. Fuerunt hae possessiones in Borsodiensi, Gomoriensi, Simigiensi, Vesprimiensi, Sabolchensi, Zemplinicensi, Byhoriensi, Posoniensi et Pestiensi comitatibus Hungariae. Item in comitatu de Posega, et castrum Nagy-Kemluk, ac inter fluvios Dravam et Savam in Slavonia. (Confer nr. MCCLIV.)

Fejer: Cod. dipl. T. VII. vol. II. p. 99.

MCCLVI. *1283.* Ladislaus IV. rex dat pro memoria, quod comes Benedictus filius comitis Iwance exhibuerit privilegium matris ejus reginae Elisabethae, ducissae totius Slavoniae, de Machov et de Bozna super concambio possessionis suae Podgoria, quam a Mathia et Petro filiis Mortunus comparaverat pro terra Vrbua, cum litteris per patrem Pouce, episcopum Sirmi-

ensem aulae cancellarium a. 1282. extradatis, peracto. Quod privilegium rex confirmat. Datum per magistrum Bartholomaeum, praepositum s. Martini de Scepes aulae vicecancellarium.

Ex actis per banum Khuen-Hederváry ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 1503. N. 23.

MCCCLVII. *1283.* **Elisabetha** regina donat terram Vrboa seu Orbova, quam illa licet alias Thomae filio Cornelii et Joanni filio Nicolai de genere Chak contulisset, postea tamen ab iis receperat pro comite Benedicto filio Joance et eius haeredibus, tum in concambium possessionis ipsius Podgorja, quam a Mathia et Petro filiis Mortunus comparavit, cum etiam erga superadditas et in Ladislai regis filii sui e quorundam infidelium captivitate redemptionem conversas 200 marcas, iure perpetuo concessae. Anno vero 1283 per dictum regem Ladislaum pro eodem Benedicto confirmatae.

Ex transumpto capituli b. Petri de Posega pro Joanne filio Simonis de Welika a. 1370. confecto. Ex archivo regni Cr. per banum Khuen-Hederváry ablato.

MCCCLVIII. *1283.* Frater Dominicus, magister hospitalis et totus conventus Cruciferorum s. regis Stephani de Strigonio notificant, quod nobilis vir magister Thomas filius Petri de genere Bancha, nepos Stephani Cardinalis, nomine suo et discreti viri Vrbazi praepositi ecclesiae s. Petri de Posega fratris sui confessus sit terras et possessiones suas Furmd vocatas, partim in comitatu Borsodiensi partim Strigoniensi situatas dedisse in concambium Lodomerio archiepiscopo Strigoniensi pro terris in Susol, Lovcha et Poroztolmuk.

Wenzel: Cod. dipl. Arp. IX. 368.

MCCCLIX. *Sub castro* **Perestian.** *1284. 6. Februarii.* Ladislaus rex significat, quod Stephano et fratribus suis, filiis comitis Opoy, hanc duxit gratiam faciendam, quod si dictum comitem Opoy, fratrem eorum, possessiones suas qualicumque modo alienare contigerit, portio eorundem filiorum suorum semper salva permaneat et illaesa.

Orig. in parva cartula perg. in mea collectione.

MCCCLX. **Scardonae.** *1284. 11. Februarii.* Capitulum cath. ecclesia b. M. virginis de Sardona significat, quod nobiles viri civitatis Scardonae videlicet: Lubavac filius condam Bartodruzzi, Cosmas et Michael filii condam Dobrosii cognomento Tvardouh, Pribinus et Bosanus, Berislavus, Dominicus, Laurentius et Zune pro parte sua et omnium civium Scardonensium, pro parte vero altera nobiles viri Purthio condam Stressimeri in persona d. Bani Pauli tamquam per pactum pro eo quod dictae civitatis cives tenebantur ad castrum Scardonae in quibusdam servitiis, videlicet vigilias seu custodias servare, vineas et terras colere, et aquam portare, itinera et alia servitia consveta facere, his et aliis cupientes absolvi et esse liberi et frui libertatibus civilibus, convenerint cum bano et se obligaverint eidem annuatim et in perpetuum solvere duo millia librarum, et pro pedagio portarum civitatis, pro piscaria, pro macello et pro arboragio portus et pro transitu barchanei libras 600 venetorum parvorum. Item iidem obligaverint se in perpetuum facere conducere monasterio s. Elisabethae santimonialium, ubi deget d. Stanislava soror dicti d. Pauli bani, et hoc pro necessitate dictarum dominarum et capellanorum

eorundem, in lignis quatuor vicibus in anno, omni vice quatuor barcas vulgariter dictas Bastassizzas, facta tamen prius satisfactione dictae civitatis civibus videlicet Wladislavo filio Petri, Stoyslavo et Lucae, filiorumque Berizei et comiti per d. Paulum banum pro quibusdam territoriis, silvis et campis, pratis, aquis et quas eidem cives vendiderunt dicto d. Paulo bano et consorti suae d. Ursae Banissae pro tribus millibus librarum. Quod si dicti cives aliud fecerint vel essent ausi contraire dictae compositioni, obligaverunt se duplum solvere et ad pristina servitia redire. Praesentes fuerunt Damianus, episcopus Scardonensis et viri nobiles: comes Neliptius, filius condam Georgii, comes Budislavus Corbaviensis, filius condam Curiaci et alii quam plures.

Lucius: De regnis Dalm. et Croat. Lib. IV. cap. XIII.

MCCCLXI. *1281. 14. Februarii.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notificat, quod Pribk, filio Priba, de genere Priba ab una parte et magistro Jacobo notario nobilis viri comitis Radizlai filii Stephani vice ac nomine eiusdem domini sui ex altera parte, personaliter constitutis, idem Pribk confesus sit: quod cum Wlkouoy proximus suus, videlicet frater patris sui, captivitate theutonicorum tempore Durnolchar quondam capitanei de Carintya incidisset, et per Dionysium banum bonae memoriae fratrem praefati comitis Radizlai, de eadem captivitate pro quinquaginta marcis fini argenti liberatus fuisset, pro quibus etiam memoratus Wlkovoy universas terras suas haereditarias et emptitias postmodum fratri eiusdem comitis Radizlai obligaverat, et ad praesens idem Pribk inopia sibi adimente facultate persolvendi praedictam pecuniam, memoratas terras proximi sui praememorati redimere non valeret, nihilominus recipiens satisfactionem domino comiti Radizlao, terras suas Ruzindol et Toplicha, existentes in Podgorja titulo venditionis legitimae, condigna aestimatione nobilium regni, praefato comiti R. tradidit pro 50 marcis fini argenti, septuaginta marcarum denariorum banalium facientibus, cum tunc singula marca septem pensas monetae valuisset. Terram autem Ruscindol habitatoribus destitutam pro 45 marcis, terram vero Thoplicha pro viginti quinque marcis per nobiles regni aestimatas. Retulit etiam dictus Pribk, quod litteras seu instrumenta quas habebat super iure dictarum terrarum in combustione civitatis Grecensis amisisset, unde si forte repertae fuerint, illas cassas et nullius valoris esse declaravit. Metarum terrae Ruscindol sicut magister Gregorius archidiaconus de Bekchin retulit, prima incipit in loco ubi sunt tres monticuli, ubi est via publica, quae vulgariter Clanch dicitur, ab occidente comitatur terrae Mark filii Zlavina et Alexandri filii Obroni. Procedit porro inter vallem Ruscin et vallem Buzan et pervenit ad terram Descen filii Velezlao et per quandam viam antiquam ad metam ubi sunt spinae gymulchin vocatae, ab occidente terra Descenmark, Alexandri Gregorii filii Dibk, Boris filii Loicha, ad septemtrionem terrae Wlkoy filii Vrban et Tolk filii Tolizlao et pervenit ad fluvium Ruscinpotok et superius pervenit ad fluvium seu vinculum cuiusdam fluvii Dank potoka. Per longum spatium venit ad pedem montis magni Precopa vocati, et per scissuras et cacumina montis venit ad terram filiorum Radomiry, et per varias metas tendit ad viam antiquam iuxta terram filiorum Radomiri praedicti et venit ad monticulum rotundum ubi est meta terrea angularis et ibi commetatur terrae generationis Varatimiri, et ad quasdam fruticees spinarum Chypke vocatas, ubi est fons exiliens et transcurrens, et per

cursum eiusdem fluvii cometatur terrae Alexandri filii Obrani et per longum spatium cadit in alium fluvium Lasconech ubi sunt dumi avellanarum, a sinistris terra generationum Varatimirichi et per longum spacium cadit in fluvium Rufoin et per varias metas ad primam. Terrae autem Thoplicha in Podgorya incipit meta super aquam Thoplicha, ubi coniungitur aqua Rascha, declinans in portu, venit ad viam; ascendens in montem Vidona goricha ubi a meridie commetatur terrae Bogdan et Dragos filiorum Radizlai, et tendit ad promontorium eiusdem montis et a meridie commetatur terrae comitis Radizlai, quam comparavit a Vechedrag de Rascha, et pervenit ad quemdam montem, et versus aquilonem descendit in vallem ad fluvium Rascha. Transiens fluvium vadit ad montem Gazlicha, et super alium montem nemorosum et per longum spacium ad lapidem rubrum, vulgariter caruaui Kamen dictum. Et versus orientem ad quandam viam magnam, et per longum spatium descendit in vallem, et pervenit ad fluvium Zyuin et directe procedens cadit in aquam Thoplicha et per eandem procedens, revertitur ad angulum primum, ubi aqua Rascha cadit in aquam Thoplicha et sic terminatur cursus metarum. Reambulationi huic astiterunt personaliter vicini et commetanei: Alexander filius Obrani, Leuk filius Velezlao, Mark filius Cherk et Byta filius Thordosa de genere Varatimirichi et Wlkoy filius Vrban jobagiones castri de Podgorya pro universis proximis et cognatis qui venditionem consensu suo ratificarunt.

Originale Doc. in magna carta pergamenea in mea collectione.

MCCCLXII. **Ragusii.** *1284. 18. Aprilis.* Frater Bonaventura archiepiscopus Ragusinus in praesentia capituli in sala archiepiscopali subdiacono Junio de Prodanello praecepit sub poena excommunicationis, ut usque ad diem Jovis proxime venturum satisfaciat archiepiscopo plenarie de centum yperperis sicut in sententia lata per eundem continetur, scilicet 50 de bonis pignoribus, et 50 de fideiussionibus valentibus. Antonius de Carletis civis Parmensis archiepiscopi notarius scripsit. Termino praedicto petiit dictus Junio veniam et misericordiam ab archiepiscopo coram congregato capitulo et petiit promulgationem termini. (Tandem die 17. Octobris eiusdem anni in praesentia d. Michaelis Mauroceni comitis Ragusii, Martini et Nicolai suorum militum, Antonii de Gaioppa clerici, Vitalis Bodatiae, Clementis de Gangulo, Vrsacii de Gleda canonicorum Ragusinorum, Pascae Volentis, Junii de Crosio, Luchari de Fuscho, Grubossae de Ranana, Ursacii de Ceriva, Palmae de Binzola, Laurentii de Mencae, Marini de Pizagna, Zersi Savini Bondi, Paschalis Marinelli, Nicolai de Certello et aliorum multorum clericorum et laicorum in sala archiepiscopali cum archiepiscopus citari fecisset per presbyterum Pascum santisium maioris eccl. subdiaconum Joannem de Prodanello ut compareat coram eo, tandem comparuit in praesentia syndicorum omnium, et antequam archiepiscopus procederet ad sententiam dictus Joannes coepit petere veniam dicens, quod nulla ratione poterat dare pignora quinquaginta yperperorum in quibus condemnatus fuit per archiepiscopum nec etiam fidejussores de aliis 50 yperp. Tunc archiepiscopus inclinatus praecibus d. comitis et aliorum laicorum et clericorum accepto a Joanne juramento quod nullo modo dictos yperperos aquirere poterat recepit ab eo fideiussorem Petrum de Scillo canonicum Ragus. de 50 yperperis et de aliis absolvit eum.)

Ex Bullario Ragusino Ml. p. 436.

MCCCLXIII. *In* **Potok**. *1284. 24. Maii.* Ladislaus IV. rex jubet matri suae Elisabeth reginae, ut terram Waska ab ecclesia Zagrabiensi inique occupatam, eidem restituat.

Farlati: Illyr. Sacr. T. V. p. 381.

MCCCLXIV. *1284. 30. Maii.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notificat, quod comite Petrus filio Petrilo, Coyano et Iwanus filiis Wlk, nobilibus de Bornovez ab una parte, Wlk filio Budur pro se, et Mileth filio Barnih fratris sui, Matia filio Odomizel pro se et Jakmin fratre suo, Iwan filio Wlkota, Georgio filio Goyan, Wlchey filio Oynamer pro se et Guerdona fratre suo, Dragan filio Chernech, Wlkoy filio Dobroslav pro se et Wlchik fratre suo similiter de Bornovez cognatis dictorum Coyan et Iwanus qui se sic esse et vocari asserebant, ab altera personaliter constitutis, idem Wlk et caeteri de parte sua confessi sint, quod terram ipsorum de Glyna cum omnibus pertinentiis vendiderint unanimiter praefatis comiti Petrus, Coyano et Ivanus pro sedecim marcis singulis cum quinque pensis denariorum banalium, excepta particula terrae in qua est monticulus situs inter rivum Lokauech et puteum Braik.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 1533. N. 6.

MCCCLXV. *1284. 30. Maii.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notificat, quod comes Petrus filius Petrilo ab una parte, Coyanus et Iwanus filii Wlk nobiles de Bornonch ab altera personaliter constituti retulerint, in terris suis de Glyna divissionem et in aliqua parte concambium fecisse, ita videlicet, quod comes Petrus terram suam Coyan et Iwanus eisdem Coyano et Iwanus, hi vero terram suam contignam terris comitis Petrus dederunt eidem comiti Petrus. Metae fuerunt, primo: locus ubi palus Prodor cadit in Glynam et exit ad quandam viam. Inde per eandem viam ad aliam paludem Mecinycha, inde per quandam viam quae ducit ad filios Radovanych et pervenit ad rivum Wlchi. Inde iuxta silvam filiorum Radovan ad quendam puteum. Inde per varias metas ad terram Abbatis, et terram Cruciferorum de Gora et terram de Bornoch ad primam metam.

Ex actis per banum Khuen-Hederváry ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 1533. N. 7.

MCCCLXVI. *In ecclesia S. Johanis de* **Duyno**. *1284. 31. Maii.* Albertus comes Goritiae ex una parte et Albertinus Mauroceno de Venetiis, nuncius, actor et procurator pro illustri domino Andrea dei gratia duce Slavoniae, nepote olim Andreae regis Ungariae, et nepote ipsius Mauroceni avunculi sui, contrahunt matrimonium pro eodem duce cum Clara filia comitis Alberti. Testes fuerunt pro comite Alberto nobiles viri Hugo de Duyno et Jacobus de Ragonia, et pro parte ducis supradictus Albertinus Mauroceno et Marinus Pasqualigo, qui invicem praestiterunt sacramentum juramenti ad altare s. Johannis, dare spem et operam pro posse, quod praedictum matrimonium legitime consumetur. Praesentibus Wolrico de Riffenbergh, Andrea de Peunia. Gebhardo de Eberstayn, Johanne Geno, Andrea Grusom, Bartholomio Gritti, Petro Mangono de Forlivio et aliis. Subscripserunt, Ottolinus de Justinopoli notarius et Marcus Siboto Imperialis notarius et ducalis aulae Venetae scriba.

Fejer: Cod. dipl. T. VII. vol. II. p. 111.

MCCCLXVII. *1284. 7. Junii.* Ladislaus IV. rex agnoscens, quod fundus existens ante ecclesiam s. regis cathedralem, in quo bani Slavoniae aliquando ex permissione episcopi zagrab. domos et descensum habere consveverant, fuerit et sit ipsius ecclesiae Zagrabiensis proprietas a fundatione antedictae ecclesiae. Ipsum fundum ad petitionem Timothaei episc. restituendum duxit ita, quod idem episcopus debeat ipsum fundum munire pro fratribus ecclesiae suae, ne per ipsum, cum desolatus remanserit a decem annis et citra, Teutonicis vel aliis inimicis loco Zagrabiensi aditus pateat ad nocendum. Datum per manus patris Thomae episcopi vaciensis aulae cancellarii.

Tkalčić: Mon. episc. zagrab. I. p. 211.

MCCCLXVIII. *1284. 7. Junii.* Ladislaus IV. rex notum facit, quod cum controversia exorta fuisset et aliquandiu ventilata inter d. reginam Elisabeth matrem suam ex parte una, et Thimothaeum episopum Zagr. ex altera super detentione decimarum de Vereuce et Lypova ac totius comitatum de Vereuce. Demum comperta veritate eadem regina dictas decimas episcopo restituit, cuius privilegium restitutionis rex confirmat ad petitionem dicti episcopi.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 212.

MCCCLXIX. *1284. 7. Junii.* Elisabetha regina Hungariae manifestat et confirmat, quod socrus eius Elisabetha regina restituerit episcopo Zagr. Thimotheo, decimas possessionum de Vereuce et Lypova et totius comitatus de Vereuce, mediante privilegio suo.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 214.

MCCCLXX. *1284. 7. Junii.* Ladislaus IV. rex ad petitionem Timothei episcopi Zagrabiensis, confirmat ei propter fidelitatem et ipsius grata obsequia exhibita indefesse donationem comitatus de Gersenche.

Tkalčić: Mon. episc. zagr. I. p. 215.

MCCCLXXI. *Apud urbem veterem. 1284. 13. Junii.* Martinus IV. papa mandat archiepiscopo Ragusino fratri Bonaventurae ut in vacantibus episcopatibus Tribuniensi et Stagnensi eius provinciae metropolico jure subiectis idoneas personas pro episcopis praeficiat.

Farlati: Illyr. Sacr. T. VI. p. 393.

MCCCLXXII. **Venetiis.** *1284. 3. Augusti.* Capta pars per maius consilium, cum homines Farrae et Brazae sint plurimum aggravati occasione guerrae Almisanorum, ita quod ad multam paupertatem sint redacti, conclusum ut ipsi non aggraventur nimis tollerabilibus expensis, et quod potestates eorum non debeant habere consiliarios, sed duos socios, qui sint Veneti, qui habebunt libras 30. et duas robas in anno.

Ljubić: Monumenta I. p. 138.

MCCCLXXIII. **Venetiis** *1284. 5. Augusti.* Mittitur Joannes Quirinus, qua commissarius ut a magistro militum Templi Hierosolimitani incasset 5200 libras titulo damni facti Veneticis, Veglensibus et Arbensibus civibus in civitate Segna olim tempore captionis et combustionis ipsius civitatis.

Ljubić: Mon. p. I. 130.

MCCCLXXIV. **Zagrabiae**. *1284. 21. Augusti.* Thimotheus episc. zagrab. in eccl. cathedrali consecrat altare in honorem b. v. Mariae.
Tkalčić: Mon. episc. I. p. 216.

MCCCLXXV. **Zolum.** *1284. 25. Augusti.* Ladislaus IV. rex confirmat Timotheo episcopo Zagrabiensi donationem castri Garich, quod a tempore coronationis suae conservationi eiusdem commiserat.
Farlati Illyr. Sacr. T. V. 380.

MCCCLXXVI. **Zegued.** *1284. 15. Septembris.* Ladislaus IV. rex, mandat universis nobilibus et cuiuscunque conditionis hominibus in Gerzentze existentibus, cum ille comitatum de Gersentze Timotheo episcopo zagr. sicut primitus ita et nunc cum plenitudine suae gratiae reliquerit, quatenus omnia jura et proventus ex parte dictorum comiti de Gersentze debitos et consvetos, officiali ipsius episc. sine diminutione dari faciant et persolvant eo modo, quemadmodum tempore Belae Ducis consveverant ministrare.
Fejer: Cod. dipl. R. N. T. V vol. III. p. 242.

MCCCLXXVII. **Ragusii.** *1284. 17. Octobris.* In presentia nobilium Michaelis Mauroceni comitis Ragusii, Marini et Nicolai suorum militum, Antonii de Gaioppa clerici, Vitalis Bodatii, Clementis de Gangulo, Ursacii de Gleda canonicorum Ragusii, Pascae Valcassii, Junii de Croseo, Luchari de Fuscho, Grubessae de Ranana, Vrsacii de Corena, Palmae de Binzolla, Laurentii de Mence, Marini de Pesagna, Zerzii Savini Bondi, Paschalis Marinelli, Nicolae de Cortello et aliorum clericorum et laicorum in sala archiepiscopali congregatis, cum Bonaventura archiescopus citari fecisset per praesbiterum Pascam sacristam ecclesiae Ragus. subdiaconum Joannem de Prodanello ad audiendam sententiam quam volebat ferre contra ipsum, qui tandem comparuit et petere coepit veniam dicens, quod nulla ratione poterat dare pignora 50 iperperorum in quibus condemnatus fuit per archiepiscopum, nec etiam fidejussores de aliis 50. Tunc predictus archiepiscopus ad preces comitis et aliorum Laicorum obtulit eidem Joanni juramentum, quo deposito recepit fidejussorem Petrum de Scillo canonicum Ragusinum de 50 iperperis, de aliis autem 50 eum absolvit. Antonius de Carletis civis Parmensis notarius archiepiscopi scripsit. (Confer nr. MCCCLXII.)
Farlati: Illyr. Sacr. T. VI. p. 117.

MCCCLXXVIII. *1284. 16. Novembris.* Capitulum Chasmensis ecclesiae significat, quod Johannes et Pousa filii comitis Pousa tam pro se quam pro fratribus suis Nicolao et Mark absentibus a parte una et Marcellus comes Crisiensis nomine domini sui Johannis bani totius Slavoniae, filii Herrici bani, ab altera constituti, iidem filii Pousae terram eorum Rassyna eo iure, quam eam pater eorum comes Pousa et magister Gueche frater eius possederunt, confessi sint pignori obligasse eidem bano pro octoginta et quinque marcis, exclusa tamen octava parte possessionis, quae nobilibus dominabus: consorti Tybae filii quondam Belus et consorti magistri Georgii cessit ratione quartae earundem.
Orig. carta perg. in mea collectione.

MCCCLXXIX. *1284. 23. Nov.* Capitulum eccl. Chasmensis notificat, quod Johannes et Pousa filii comitis Pousa tam pro se quam pro Nicolao et Mark fra-

tribus suis ab una parte, ab altera autem Marcellus comes Crisiensis nomine domini sui Johannis bani totius Slavoniae filii Herrici bani personaliter constituti, idem comes Marcellus in nomine bani pro filiis comitis Pousa dedit et solvit Tybae filio Belus personaliter astanti viginti sex marcas, cum quibus iidem filii comitis Pousa eidem Tybae debitores erant; ipsas autem 26 marcas Marcellus comes dedit nomine bani ad rationem possessionis ipsorum filiorum comitis Pousa Rassyna vocatae, quam iidem filii Pousae domino bano pro octoginta antiquis marcis obligarunt.

Orig. in perg. parva cartulo, in mea collectione.

MCCCLXXX. *1284. 30. Novembris.* Frater Guillelmus de Peymes domorum militiae templi per Hungariam et Slavoniam magister significat, quod attendens grata et fidelissima servitia per nobilem virum Lucam de Dessa civem Jadrae ei et fratribus quampluries exhibita, quae inpendere non desinit de die in diem; considerata etiam utilitate, profectumque domus suae, consilio et assensu fratrum suorum, fratris Petri de Beizeyo, vicepraeceptoris de Auranna, fratris Oliverii, fr. Thomae, fr. Johanis de Foys in Zablata praeceptoris, fr. Johannis de Athis praeceptoris palacii de Auranna in maritimis, dedit et assignavit eidem Lucae quandam particulam terrae incultam, desolatam et vacuam sitam in territorio eorum de Zablata Po(d)skaligna vocatam, sub tali forma, quod usque ad complementum duorum annorum, pro eo quod terra inutilis et inhabitata permanebat, nullum censum domui solvere, completis vero 2. annis viginti libras monetae parvulorum venetianorum domui de Auranna annuatim solvere tenebitur. Hoc adiecto: quod futuri jobagiones terrae de tribus magnis iudiciis, videlicet de homicidio, incendio et de mutilatione membrorum seu arborum coram dominis domus Templi debeant iudicari, tertiam vero partem judicii idem Lucas optinebit, domus vero duas partes.

Kubinyi: Cod. dipl. Arpad. I. 133.

MCCCLXXXI. **Jaderae.** *1284. 11. Decembris.* Temporibus Joannis Dandulo ducis Venetiarum, Laurentii ven. Jadrensis archiepiscopi, Joannis Contareno comitis, Pasqua de Varicassa civis Jadreusis arbiter et amicabilis compositor inter Marcum Michaeli comitem Arbi et Commune eiusdem civitatis, ex una parte et Volcetum potestatem Nonae ex altera parte publicum instrumentum compromissi facti manu Homodei filii Joannis Denarii notarii imp. auct. et nunc Arbensis jurati not. die ultimo Novembris 1284. intelectis et examinatis in utraque civitate solemnibus nuntiis utriusque terrae, omnibus litibus et controversiis quae vertebantur inter Arbum et Nonam et habitis deliberationibus plurium sapientum tam saecularium quam religiosorum, citatis etiam partibus Jadram, pronuntiavit sententiam arbitralem, quod sententia, quam Marcus Michael comes arbensis protulit in Dobrissam civem Nonensem, quem fecit suspendi propter sua opera mala, fuit digna et iusta, quoniam dictus Dobrissa iverat furatum ad insulas comitis Arbensis et captus fuit in furto manifesto. Imposuit igitur communi Nonensi perpetuum silentium. Item quia una barcha Arbensis capta fuit tempore treugae per Nonenses et conducta Nonam, sententiat arbiter quod commune Nonae solvere debeat 20 libras d. v. civitati Arbensi. Item de morte Cernotae nobilis civis arbensis, qui tempore gverrae interfectus fuit in praelio per homines Nonae, sententiat, quod Arbenses habeant silentium perpetuum quia hoc factum fuit in proelio. Pro damnis

factis per Arbenses solvere debent iidem Nonensibus libras 40 denar. ven. Omnia alia facta damna, sunt cassa et nullius valoris quae data sunt tam in treuga quam post suspensionem Dobrissae. Pronuntiata est denique plena et firma pax inter utramque communitatem sicut in antiquis pactis legitur. Et pro maiori cantela duodecim boni et nobiles viri de Arbe et totidem de Nona predictam pacem confirmarunt. Juraverunt autem cives Arbenses: Stephanus de Firma, Philippus Genani, Mathaeus de Hermolao, Nicola de Pribac, Stephanus de Galzigna, Martinussius de Rovigna, Madius de Clemente, Oreste de Foscho, Epube de Zanae, Stephanus de Deminae, Martinus et Marinus de Machnae. — Cives autem Nonenses juraverunt: Milgostus iudex, Moyssa Chrance Jamomethi, Paulus filius Borislavi, Jacobus Dragchis, Radovanus Stringi, Tolislaus Budislavig, Radoslaus frater archipresbyteri, Desenus Darisig, Volcina Drusig, Voychna Dresevig et Stephanus Danchovig. Pristaldus ad hoc nominatus Gvido de Varicassa. Testes nobiles de Jadra: Dessa de Fanfogna, Fredericus Grisogoni de Mauro, Paulus de Borachae, Romasius Penazo, Damianus de Slorado, Prodde de Cosa, Barthe condam Grisogoni de Mauro, Stane de Varicassa examinator. Henricus notarius scripsit.

Lucius: De regno Dalm. et Croat. Lib. IV. cap. IX.

MCCCLXXXII. *1284.* Ladislaus IV. rex notificat, qualiter comes Iwan filius Inslay (Jaroslavi) nedum tempore cum gentes Tartaricae regnum invasissent, prout per barones, nobiles et proceres regni clarius constitit luce clara, verum et ab omnibus infantiae suae temporibus in diversis casibus, actionibus et expeditionibus et maxime contra regis Boemorum regii inimici capitalis versutias indesinenter dimicando servivit laudabiliter. Idcirco donat ei et haeredibus eius villam regiam in Slavonia existentem Zamobor nuncupatam, cum suis universis iuribus et cum tributo portae prope ipsam villam in confinio regni existentis in terra antedicti comitis Iwan, jure perpetuo possidendam, maxime cum castrum, quod in predicta terra Zamobor predicti regis Boemiae homines construxerant, idem comes Iwan multo sudore, multis laboribus et expensis, et non sine suorum sanguine et cruore ab ipsis inimicis rehabuit et recepit. Datum per manus Benedicti Strigoniensis ecclesiae electi, Budensis praepositi et aulae vicecancellarii. Existentibus int. cet. Joanne Spalatensi archiepiscopo, Timotheo zagr. episc. Rolando palatino et judice Cumanorum, Dyonisio bano totius Slavoniae, Petro comite sopron. et simigiensi, Dedalo comite Zaladiensi, etc.

Fejer: Cod. dipl. T. VII. vol. II. p. 106.

MCCCLXXXIII. *1284.* Nicolaus palatinus filius Herrici bani significat, quod consideratis fidelibus servitiis magistri Durnzlavi, quae primo patri suo Herrico bano demum ei in diversis fortunae casibus exhibuit, possessionem suam Ozun in comitatu castri Ferrei ultra Rabam a rege Ladislao pro eius servitiis ei datam, contulerit.

Cod. dipl. patrius VII. p. 188.

MCCCLXXXIV. *1285. 2. Januarii.* Capitulum Chasmensis ecclesiae notum facit, quod Laurentius filius Petri confessus sit quandam terram suam in Garig iuxta locum fori Garig, quam Petrus pater suus adhuc vivens a Job filio Drask comparaverat, vendidisse comiti Adamo filio Ders pro triginta marcis. Cuius terrae prima meta incipit ab oriente in Reznik iuxta magnam

viam per quam cadit in aquam Garig, de qua exit in Ramurna potok, venit ad fontem Vidoim et per varias metas arboreas et terreas, per montes et valles venit ad priorem metam.

Cod. dipl. patrius VII. p. 192. Ex Croat. archivo comitum Erdödy Galgóczam oblato.

MCCCLXXXV. **Romae**. *1285. 11. Martii.* Honorius IV. papa ad petitionem Bonaventurae archiepiscopi Ragusini concedit ei, in sensu bullae Martini IV. praematurae mortui, ut pro episcopatibus Tribuniensi et Stagnensi idoneas personas in episcopos denominare eosque consecrare possit.

Farlati: Illyr. Sacr. T. VI. p. 293.

MCCCLXXXVI. *In* **Priscova**. *1285. 6. Aprilis.* Heinz de Bibanis tradit capellam suam, quam in honorem B. M. V. iam dudum construxerat, fratribus Praedicatoribus de Ragusio, insuper donat eis omnes capellae praetiosas reliquias, calicem argenteum, et vestes sacerdotales cum ornamento altaris.

Farlati: Illyr. Sacr. T. VI. p. 117.

MCCCLXXXVII. **Jadrae**. *1285. 2. Junii.* Laurentius Pereander archiepiscopus Jadrensis scribit Gregorio episcopo Traguriensi. Cum pridie quando placuit ei consecrationi ecclesiae Jadrensis personaliter interesse, praesente Joanne archiepiscopo Spalatensi cum aliis suffraganeis ejus et illius, concessit quamdam litteram sigillo suo signatam Petro archidiacono Sibenicensi et Sibenicensibus super duabus insulis Srimaz et Zuri, dicens in eadem sicut audivit, quod iste duae insulae erant et pertinebant ad Sibenicenses. Postea vero per antiquos homines et fide dignos intellexit plenius veritatem, visis quibusdam privilegiis, in quibus probatur quod predictae insulae erant ab olim de jure et proprietate civitatis Jadrensis. Idcirca confessionem suam erronee factam propter occupationem nimiam, occasione dictae consecrationis revocat illam et cassat, ne processu temporis inter civitatem Jadrensem et castrum Sibenicense quaestio aliqua valeat suscitari. Praesentibus fratre Augustino dei gratia episcopo civitatis Novae Novesia, Joanne abbate s. Grisogoni. Nobb. viris Girardo et Ricobono de Venetiis, nunc mercatoribus Jadrensibus. Vincentius s. Stephani presbyter et Jadrensis notarius ad mandatum archiepiscopi scripsit.

Lucius: Mem. di Trau. p. 117.

MCCCLXXXVIII. *1285. 16. Junii.* Nicolaus comes palatinus, filius Henrici quondam bani, cambiatam suam possessionem Laztay commetaneam monasterio montis s. Mariae, quam a Jacobo comite filio Ponith sub forma commutationis accepit, dicto monasterio confert sub sigillo Joannis bani fratris eius, et suo. Testes fuerunt inter caeteros comes Laurentius de Nek, comes Herbordus de Osl, Durizlaus et Ladizlaus chari eius.

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. VII. vol. V. p. 467.

MCCCLXXXIX. **Zagrabiae**. *1285. 7. Septembris.* Capitulum ecclesiae Zagr. dat pro memoria, quod Johanne comite filio Arlandi pro nobili viro Stephano bano domino suo ab una pate, et ab altera Zemk filio Bose pro se et Maren fratre suo, Wlcheta filio Stoizlai, Dobrotech filio Chernk, pro se et Radei fratre suo et Petk filio Brathesa coram constitutis, idem Zemk et caeteri de parte sua confessi sint, se et proximos suos universos de Drozgometh, terram suam de eodem Drozgomech in loco Dola, Vechyn-chereth vocatam a ca-

cumine montis Hualey usque ad rivum Brochina, pignori obligasse Stephano bano pro viginti marcis denariorum Zagrabiensium.
Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 216.

MCCCXC. *In* **Zegued**. *1285. 15. Septembris.* Ladislaus IV. rex mandat hominibus in Gerzencha, cum ipse comitatum de Gerzenche Timotheo episcopo Zagr. donaverit, quatenus omnia jura et proventus comiti debitos et consvetos, officiali ipsius episcopi dari faciant et persolvi, eo modo, quo tempore Belae ducis fratris regis officialibus ipsius consveverant ministrare.
Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 217.

MCCCXCI. **Cathari**. *1285. 17. Octobris.* Domnius episcopus Catharensis notum facit, cum d. Heinz de Bibanis civis Priscovensis suam capellam B. M. Virginis fratribus Praedicatoribus de Ragusio donaverit, quod ad petitionem dictorum fratrum, eandem donationem confirmaverit, salvo, quod dicti fratres de nullo jure majoris ecclesiae se aliquatenus intromittant.
Farlati: Illyr. Sacr. T. VI. p. 443.

MCCCXCII. **Cathari**. *1285. 30. Octobris.* In praesentia Marchisii Ravacolli consulis Venetorum in Cataro, Ugolini de Marca et Leonardi Bonvisini mercatorum de Venetiis, testium ad hoc rogatorum, in consilio civitatis congregato, Sersius Clementis et Nicola de Crossio, nuntii comitis et communis Ragusii porrexerunt hanc protestationem in scriptis: Dicimus pro parte comitis Michaelis Mauroceni et communis Ragusii, quod cum Juppanus Desa, filius quondam regis Ladislavi et domina Beloslava mater eiusdem Desae deposuerint in Ragusio quasdam res, venerunt Ragusium Johannes de Pribi, Nicolaus Dabronis, Johannes Gimanoi, Johannes Gille, Marcus Basilii et Medosius Thomae Dragonis sindici et procuratores communis Cattari, ut constat publico instrumento presbiteri Thriphonis tunc notarii Catari, et acceperunt de manibus d. comitis et communis dictas res de predicto deposito. Qui sindici obligaverunt se nomine communis Catari, quod si aliqua persona futuro tempore apparuerit ad petendum dictas res, et comiti et communi Ragusii videbitur, quod illa persona habeat jus in dictis rebus, commune Catari dictas res restituere debeat comiti et communi Ragusii infra unum mensem, et si non voluerint restituere, homines Catari debeant dare et solvere communi Ragusii tantum, quantum dictae res per commune Ragusii fuerint aestimate. Cum igitur praenominata Beloslava mater dicti Dessae nunc venerit Ragusium cum litteris dom. regis Urossii, continentibus, quod dictae res debeant dari Beloslavae, praedicti nuntii Sersius et Nicola requirunt commune Catari quatenus dictas res restituant aut secundum aestimationem persolvant. Et quia Catarini suum notarium Thomam pro facienda petitione et protestatione eis denegarunt, ideo rogaverunt magistrum Thomasium de Savere notarium imperialem et duc's Venetiarum et communis Ragusii ut super haec instrumentum faciat publicum.
Ex archivo aulico Vindobonensi inter acta Ragusana 163/3.

MCCCXCIII. **Tragurii**. *1285. 30. Decembris.* Temporibus Ladislai IV. regis, vener. Gregorii episcopi Traguriensis, nob. Gregorii comitis Traguriensis et nob. Palmerii D. Talci de Firmo potestatis Tragur. civitatis, praedictus G. episcopus una cum Gervasio archidiacono, primicerio Casiotto, et toto capitulo

ex una parte, et Palmerius potestas de voluntate generalis consilii dicti communis ex altera super decimis dandis venerunt ad concordiam cum specificatione dandarum decimarum. Testibus Dessa de Amblasio, Georgio de Cega, Thoma Janichae, Mathao de Pascha, Amblasio Dessae, Gregorio Gualimeri et Dessa Duimi de Morsica examinatore. Dessa Duymi examinator consocius examinavit. Jacobus de Firmo notarius scripsit.

Lucius: Mem. di Trau, p. 138.

MCCCXCIV. *1285.* Radizlaus comes de Glaas, Vrbaz et Zana significat, quod cum insula Tympor sita iuxta fluvium Wen, post obitum ipsius Tympor, fratris comitis, Dyonisio bano bonae memoriae et ei mediantibus litteris regiis remansisset, nemine de nobilibus regni Slavoniae contradicente, frater Jacobus abbas et conventus ecclesiae Toplicensis litteras privilegiales d. regis super eadem terra confectas praesentarunt, quarum tenore intellecto restituit eandem ecclesiae Toplicensi.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 218.

MCCCXCV. **Tragurii.** *1286. 28. Februarii.* Temporibus Ladislai IV. regis, G. Traguriensis episcopi, Georgii Traguriensis comitis et nobilium virorum: Dessae Amblasii, Duymi Domichae et Mathaei Lucae Tragur. judicum, cum inter caetera statuta pateat esse statutum: quod nullus ex civibus Traguriensibus audeat ab aliquo extraneo sive forensi aliqua bona sive possessiones emere vel in cambium sive in donum, vel aliquo modo suscipere aliquid de bonis et possessionibus ipsius extranei vel forensis qui essent in civitate Traguriensi vel ejus districtu, quod juri consonum non esse videtur et sapientum sit in melius revocare consilia. Ideoque judices et totum consilium civitatis unanimiter dederunt omnibus civibus civitatis Spalati, qui bona aliqua vel possessiones habent in civitate vel in districtu plenam potestatem ipsa bona cuicunque voluerint vendendi, donandi, pignorandi, obligandi et permutandi. Eodem modo dederunt et suis civibus Trag. plenam licentiam bona a Spalatensibus emendi, permutandi etc. Actum in camera presentibus Johanicha Casacti, Luca Mathaei et aliis. Dessa Duymi examinatore. Sanctorius Trag. juratus scripsit.

Ljubić: Mon. I. p. 143.

MCCCXCVI. **Tragurii.** *1286. 3. Martii.* Frater Gregorius episcopus Traguriensis, cum de voluntate d. Gervasii archidiaconi et canonicorum omnium ibidem presentium in suo palatio negotia tractaret, ab eisdem canonicis petitio est ei porrecta, ut scilicet illegitime natus et condicionis servilis nunquam admitteretur in clericum, cuius petitioni annuit episcopus ut dignitas ecclesiae conservetur, et ovilis dominici ager in amplam segetem pulularet. Dompnus Stephanus canonicus de mandato episc. scripsit, Gervasius archidiaconus consentit, Casoctus primicerius consentit, Marinus canonicus, Michat presbiter, Kalenda † diaconus, Bogdanus † canonicus, diaconus Michael canonicus, Dragus can. †, Kasarezza can. † aliena manu scripserunt. Natalis canonicus † nesciens scribere manu Stephani can. scripsit. Omnes autem consenserunt.

Lucius: Mem. di Trau. 139.

MCCCXCVII. **Budae.** *1286. 16. Maii.* Ladislaus IV. rex significat, quod Radislaus et Stephanus frater eiusdem, tacita veritate, non ex consensu nec ex conniventia regis, litteras eius privilegiales recepissent super eo, quod ma-

gister Joachinus nullam infidelitatem contra suam Maiestatem commiserit, imo semper ei studuit multipliciter suis meritoriis servitiis complacere, vult itaque ut omnia privilegia eius et litterae eius si quae super huiusmodi facto contra dictum magistrum Joachinum processerint, cassentur, et ubicunque fuerint praesentatae vires non habeant, quia dictus magister Joachinus pro fidelitate coronae regiae debita per suos aemulatores extitit interemptus.

Wenzel: Cod. dipl. Arp. IX. 444.

MCCCXCVIII. **Duyno.** *1286. 6. Junii.* In ecclesia s. Johannis de Duyno, praesentibus Wolrico de Riffenbergh, Andrea de Peunia, Gebardo de Eberstayn, Johanne Geno, Andrea Grusoni, Bartholomaeo Gritti, Petro Mangono de Forliuio et aliis testibus rogatis, initus est contractus matrimonii inter illustrem Albertum comitem Goritiae ex una parte et Albertinum Mauroceno de Venetia nuntium pro illustri domino Andrea, dei gratia duce Slavoniae nepote olim Andreae regis Ungariae ex altera, vi cujus comes Albertus sua spontanea voluntate promisit fide manuali in manibus dicti domini Albertini dare filiam suam Claram in uxorem praenominato illustri domino Andreae dei gratia duci totius Slavoniae, et idem d. Albertinus avunculus eiusdem ducis nomine ipsius dictam d. Claram, nominato Andreae nepoti suo acceptavit accipere in uxorem. Et quia domini dux et comes convenerunt praedictum matrimonium per corporale sacramentum perducere ad affectum, idcirco de voluntate partium nobiles viri Hugo de Duyno, et Jacobus de Ragonia pro parte d. comitis in animam ipsius comitis, et Albertinus Mauroceno et Marinus Pasqualigo pro parte d. ducis in animam ipsius, super altare s. Joannis tactis evangeliis iuraverunt. Scriptum per Ottolinum de Justinopoli notarium subcriptum per Marcum Siboto notarium, aulae Venetiae scribam. (Confer nr. MCCLXVI.)

Archiv der k. k. Akademiae d. Wiss. 1894. I. II. p. 201.

MCCCXCIX. **Venetiis** *1286. 22. Junii.* Capta fuit pars maioris consilii quod quando comes Ragusii constringet homines de Ragusio ut non vadant in terras regum Rasciae et reginae matris eorum, possit constringere etiam homines de Venetiis et Venetos mercatores qui essent Ragusii ut non debeant ire in dictas partes. Item debeat destinari communi Ragusii una galea et unum lignum ad offensionem Almissanorum et aliorum malefactorum.

Ljubić: Mon. I. p. 143.

MCD. *1286.* Elisabeth maior regina Hungariae notificat, quod nobili domina relicta comitis Laurentii ab una parte, magistro Joanne, juvene domus reginae una cum fratribus suis, Gregorio sacerdote et Marcolpho comite ab altera, coram illa personaliter constitutis, quaesitum extitit: ut possessionem seu villam Berzeniche vocatam in comitatu de Posaga, quam regina eidem relictae Laurentii pro notoriis servitiis contulerat cum omni facultate tenendi, donandi, vendendi etc. vendere possit dicto magistro Joanni et fratribus suis. Regina considerans, quod dicti Joannes et Gregorius sacerdos saeculo renuntiantes et deo servire se voventes, habitum Cruciferorum et fratrum domus militiae Templi assumserint, praedictae relictae comitis Laurentii, habito consilio omnium suorum baronum, annuit ut vendere possit dictam possessionem praedictis Joanni, Gregorio et Marculpho, et per eosdem domui militiae Templi, pro centum et sexaginta marcis. De quibus marcis 50 marcas sacerdos Gregorius et 50 comes Marcolphus de suis propriis persolverunt, magister vero Johannes possessionem suam Ponsafeldus in comitatu de Werewche, pro 60 marcis eidem

dominae statuit. Ad interpositionem praedictorum cassavit etiam regina eam donationem dictae possessionis, quam dederat Jacobo filio Ponith, qui contra eam talem commisit infidelitatem, quod inter eam et Ladislaum regem, filium suum, in legationibus quas ei confidit, discordiam suscitavit non modicam. Et postmodum cum possesionem suam et regiam Kalman-Kiralychey per eam ipsi collatam repetivisset, ipse elatus in superbiam contra illam et regem, tavernicum reginae Paulum ad hoc ad ipsum destinatum, capite truncavit et occidit et sic ipsam possessionem Chey funditus destruxit ipsam ab illa retrahendo. Datum per manus Vorbazy praepositi de Posaga aulae reginalis cancellarii, doctoris legum, domini Papae Capelani.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. III. p. 322.

MCDI. *Apud* **Barulum.** *1287. 1. Febr.* Regnante Carolo rege Siciliae et Hyerusalem, Nicolaus Cavamaccus regalis Baroli iudex cum testibus et litteratis ad hoc vocatis fatentur, quod Mathaeus de Longis de Trano nuntius fratris Bonaventurae archiepiscopi Ragusini ostendit quasdam litteras procuratorias datas olim ab eodem arhiepiscopo dno. Barsuccio de Clerico civi et mercatori Lucanensi super extrahenda certa quantitate frumenti de portu Baroli. Quas litteras petiit nuntius in publicam formam redigi, in quibus continebatur, quod idem nuntius Barsuchius extrahi debet de portu Baroli, frumenti salmas trecentas per mare ad terram Ragusii pro usu suo et familiae suae, de quibus salmis frumenti ad petitionem Illustrissimae reginae Serviae concessit licentiam . . . sicut in suae celsitudinis litteris apertis continetur.

Orig. Membr. in archivo reip. Ragusinae.

MCDII. *1287. 5. Februarii.* Capitulum ecclesiae Zagr. dat pro memoria, quod constitutis Domaldo filio Thomae, consanguineo Laztech et Stank ab una parte, ab altera vero Brache pro domino suo comite Martino castellano do Blagusa, idem Domaldus confessus sit se recepisse a comite Martino viginti marcas, pro quibus obligavit portionem suam in terris de Scepniche. Astiterunt personaliter Petrus filius Laufrach, Odola filius Draguzlav, Wolkozlav, Ocrocha et Karachinus filius Radilov, jobagiones castri Zagr. cognati et commetanei dicti Domaldi.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 218.

MCDIII. **Tragurii.** *1287. 20. Martii.* Joannes, archiepiscopus Spalatensis manifestat, cum in provincia Dalmatiae per s. romanam ecclesiam archipraesulatus primatum teneat in sua metropoli spalatensi, edicere vult veritatem, quod a temporibus, quorum nulla extat memoria, in civitate Traguriensi sedes viguerit Cathedralis, quam b. Laurentii fovent merita et patrocinia, cui ab eisdem temporibus extitit subiecta ecclesia et clerus castri et oppidi Sibenicensis, ut patet ex pontificum documentis et totius viciniae acclamationibus. Contra quos Sibenicenses propter renitentiam suam episcopus Tragur. Columbanus excommunicationis sententiam fulminavit. Cui tamen illi non paruerunt, sed ad sedem apostolicam appellarunt, quam appellationem a duodecim annis et ultra sunt minime prosecuti, obsequium ultro quoque denegantes et Paulum Ungarum in episcopum praeficientes. Quem tamen ad petitionem Sibenicensium ipse archiepiscopus in principio consecrare noluit sed postea seductus, formidans personae suae, petitioni adhaesit. Firminus autem legatus

apostolicus factum cassavit. Perhibet itaque de novo testimonium quod castrum Sibenicense semper et ab olim pertinebat ad episcopatum Traguriensem.
Lucius: Mem. di Trau, p. 220. Farlati: Illyr. Sacr. III. p. 291.

MCDIV. **Arbi.** *1287. 27. Maii.* Gregorius episcopus Arbensis, cum monasterium Monialium s. Joannis Evangelistae in civitate Arbensi remanserit vacuum contulit idem cum toto ambitu suo fratri Jacobo de Padua, gvardiano fratrum Minorum de Arbo, jure omnium fratrum Minorum provinciae Slavoniae. Praesentibus Marco Michaeli comite, Gvidone vicecomite, Matthaeo judice, Clemente de Cinano, et Jacobo notario ac multis aliis.
Farlati Illyr. Sacr. T. V. p. 243.

MCDV. **Zagrabiae.** *1287. 1. Septembris.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notificat, quod constitutis in eius praesentia ab una parte comite Elya et magistro Petro servientibus nobilis viri Stephani bani, filii comitis Stephani, nomine eiusdem domini sui, ab altera vero Dragnan filio Herne, Hercuk filio Obrad et Wolk filio Jako de Gradneh. Item Brathk filio Petk, Gordoua filio de Wydozlov et Wolkoy filio Gudnzlov de Germanichi nobiles de Brochina, dictus Draguan cum suis, terram suam haereditariam Graduch; item Brathk cum suis, terram suam haereditariam Germanigy (alias Jurmanigi) nuncupatam confessi sint, vendidisse praefato Stephano bano pro sexaginta marcis denariorum Zagrabiensium. Meta autem terrae incipit in valle Cobyldol iuxta fluvium Brochina. Inde pervenit ad montem Wyher Dobrostyn. Inde tendit ad fluvium Gollobinik. Inde per magnum spatium ad fluvium Behow, et per varias metas ad priorem. Alterius autem medietatis terrae tendunt metae per varias metas arboreas ad fluvium Brochina, inde ad fontem Woloych, inde ad desolatam vineam Malsset et in fluvium Bruznyk, inde ad fluvium Zuynech, inde in vallem Cobyldol. Meta autem terrae Germanigy incipit iuxta silvam Tolazluachelou tendens de fluvio Bruznyk et per varias metas super fontem Petyn, inde ad vineam pertinentem ad Grangiam abbatis de Brochina, inde per viam Klanch ad rivum Petyn, inde ad montem Goriche, inde ad paludem, inde ad vineam ecclesiae s. Martini de Brochina, ad fluvium Brochyna ubi rivus Torbochyn cadit in eundem, inde per viam ad fluvium Blagosugy et super Lokowischa ad metam priorem.
Orig. membran. In actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 1533. N. 15.

MCDVI. **Venetiis.** *1287. 11. Septembris.* Friderico, Joanni et Leonardo comitibus Veglae iniungitur ut usque ad festum nativitatis Domini exolvant pro regaliis solidos novem grossorum, minus quarta unius grossi, pro anno 1285.; item libras ducentas pro a. 1286. sub poena quinque librarum, quae executione quoque adigentur.
Ljubić: Mon. I. p. 143.

MCDVII. **Zagrabiae.** *1287. 6. Octobris.* Antonius episcopus Zagrabiensis notum facit, quod cum in ecclesia Zagrabiensi mansionariorum seu praebenbendariorum sacerdotum esset raritas, tempore Thimothaei praedecessoris eius, nonnuli ex canonicis dum viverent, aliqui in sua ultima voluntate, volentes providere huiusmodi defectui, de bonis suis praebendarios ad officium chori

et missae B. V. disposuerunt, ac eisdem in possessionibus et vineis, curiis et aliis bonis ad sustentationem praebendae nomine ordinarunt. Decedentibus autem ipsis, praebendas vacantes iidem canonici ab initio contulerunt, postea autem episcopus Thimotheus in suam collacionem assumpsit, ex qua collatione turbabantur canonici per ipsos sacerdotes praebendarios, qui dicebant nichil iuris in eos habere, insultantes canonicos per suam elationem, denegantes eis obtemperare in ipsis divinis exequendis. Volens igitur episcopus scandala removere, decrevit in pleno capitulo, ut deinceps sicut canonici prius usi fuerant in collatione praebendarum utantur et dein pleno iure.

Tkalčić: Mon. Hist. I. p. 219.

MCDVIII. **Zsgrabiae.** *1287. 13. Octobris.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notificat, quod nobilis vir comes Joannes filius Arlandi de genere Agha, confessus sit oraculo vivae vocis se particulam terrae haereditariae sub Podgradia, contiguam aquae Zavae, cum loco, quem olim beatus Martinus vitam colens heremiticam inhabitasse refertur, et cum capella sub honore gloriosae Virginis ibidem constructa, circa quam etiam in concavitate cuiusdam ardui montis constructum est altare sub titulo praefati sancti Dei, cum montibus, campis, nemoribus, aliisque pertineniiis, contulisset et assignasset monachis ordinis Cisterciensis, investiens fratrem Johannem tunc abbatem de insula s. Jacobi, volens praedictum locum divino officio per fratres dicti ordinis decorari, conferens abbati et fratribus facultatem claustrum et grangiam secundam morem professionis construendi. Addidit etiam locum pro aedificando molendino in rivulo per vallem Podgradia decurrente (Sutiska). Astiterunt nobiles viri Nicolaus et Achk, fratres dicti comitis Johannis carnales, ratificantes collationem. Meta autem terrae incipit in praenominata valle a quadam petra iuxta vineolam dictae capellae, inde per montes et metas arboreas ad foveam quandam, et directe descendit ad locum ubi aqua Crapina cadit in Zawam. Descendens per Zawam versus meridiem in magno spacio venit ad insulas sitas in medio Zawae et in fine extremae exit de Zawa in nemus et venit ad viam ducentem ultra Zawam, per quam venit ad paludem quandam, et per campum ad locum Pravischa situm circa viam magnam, per quam procedens versus occidentem venit ad locum ubi rivulus praenotatus cadit in Zavam, per quem rivulum ascendens per vallem versus septemtrionem supradictis capellae, loco et terragio collatis fratribus a sinistris, venit ad priorem metam.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 220.

MCDIX. *1287.* ..... Banus totius Slavoniae memoriae commendat, quod Mark filius comitis Pousa pro fratre etiam suo carnali Iohanne exhibuerit litteras patentales capituli Chasmensis (!) continentes quod in privilegio regis Ladislai et in privilegio ... filii ... et in patentibus litteris Petri bani per magistrum Gurch fratrem comitis Pousa exhibitis vidissent plenius contineri, quomodo idem rex Ladislaus ipsum magistrum Gurch et comitem Pousa, fratrem suum, nec non universos populos eorum in Crisiensi et Simigiensi comitatibus ex ista parte Drawae, videlicet in Wrboua, Charaburda et Rascina, pro gratuitis et meritoriis servitiis eorundem a iudicio et iurisdictione comitis Crisiensis et a collecta septem denariorum, quae ratione lucri camerae annuatim exigi consvevit, perpetuo duxerit eximendos, reservans eos solum-

*

modo iudicio bani totius Slavoniae. In nullo itaque articulo praesumat eos comes Crisiensis iudicare. Confirmavit etiam capitulum se a Junus comite Crisienei recepisse litteras continentes in se privilegium Belae regis sub aurea bulla super relaxatione collectae septem denariorum eidem Gurch et Pousa concessum.

Orig. perg. in mea collectione.

MCDX. *1287.* Ladislaus IV. rex statuit privilegialiter quatenus mercatores de Slankamen et de Zemlin monialibus veteris Budae aliquod tributum solvant.

Fejer: Cod. dipl. T. V. vol. III. p. 392.

MCDXI. *1287.* Capitulum Zagrabiensis ecclesiae notificat, quod magister Ratolth, filius Lorandi bani, nomine etiam fratris sui Mathiae, terras Peed et Stuprische in districtu de Gora existentes sibique conterminantes, cum designatione metarum pro 400 marcis Stephano bano et ejus haeredibus vendiderit.

Ex actis per banum Khuen-Hederváry ex archivo regni ablatis N. R. A. Fasc. 925. Nr. 9.

MCDXII. **Jaderae.** *1828. 12. Januarii.* Temporibus Johannis Danduli, ducis Venetiarum, Andreae Gausonii, Jadrensis archiepiscopi, Jacobi Theupoli comitis, Lampridius filius olim Pauli de Lampridio, civis Jadrensis, fatetur, quod a Drando et Costa de Cotopanga et Cyuetta, civibus Jadrensibus receperit in praesentia Johannis de Cuetisscia, abbatis s. Crisogoni de Jadra, libras Veneticorum parvorum mille in pecunia numerata, quam investiret in carnibus porcinis et post venditiorem Venetiis, praetactam pecuniam restituere promisit. Testibus Pedegino, Damiano et Steanco murario.

Ex mea antiqua collectione.

MCDXIII. **Dubicae.** *1288. 7. Martii.* Radizlaus banus totius Slavoniae significat, quod cum terram Tympor, sitam iuxta fluvium Wn, post obitum ipsius Tympor, fratri suo Dionisio bano bonae memoriae rex contulisset et postmodum mediantibus instrumentis regiis eidem Radizlao remansisset, quam per plura tempora pacifice possidebat, nemine contradicente, tandem frater Jacobus abbas et conventus ecclesiae Toplicensis praesentarunt super ipsam terram litteras regis, quibus vivis eandem terram ecclesiae Toplicensi restituit.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 221.

MCDXIV. **Budae**. *1288. 27. Martii.* Ladislaus IV. rex nofum facit civibus de monte Grecensi, quod Stephanus banus totius Slavoniae coram eo constitutus, palatium suum, quod habet in castro Grecensi, dederit et contulerit Gilioni comiti concivi eorum pro servitiis sibi impensis, mandat ergo ut ipsum palatium Gilioni assignare debeant.

Tkalčić: Mon. civit. Zagr. T. I. p. 60.

MCDXV. **Braciae.** *1288. 3. Aprilis.* Temporibus Johannis Dandulo, ducis Venetiarum, et nobilis ac potentis viri Roberti Quirini, potestatis insularum Pharae et Braciae, orta questione inter Clementem Grubissae et Mixam Petranich de insula Braciae super terram Dobro Zirje, nobilis vir Franciscus

Polani miles et vicarius in Bracia praefati potestatis Roberti una cum suis iudicibus et nobilibus Chernsio, Obelgano, Dobreza et Ceprigna Prodani adiudicavit dictam terram esse Mixae Petranich, in praesentia Mathaei Jurjevich, Climpsae Dobranich nob. de Bracia et Pauli Osoris nobilis de Phara. Crasovius filius Petri de Spalato scriba com. Braciae scripsit.
Cicarelli: Osservazioni sull isola della Brazza, p. 112.

MCDXVI. **Firmii.** *1288. 2. Junii.* Ad mandatum Johannis de Guidonibus de Mutina, potestatis civitatis Firmi, leguntur coram congregato consilio litterae Nicolai Quirini, comitis Ragusii et totius communitatis eiusdem, in quibus per suos nuntios petunt ut antiquus amor et amicitia inter ambas civitates conservetur, quam petitionem erga postulationem ipsorum Firmensium iidem libenter confirmarunt. Victor Bonacursi notarius scripsit.
Ljubić: Monumenta I. p. 157.

MCDXVII. **Budae.** *1288. 8. Julii.* Ladislaus IV. rex significat, quod Nicolaus banus, filius Stephani bani, pro se et pro magistro Paulo fratre suo, palatium eorum desolatum quod habent in castro novi montis Grech, quodve Stephanus banus frater ipsorum comiti Gilion contulerat, eidem reliquerunt perpetuo possidendum, quam collationem rex ratam habet.
Tkalčić: Mon. civit. Zagr. T. I. p. 61.

MCDXVIII. **Viterbii.** *1288. 4. Augusti.* Nicolaus IV. papa mandat fratri Michaeli de Jadera, ministro ord. fratrum Minorum in Slavonia ut Judaeos in terris et locis in quibus habitant, generaliter et singulariter convocando, semel et pluries, et totiens repetitis instantiis, quoties proficere putaverit, praedicationibus, monitis et discretis inductionibus, evangelicis doctrinis informans, ipsos studeat ad viam reducere claritatis, ut renati fonte baptismatis reluceant in lumine vultus Christi.
Fabianich: Storia dei frati minori. I. p. 417.

MCDXIX. **Venetiis.** *1288. 9. Augusti.* Cum commune Cattari, communi Ragusii debitum suum pro accepto sale per plures annos non solverit, capta fuit pars in maiori consilio, quod nullus homo de Venetiis, nec in Venetiis nec in Ragusio possit facere credentiam de aliquo mercato alicui homini de Cattaro, nec ullus possit ire Cattarum cum sale nec mittere, cum per pactum commune debeant Veneti habere amicos Ragusinorum pro amicis et inimicos pro inimicis.
Ljubić: Mon. I. 146.

MCDXX. *1288. 9. Augusti.* Capitulum b. Michaelis de Ferreo castro significat, quod Nicolaus banus filius Stephani bani ab una parte et Johannes palatinus ab altera in possessionibus suis tale concambium duxerunt faciendum, nempe idem Nicolaus banus castrum suum Egurvar cum pertinentiis universis dabit Johanni palatino perpetuo possidendum, e converso autem dictus palatinus in concambium dabit castrum suum Polosnicha cum omnibus pertinentiis in comitatu Garygh praedicto Nicolao bano. Obligaverunt se etiam possessiones in alterutrum mutuatas medio tempore conservare donec Nicolaus banus duos nobiles, unum ultra Dravanum et alium ab ista parte Dravae et testimonium Chasmensis ecclesiae; Johannes vero palatinus similiter duos nobiles unum ultra

Drauam et alim ac ista parte Dravae ac hominem capituli Castri ferrei super praefatas terras mutuatas adduxerint, qui concambium coequabunt.

Ex archivo comitum Festetić Kesthely. Cod. dipl. patrius. V. p. 70.

MCDXXI. **Reatae.** *1288. 18. Augusti.* Nicolaus IV. papa accepta relatione quod dux et commune Venetorum ad occupationem bonorum et jurium Aquileiensis ecclesiae manus avidas extendentes, Parentium, Enonensem et Justinopolitanam civitates, ac sancti Laurentii Montanae, et Gresignanae, Pirani, insulae Muglae aliaque nonnulla castra, terras, villas et loca in Istriae partibus constituta, quae ad eandem ecclesiam pertinere dicuntur, per violentiam occuparunt et occupata detinent patratis multis injuriis patriarche, episcopi Tergestini et aliorum episcoporum et vasallorum populis, ex quo gravia discrimina, discordiae et gverrae exortae sunt, missis igitur monitoriis suis litteris duci et communi Venetorum, mandat archiepiscopo Ragusino quatenus pro apostolicae sedis reverentia personaliter se conferat Venetias et ducem et commune ad restitutionem seu revocationem stipendiariorum seu armatorum faciendam, utque ab omnibus novitatibus, incursionibus et insultibus abstineant, eos moneat et inducat, si opus fuerit etiam per latam censuram compellat. Si vero de civitatibus, castris etc. jus aliquod se habere contendunt, compareant per procuratorem idoneum coram sede apostolica, cum papa paratus sit exhibere ipsis complementum justitiae.

Ex Bullario Ragusino Ms. p. 247.

MCDXXII. **Reatae.** *1288. 31. Augusti.* Nicolaus IV. papa Joannem de civitate Ragusii canonicum Concordiensem instituit, canonicamque praebendam ei tribuit.

Ex Bullario Ragusino. Ms. p. 55.

MCDXXIII. **Reatae.** *1288. 26. Septembris.* Nicolaus IV. papa scribit episcopo Nonensi, abbati s. Chrisogoni Jadrensi et archidiacono Spalatensi, quod capitulum ecclesiae Morinensis (Morigne) in Dalmatia, (quod apud ecclesiam castri Sibenicensis, dioecesis Morinensis residere dicitur) petitione monstrarunt, quod olim civitate Morinensi a scismaticis Graecis destructa, bonae memoriae Morinensis episcopus et capitulum et clerus, se ad castrum Sibenicense (quod propinquum dictae civitati fuisse dignoscitur) transtulerunt, dictusque episcopus ad quoddam monasterium positum in villa Tragurio recessit et ibidem vitam clausit. Et cum ecclesia Morinensis post obitum episcopi multo tempore vacavisset, capitulo non curante de Praelato, clerici villae Tragurii praetendentes jus eligendi episcopum ad se pertinere, elegerunt episcopum, et successivis temporibus, licet capitulum Sibenicense se jus electionis exerceret, praefati clerici Tragurienses quosdam alios elegerunt, qui ab eis vocabantur Tragurienses electi, quos metropolita eorum de facto confirmavit et consecravit. Demum autem capitulum Morinense seu Sibenicense Leonardum Faletro plebanum ecclesiae s. Angeli de Venetiis in suum episcopum concorditer elegerunt, sed Gregorius, qui ultimo fuit a clericis Traguriensibus electus et per metropolitam confirmatus et consecratus, administrationi episcopatus temere se ingesserit, ex quo inter Tragurium et Sibenicum gravis discordia exorta est, quare capitulum Sibenicense supplicavit Pontifici ut eis ius eligendi episcopum humiliter tribueret. Pontifex igitur mandat supradictis ut tam Gregorium et Leonardum

quam et clericos villae Traguriensis ex parte ejus peremptorie citare curent ut infra sex mensium spatium cum omnibus actis et munimentis apostolico se conspectui repraesentent.

Farlati: Illyr sacr. T. IV. p. 456.

MCDXXIV. *1288. 30. Septembris.* Capitulum ecclesiae Zagr. notum facit, quod cum duos concanonicos ad instantiam Mirozlai filii Herchuk tunc infirmitate praepediti, sani tamen mente, nec non fratrum Firmini prioris et Petri procuratoris Heremitarum domus B. Virginis prope Zagrabiam, misissent ad eundem. Idem Miroslaus consentientibus Micula filio suo, ac Jelen filio Wros tunc maiori villae Grechensis pro domina consorte sua Margaretha nepte dicti Mirozlai, particulam terrae de Blyzna, Crathkidol vocatam et aliam ei adiacentem donavit domui conventui Heremitarum. Quarum meta prima incipit ab ortu solis iuxta viam magnam et per eandem versus occidentem venit ad terras castrenses Rados filii Gerdeskh, et Gerdizlai filii Gerdozlai. Inde versus meridiem per fossatum antiquum venit ad vineam Gan Latini et pervenit ad viam veterem ad lapidem album et per varias metas venit ad priorem.

Tkalčić: Mon. civit. Zagrab. I. p. 61.

MCDXXV. **Reate.** *1288. 1. Octobris.* Nicolaus IV. papa audiens, quod in civitate Paduana quaedam nephanda et horrenda statuta contra clerum civitatis et dioecesis Paduanae sancita sint, quibus multimodis offensis, injuriis, contumeliis et periculis mortis exponitur, mandat archiepiscopo Ragusino quatenus ad civitatem praedictam se conferat et potestatem ac communitatem stricte moneat ut mandatis per litteras sedis apostolicae acceptis, satisfaciant.

Ex Bullario Ragusino Ms. p. 39.

MCDXXVI. **Tragurii.** *1288. 18. Octobris.* Nobilis miles Racinaldus Georgei de civitate Firmana, potestas civitatis Traguriensis, de consensu generalis consilii civitatis Tragurii in palatio civitatis, voce preconis et sono campanae congregati, ordinaverunt Dessam Amblasii syndicum ad fideiussionem et obligationem statuendam de quinque millibus librarum denariorum parvorum Veneticorum pro parte dicto communi contingenti de sexcentis libris illius anni quo contiget Almissium exire sub dominio et de dominio ac potestate dominorum Pauli bani, comitum Georgei et Mladeni, et haeredum eorum pro ipso Paulo et dictis comitibus, Giliolo de Sannino notario, sindico et procuratore ducis et communis Venetiarum stipulanti et recipienti pro dicto communi Veneto, quod praedicti Paulus banus, comites Georgeus et Mladenus attendent et observabunt pacem et pacta facta cum dicto syndico d. ducis sub poena quinque millium librarum denariorum Venetorum parvorum et in dicta quantitate obligandum dictum commune et cives dictae civitatis, et non ultra, ac etiam ad stipulandum et recipiendum nomine communis stipulationes et obligationes a praedictis Paulo bano et comitibus Georgeo et Mladeno et hominibus de Almissio, quod ipsi in solidum conservabunt omni tempore dictum commune Tragurii a duce et communi Venetiarum de dictis obligationibus et quibuscunque aliis factis

Lucius: Mem. di Trau p. 121.

MCDXXVII. **Anconae.** *1288. 20. Octobris.* Pactum factum inter homines de Ancona et de Jadra per nobilem Michaelem Michusii, civem Jadrensem, sindicum dicti communis nomine ipsius, et per Vincentium s. Mariae clericum et Jadrae notarium, ex una parte ac d. Bonagiunta Vitalem camerarium et

civem de Ancona sindicum dicti communis ex altera, volentes ipsum commune et singulares ipsorum cives ad veram pacem et concordiam reducere, devenerunt ad haec pacta: Quod omnes Anconitani tractabuntur per commune Jadrae amicabiliter, et quod possint sani et naufragi morari ac redire in quolibet portu Jadrae libere et absolute cum omnibus suis rebus, et posint emere et vendere sine aliquo datio, salvo alboratico in portu Jadrae. Hoc ipsum e converso Jadratini in Ancona. Item de sale, quod possint secure portare, dum portent in Racanetum vel inferius versus Trontum et Senegaliam et superius versus Ariminum, similiter Anconitani possunt libere detrahere salem de portu Jadrae ubilibet deferendum. Item quod Jadratini possint extrahere de Ancona bucticellas. Item si venerint Jadriani vel Anconitani per fortunam cum vino in eorum portum vice versa, quod unus custos ponatur expensis dicti vini etc.

Makušev: Mon. hist. Slav. merid. I. p. 98.

MCDXXVIII. *1288.* Elisabeth maior regina Hungariae notificat, quod cum magistrum Jacobum filium Ponyth de genere Buzad, quidam de baronibus, capitales inimici eiusdem, ei frequenter et assidue accusassent, non debita fidelitate ei et filio ejus d. regi in legationibus eius quando ad partem meridionalem duxerat eum transmittendum servivisse, idem regina praedictorum baronum consiliis et verbis frivolis aquiescens, totam suam collationem, videlicet villam Chechy et tres villas Dobza in comitatu de Segusd, duas villas Ouoche et Berzenyche in comitatu de Posega existentes ab eodem revocaverat, quia etiam tauarnicum reginalem Paulum fecerat interimi. Sed postquam de omnibus certocertius fuerat experta, resciens quod haec omnia ex odii fomite contra eundem fuerant exorta, ut eum a servicio reginae sub malo zelo possint separare et licet dictus Paulus merito fuerat interfectus, uxori et agnatis eiusdem Pauli secundum sententiam baronum satisfecit. Unde attendens totam ipsius fidelitatem et servitia quae reginae a longo tempore impenderat, villam Chehi tres villas Dobza et villas Berzeniche et Ovacha restituit ei ex voluntate filii sui regis. Datum per manus magistri Laurentii praepositi de Posega, aulae reginalis vicecancellarii.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. Cont. IV. 312.

MCDXXIX. *In* **Ivanich**. *1288.* Joannes episc. Zagrabiensis significat, quod Abbatissa et Moniales de Iwanich humiliter supplicarunt privilegium Stephani quondam episcopi Zagr. pro eis renovari. Cui petitioni inclinatus, privilegium ipsum (de a. 1246) confirmavit.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 223.

MCDXXX. *1288.* Capitulum eccl b. Petri de Posoga notificat, quod Gregorius comes filius Zaida confessus sit particulam terrae suae Jelseuch iuxta terram comitis Nicolai adiacentem pro debito octo marcarum, quibus Zaidae filio comitis Mathiae tenebatur, eidem Zaidae vendidisse in perpetuum. Cuius terrae prima meta incipit super Oriauicha potoka, transita via ascendit ad Crisna glava, inde descendit ad terminos terrae Hursouch et ibi per quoddam mege in latere Byrch tendit versus meridiem, flectitur per vallem quae dividit a Nicolao filio Hrank, eundo cadit in Oryauicha, et per magnum Oriauicha venit ad priorem metam.

Ex archivo camerali Budensi. — Wenzel: Cod. dipl. Arpad. IX. 489.

MCDXXXI. **Nonae.** *1289. 3. Februarii.* Temporibus Ladislai IV. regis et ven. Marci episcopi Nonensis et Pauli incliti bani maritimi ac Georgii comitis nec non Mladeni potestatis Nonae. Gregorius filius olim Berizlai fatetur se donasse Rocco filio Kerzenani unum gonayum et dimidium terrae suae prope Wartu extra vineam suam, cui ex austro vinea Radoslay Bermechevig a meridie vinea Kerzevani Conachevig, a borea vinea Dobre habitatorum Jadrae, pro qua donatione dedit illi pro talione solidos triginta. Coram testibus Bugno Georgio, Moysia Stepkonik, nunc judicibus, Hrancio Bratoslauig et Stephano Lucae. Druzina filius Johannis examinator manum misit, Petrus Nonensis notarius scripsit.
Ex mea antiqua collectione.

MCDXXXII. **Zagrabiae.** *1289. 14. Febr.* Johannes episcopus Zagrabiensis notum facit, quod cum fratres canonici et totum capitulum ecclesiae Zagr. magistrum Andream iudicem curiae eius super quadam insula inter Zawam et Zawicham, quae fuit quondam cuiusdam Lelchech, convenissent, dicentes ipsam insulam ad proprietatem ipsorum pertinere et eandem per sententiam sibi adiudicari postularent, agnoscens episcopus veritatem assertionis et plenum ius eorum, restituit eis dictam insulam. Datum per manus magistri Gogani lectoris ecclesiae Zagrab. et magistri notariorum episcopi.
Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 224.

MCDXXXIII. **Curanae.** *1289. 2. Martii.* Bartholomaeus filius Alexandri Veronensis notarius transumit quoddam instrumentum ex delegatione legati et manu Joannis filii condam Gentilis notarii roboratum, quo Andreas Causonus canonicus Paduanus usus est coram Bonentino archipresbitero Paduano summi Pontificis delegato in causa quae vertebatur inter Bonaventuram archiepiscopum Ragusinum seu Joannem de Malumbrii eius procuratorem pro eo, et Andream Causonum ex altera parte.
Ex Bullario Ragusino Ms. p. 410.

MCDXXXIV. **Pharae.** *1289. Mense Martio.* Tempore Joannis Dandoli ducis Venetiarum, patris Duymi episcopi Pharensis, nob. viri Bertuzzi Dauro potestatis Pharae et Brachiae, suorum judicum Bogdano, Mixe Petri, et Desilao Mixe in consilio maiori Pharae congregatis, est conquestus Prodanus abbas monasterii s. Silvestri de Busi, quod aliquos ex illorum falconibus, quorum insula illa ferax erat, per venationem furtim abreptos emerant Farienses. De sententia igitur totius consilii decretum est ut falcones accepti, per illos qui emerunt, restituantur eidem abbati, nec deinceps aliquibus possessionibus dictae insulae Busi molestari debeat a communi Pharae nec ab aliqua persona.
Farlati: Illyr. Sacr. T. IV. p. 249.

MCDXXXV. *1289. 7. Aprilis.* Praesentibus nobilibus viris Tharabotto de Tharabottis Spalatensi potestate, Jurissa filio Radoy, Petro filio Nicolai, et Simone Siculi Sibenicensis et aliis pluribus testibus, nobilis vir Cepregna judex Sibenicensis, praesentavit Francisco notario Spalatensi ex parte Marcelli episcopi Nonensis et Joannis abbatis s. Grisogoni Jadrensis, ac Jacobi archidiaconi Spalatensis domini Nicolai IV. papae judicum delegatorum in questione Traguriensium et Sibenicensium, quoddam exemplar citationum factarum . . . episcopo Traguriensi, et nobili viro Leonardo Faletro Siben. electo,

per praedictos executores clausum et sigilatum tribus sigilis, dicendo et protestando, quod placeat d. Francisco scribere facere totum illud, quod continetur in exemplo praedicto, quod fuit exemplum citationis. Venerabilis d. Jacobus archidiaconus Spalatensis praesentavit d. Gregorio episcopo Traguriensi litteras tribus sigillis sigillitas, Marcelo episc. Non., Joannis abbatis et Jacobi archid. sonantes fratri Gregorio episcopo Traguriensi, et Leonardo Faletro plebano s. Angeli de Venetiis, Morinensi ac Sibenicensi electo ac clericis Traguriensibus. In quibus eis communicavit litteras Nicolai IV. papae, huius tenoris: (Vide Doc. MCDXXIII. 26. Septembris 1288.) In sensu itaque mandati Pontificii citati sunt praedicti Gregorius et Leonardus per ipsos delegatos, ut per se vel per procuratores suos compareant Romae.

Lucius: Mem. di Trau. p. 124.

MCDXXXVI. **Venetiis**. *1289. 14. Maii.* Astantes coram Petro Gradonico duce Venetiarum et ejus consilio nobiles viri Pasqua de Varicassso et Domaldus de Sadolino cives Jadrae, procuratores et actores egregii viri Pauli Breberiensis bani et eius fratrum comitis Georgii et comitis Mladini solemniter iniverunt et firmaverunt puram et firmam treugam usque ad tres annos completos cum magnifico duce et communi et hominibus Venetiarum, promitentes, quod nec per se nec per suos homines aut homines Almissi offendent vel offendi facient, ducem et Venetos.

Wenzel: Cod. dipl. Arp. IX. p. 500.

MCDXXXVII. **Jaderae**. *1289. 26. Maii.* Jacobus archidiaconus Spalatensis, Nicolai IV. papae judex delegatus, in questione Sibenicensi et Traguriensi, mandat magistro Francisco notario civitatis Spalatensis, cum ille ad preces suas confecisset duo instrumenta in quaestione praedicta, que non sunt ipsius verum Romanae ecclesiae et summi pontificis, et ipsa non modicum defectiva sint, ut praedicta instrumenta secundum exemplum quod ei mittit, conficere et emendare curet.

Farlati: Illyr. Sacr. T. IV. p. 458.

MCDXXXVIII. **Zagrabiae**. *1289. 29. Maii.* Johannes episcopus Zagrabiensis notum facit, quod cum per infidelitatem Ugrini condam castellani de Garig dictum castrum ab ecclesia fuerit alienatum et de dicto castro per depredatores in toto episcopatu incredibilia damna sint illata. et comitatus eius Chasmensis intrinsecus et extrinsecus sit bonis omnibus spoliatus, hominibus occisis, detruncatis et captivitatis. Quocirca eundem Ugrinum omnibus possessionibus in episcopatu constitutis sententialiter decrevit spoliari; de quibus unam, quae quondam Jula filii Voynich sine herede decedentis, quam ipsi Ugrino contulerat in comitatu de Iwanich sitam, dedit et donavit comiti Gardino tam titulo donationis quam venditionis, cum idem comes pro necessitatibus arduis dederit ei 30 marcas singulas cum singulis quinque pensis computando.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 225.

MCDXXXIX. *1289. 11. Junii.* Ladislaus IV. rex notificat, quod nobiles viri Johannes Leonardus et fratres eorum, filii comitis Wyd de Vinodol, Modrus et Vegla, missis ad eum procuratoribus suis petierunt ab eo ut possessiones eorum, villas, praedia, insulas, castella etc. jura patronatus ecclesiarum dę Corbavia et dę Scenya, quae et quas ex collatione regum posse-

derunt, confirmare dignaretur. Rex igitur attendens servitia eorum et praedecessorum, et obsequia eorum gratuita quae in receptione nuntiorum eius ad curiam Romanam et ad Karolum regem Sicilae et filios suos, cognatos regis, destinatorum hospitalitatis gratiam impendendo non sine magnis eorum sumptibus impenderunt, universas eorum possessiones etc. de Corbavia et de Segna, quas a regibus praedecessoribus et Stephano patre eius legitime obtentas habent, eisdem Johanni, Leonardo et filiis eorum duxit confirmandas. Datum per manus Gregorii episcopi chenadiensis aulae cancellarii.

Orig. in actis per banum Khuen-Hedervàry ex archivo regni Croatiae ablatis. N. R. A. Fasc. 316. n. 5. Extitit quoque in archivo com. Frangepani in castello Porpetto Friuli N. 8.

MCDXL. **Budae**. *1289. 17. Junii.* Ladislaus IV. rex significat, quod intuitis servitiis filiorum Petri, nepotum Kuchuna, quae ei in omnibus regni negotiis fideliter impenderunt, eis terram Nicolai filii Mikula sine haerede decendentis in comitatu Rewche (Rovišće) existentem contulerit.

Wenzel: Cod. dipl. Arp. IX. p. 550.

MCDXLI. **Tragurii.** *1289. 3. Julii — 16. Decembris.* Die 3. Julii statutum fuit in consilio generali communitatis Traguriensis, quod mittantur bano petenti 100 homines, armati per X. dies et solvantur eis ad rationem solidi tres pro die et detur eis farina de communi. — Die 18. Augusti mittantur bano tres barchae armatae cum octo hominibus in qualibet barcha. — Die 17. Sept. Mittantur comiti Mladino et fratribus quatuor salmerii vini et unus peponum. Armentur sex barchae pro qualibet unus nobilis pro capitaneo et unus nauclerus. — 23. Sept. Armetur una galeota pro nuptiis bani et ponatur collecta. 23. Novembris custodiatur galeota communis. — 16. Decembris. Mittantur bano in Lesina 40 homines.

Lucius: Mem. di Trau p. 131.

MCDXLII. **Venetiis.** *1289. 23. Julii.* Captum fuit in maiori consilio, quod Marinus Superantio iturus comes Jadram possit tenere secum Joannem de Parma pro socio.

Ljubić: Mon. I. p. 147.

MCDXLIII. **Tragurii.** *1. Augusti. 1289.* Stephanus Ugerii civis Anconitanus, potestas Traguriensis, et quatuor sapientes determinant et XV. sapientes homines approbant, quod captivi, qui detinentur in carcere communis, una cum Luca et Daniele, possint exire si volunt, sed debeant parere et obedire mandatis potestatis, judicum et rectoris sub conditionibus: quod statim dum detracti fuerint de carcere, promittere debeant et jurare, stare et morari quatuor annis continuis Anconae, hoc excepto, quod cum licentia potestatis Anconae dictis quatuor annis ad quascumque partes ire possint ad lucrandum, praeterquam ad partes Dalmatiae. Completis autem annis quatuor, debeant habitare filii Jacobi Decii in Jadra, filii Petri Domatii in Arbi, residui vero in Fara temporibus vitae eorum, cum omnibus de eorum familia. Item quod nullo modo praesummant realiter vel personaliter offendere aut damnificare aliquem de Tragurio, aut aliquam proditionem aut machinationem contra civitatem facere, et si contrafacerent aliquibus dictorum, cadant qualibet vice in poenam. Et pro his firmiter observandis dabunt securitates bonas de trecentis marchis

argenteis de Spaleto, de ducentis marchis argenti de Briberio, de 200 m arg. a d. comite Zanne de Vegla, de 200 m. arg. de Jadria et de 200 m. arg. de Sibenico et de 200 marchis de Tragurio. Cuis poenae, si contra factum fuerit pro qualibet vice applicetur medietas denuncianti, et alia medietas communi Traguriensi, et dampnum patientis emendetur.

Lucius: Mem. di Trau p. 127.

MCDXLIV. **Kopornuk.** *1289. 8. Septembris.* Nicolaus palatinus et comes Simigiensis commendat memoriae, quod magister Buzad, filius Chak bani, pro se et Friderico fratre suo coram eo constitutus, monasterium ipsorum in honorem B. M. V. in Royk fundatum simul cum possessionibus et populis ipsius, comiti Achus cognato suo ad conservandum commiserit et defendendum tam contra filios Chak bani quam alios quoslibet de ipsorum generatione.

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. VII. vol. 5. p. 484.

MCDXLV. **Zagrabiae** *circa. 1289. 15. Septembris.* Ladislaus IV. rex mandat nobilibus et universis hominibus de Berzencze, cum ille comitatum eundem Timotheo episcopo Zagrabiensi sicut primitus ita et nunc reliquerit, quatenus omnia jura et proventus ex parte eorum de commitatu Berzencze debitos, officiali ipsius episcopi sine diminutione et fraude eo modo persolvant, quemadmodum tempore domini Belae ducis fratris eius ministrare consveverant.

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. VII. vol 5. p. 484.

MCDXLVI. **Cathari.** *1289. 9. Octobris.* Ecclesiam beati Nicolai mirabili modo depictam ad honorem et laudem dei et dicti beati, vir nobilis Tryphon Balduinus de Dragonae et filii sui Drago et Germanus fundaverunt, haereditaverunt et consecrari fecerunt de sua propria substantia. Admodum rev. domino Domnio episcopo Catharensi et suo capitulo donant dictae ecclesiae omnes possessiones suas circa ecclesiam dictam, scilicet vineas, zardinos et hortos pro remedio animarum suarum. Actum in praesentia episcopi et sui capituli et totius populi civitatis. Thomas de Firmo, Cathari notarius, scripsit et roboravit.

Ex collectione Ms. Papafavae.

MCDXLVII. **Zagrabiae.** *1289. 21. Octobris.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notum facit, quod Mark filius Martini pro se et fratribus Gregorio et Demetrio, item Dersk filius Mortunus pro se et fratre suo Andrea, nobiles de genere Rata, confessi sunt se vendidisse Nicolao filio Arlandi pro domino ejus nobili viro Stephano bano, filio comitis Stephani, terram suam Drozgometh iuxta fluvium Maya pro viginti marcis. Cuius meta incipit in latere montis Cupka goricha, inde per varias metas arboreas et terreas, per montes et valles cadit in fluvium Cocucheves et in fluvium Maya.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 226.

MCDXLVIII. *Circa 1289.* Ladislaus IV. rex scribit fidelibus suis Endre filio Lothar, et Gregorio filio Pak, parte pro Martini filii Wyduzlav et Bank filii Petruzlav jobagionum castri Simigiensis, quod Opoy ipsos destruxisset et terram ipsorum Necech indebite occupasset, inde cum rex dictam terram ipsi Opoj conferre non velit, mandat quatenus orfanos Martinum et Bank in terris ipsorum conservent.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. IX. 554.

MCDXLIX. *1289.* Ladislaus IV. rex notificat, quod Endre, Dionisius et Lothardus filii Lothardi de denere Gutkeled petierunt, ut collectam populorum suorum in comitatu Wlko, marturinarum videlicet, septem denariorum et victualium, quae vulgariter Zalusina nuncupatur, eisdem relaxare dignaretur. Rex igitur consideratis servitiis eorum quae in omnibus expeditionibus regni fideliter inpenderunt, omnes populos seu jobagiones ipsorum in praefato comitatu commorantes a praedictis exactionibus duxit eximendos, ita ut de caetero bano pro tempore constituto exactioni seu collectae huiusmodi in nullo dinoscantur adiacere sed omnino exempti haberentur. Datum per manus Thomae, episcopi Wachiensis, aulae cancellarii.
Wenzel: Cod. dipl. Arp. IX. 493.

MCDL. **Prizren.** *1289.* Stephanus Uros, rex Serbiae, ad petitionem nobilium Lucari Mihoilović et Petri Goislavić, missorum comitis Marini Gjorgji et communis Ragusii, in praesentia servientium suorum Dragoslavi et Budislavi Hvalčić statuit posse Ragusinos possidere vineas et agros in regno suo, quas possederunt regnante patre eius.
Miklosich: Mon. serbica p. 55.

MCDLI. **Katraža.** *1289.* Helena regina Serbiae confirmat Ragusinis in praesentia judicis Boleslavi, cubiculorum magistri Meriani et judicis Desislavi, et missorum Ragusaeorum Lucari Mihailović et Petri Goislavić possessionem vinearum quas regnante filio eius Urosio et condam rege possidebant.
Miklossich: Mon. Serb. p. 55.

MCDLII. *1289.* Andreas abbas Zaladiensis et totus conventus notificant, quod magister Buzad et Feldricus filii Chak bani possessionem ipsorum, portionem Michaelis filii Tristani in Royk, vendidissent comiti Ochuz, filio comitis Buzad, fratri eorundem pro triginta marcis.
Wenzel: Cod. dipl. Arp. IX. 508.

MCDLIII. *1289.* Andreas abbas Zaladiensis et totus conventus loci notificant, quod domina relicta comitis Nicolai filii Chak bani et comes Herbordus, filius Laurentii, cui eadem domina totam suam causam dimisit, possessionem suam Kwthfeu in Oltaruch existentem pro triginta marcis comiti Ochuz filio magistri Buzad vendiderit. Cui terrae commetanei sunt magister Buzad et Fridericus filii Chak bani, ab oriente sunt terrae Descych, a meridie rivus Oltaruch ab aquilone terra Bachita.
Wenzel: Cod. dil. Arad. IX. 509.

MCDLIV. **Tragurii.** *1290. 31. Januarii — 10. Aprilis.* Die 31. Januarii statutum fuit in consilio communitatis Traguriensis, ut fiat collecta pro solutione 40 hominum missorum bano, et provideatur de necessariis galeotta communis, quae est apud Farum. — 10. Aprilis. Super litteris missis a d. bano et Elia potestate Sibenicensi mittatur ambassator.
Lucius: Mem. di Trau. p. 131.

MCDLV. **Tragurii.** *1290. 7. Martii.* Actum in palatio civitatis Traguriensis, praesentibus Donato Nicolae, examinatore, Dessa Amblasii, Luca Matthaei, Valentino Casarizza et aliis vocatis et rogatis. Quia Petrus, Lucas, Zannes,

Martinusius et Margaritus, filii quondam Jacobi Petii di Tragurio, in eorum libertate propria existentes confitentur: quod Vitus Cerni de Jadria pro 500 libris et procuratores Michael Martinosii pro 1000 libris, Preboslaus Dabralis pro 100 libris, Mileius Dessae pro 100 lib. Dompnus Vulcinae procur. nomine Jacobinae suae matris pro 100 lib. Duymus Gaudii pro 100 lib. Ciprianus Petri Leonardi pro 100 lib. Joannes Rambaldi pro 100 lib., Creste Alberti pro 100 lib., Theodosius Alberti procur. nomine Agapis uxoris condam Gregorii Grubi pro 100 lib., Domaldus Grubi Cuttignae pro 100 lib., Theodosius procur. nomine suae matris Goislavae relictae Alberti pro 100 lib.; item Vitus. Creste et Theodosius pro dominis Zanne, Dujmo et Leonardo comitibus Veglae pro 1000 libris; item Marcus Stephani Raghae procur. nomine Vuchesae, filii condam Budislavi de Birberio pro 500 lib., Petrosius Cerniche pro 100 lib., Lucas Bastiani pro 100 lib., Gausina comitis Marini pro 100 lib., Theodosius Firmini pro 100 lib., Marinus Andreae pro 100 lib. denariorum parvorum Veneticorum pro ipsis Petro, Luca, Zanne, Martinussio et Margarita in praedictis quantitatibus prout suprascriptum est fideiusserunt se, obligaverunt se eorum mandato apud nobilem virum Stephanum Ugerii de Ancona potestatem civ. Tragur. et commune dictae civitatis et apud magistrum Philippum notarium recipiendo pro dicto potestate et communi in his quod ipsi cunctis temporibus vitae suae parebunt mandatis, maxime de non offendendo personas civit. et quod ad mandatum pot. ibunt Anconam et ibi stabunt iuxta mandatum dicti potestatis et commune, secedendo per annos quatuor continuos stabunt in Dalmatia extra districtum Tragurii a civitate Spalati usque Fluvium seu Tarsicum et completis annis cum omnibus suis familiis stabunt Jadrae usque ad tempus vitae eorum, et si contigerit eos per mare applicare per fortunam ad partes Tragurii, in terram non descendent, sed quam citius poterunt inde secedent. Ad haec omnia se pro eis obligarunt in praedictis quantitatibus prout in instrumento promissionis not. Philippi plenius continetur. Idcirco dicti Petrus, Zanne, Martinussis, Lucas et Margaritus promiserunt pro omnibus et singulis fideiussoribus, ipsos a dictis promissionibus et obligationibus et singulis dampnis et expensis indemnes conservare.

Lucius: Mem. di Trau. 128.

MCDLVI. **Romae.** *1290. 8. Martii.* Nicolaus IV. papa vacante dudum Veglensi ecclesia per obitum Marini episcopi Veglensis, duae fuerunt electiones a canonicis ipsius ecclesiae, una de fratre Joanne de Vegla Minorum. et altera de fratre Zacharia Praedicatorum ordinum in discordia celebratae, cumque electi infra tempus a jure statutum ad sedem apostolicam accedere non curarunt pro negotio electionum suarum prosequendo, nominavit papa fratrem Lambertum in episcopum Veglensem, quod ei per litteras suas intimavit.

Farlati: Illyr. Sacr. T. V. p. 391.

MCDLVII. **Zagrabiae.** *1290. 29. Martii.* Comes Gardun castellanus Johannis episcopi Zagrabiensis de castro Medved et Blagosa significat, quod cum relicta Martini filii Thomae de Scepnicha, iobagionis castri, astante sibi Otto gladipurgatore, nunc marito suo, Itemerium servientem Martini quondam castellani de Blagosa convenisset, egerunt contra eum in hunc modum: quod Itemerius terram filii Ivan a praefato Martino procreati, existentem in Scepnicha inter terras Laztech et Stank ac comitis Perchini occupatam indebite detineret. E contrario vero Itemerius asseruit se habere instrumenta quibus

obtentam terram possederet. Sed in termino, praefixo nullas litteras praesentare potuit, comes igitur eandem terram dicto Ivan, prout avus eius Thomas eam possedit, reliquit possidendam, salva quarta parte terrae praefatae Damasdae pertinente.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 227.

MCDLVIII. **Venetiis.** *1290. 14. Maii.* Praesentibus Jacobo Donato, Lenardo Gysi, Pancratio Venerio, Marco Maripetro, Tanto cancellario et Rustechino Benintendi notario et scriba ducatus Venet. testibus vocatis et aliis multis, coram Petro Gradonico, duce Venetiarum, astantibus nobilibus Andrea de Molino, Leonardo Venerio, Marino Ruzino, Grabono Dandulo, Gabriele Delfino, Johanne Superantio, consiliariis, nobiles viri Pasqua de Varicasso et Domaldus de Zedulino, cives de Jadra, nuntii Pauli Breberiensis, bani et eius fratrum comitis Georgii et comitis Mladini, solemniter inierunt et firmaverunt veram et puram treugam usque ad tres annos continuos cum d. duce Petro Gradonico et hominibus Venetiarum.

Ljubić: Mon. I. p. 147.

MCDLIX. **Posegae** *1290. 28. Junii.* Capitulum ecclesiae beati Petri de Posoga notificat, quod comes Ghyleth possessionem suam Zauarsia inter metas possessionis Czech existentem cum omnibus pertinentiis et utilitatibus Ipolyto officiali suo pro morte seu homicidio Peronii, fratris praedicti Ipoliti, per ipsum comitem casualiter, ut asseruit, interemti, et insuper pro meritoriis serviciis eorundem, contulit in perpetuum. Meta terrae incipit iuxta aquam Oryaua inde ad locum ubi rivulus Czech potok cadit in Oryauam, inde prope villam Gurbunyk, inde per varias metas ad montem Belni-Kelnik, inde per montes et nemora et varias metas ad primam.

Ex actis per banum Khuen-Hedervåry ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 1513. N. 19.

MCDLX. *1290. 6. Sept.* Conventus de Zala commendat memoriae, quod domina relicta comitis Nicolai filii Chak bani ab una parte et Ladislaus filius Corochey pro domino suo comite Ochuz ab altera personaliter astantibus, eadem domina portionem suam Oltaruch vendiderit comiti Ochuz.

Wenzel: Cod. dipl. Arp. X. p. 12.

MCDLXI. **Jadrae.** *1290. 8. Novembris.* Jadrenses declarant bonam et firmam pacem communitati Spalati et Tragurii et promittunt una esse amicos hinc ad annos quinque si Spalatenses habebunt potestatem vel comitem qui non fuerit de Sclavonia, et non recipient inimicos eorum in suam civitatem neque cum illis mercatum facient, salvo honore dd. Venetiarum; communitas autem Spalati et Tragurii eodem modo faciet Jadrensibus salvo honore regio Hungariae. Item si fecerint exercitum per mare, Jadrenses dabunt tres homines, Spalatum duos, Tragurium unum. Hoc pactum affirmarunt suo sacramento triginta homines Jadrae.

Lucius: De regno Dalm. et Croat. Lib. IV. cap. IX.

MCDLXII. *1290.* Elisabetha maior regina Hungariae manifestat, quod magister Laurentius filius comitis Laurentii de genere Aba, cognatus reginae carissimus, a primaevis suae pueritiae temporibus gratos impenderit famulatus,

se et sua pro honore regiae coronae variis periculorum generibus et multis fortuitis casibus exponere non verendo. Cuius Laurentii, dux Austriae, quia ejus consortio nolluit adhaerere, tria castra occupavit et innumerabilia bona abstulit. Et quia etiam in regiis legationibus iverat et in ellectis equis damnum contra valorem ducentarum marcarum est perpessus, eidem tam ratione proximitatis, quam in recompensationem servitiorum, vyznicatum S. Martini in comitatu de Vereuche ex voluntate Ladislai regis filii sui, cum omnibus eius habitis et possessis, contulit in perpetuum. Datum per manus magistri Laurentii, praepositi de Posoga, cancellarii.

Ex actis per banum Khuen-Hederváry ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 1504. N. 12 et Fasc. 1511, Nr. 3.

MCDLXIII. *1291.* Comes Hodus notum facit civibus Zagrabiensibus de monte Grech, quod palatium suum pro concambio quatuor possessionum scilicet Polcuna, Buken, Mixe et Gurk magistro Paulo collocaverit, qui magister contulit idem palatium Gilioni concivi eorum, petit itaque amicabiliter ut idem dicto Gilioni assignare faciant.

Tkalčič: Mon. civit. zagrab. I. p. 46.

MCDLXIV. *Apud* **Tragurium.** *1291. 22. Januarii.* In praesentia Micha Petri de Spalato, syndici et procuratoris communis ex parte una et Dessa Mursizae de Tragurio sindicus et procurat. communis, ex parte altera de consensu et voluntate ipsorum communium fecerunt inter se societatem et generalem unitatem duraturam inter eas per quinque annos, et promisserunt etiam una alteri ipsarum dare omne consilium, auxilium et deffensionem contra omnia communia et personas singulares salva reverentia et fidelitate debito pro rege Hungariae et domini bani. Et promiserunt praedicti sindici ad invicem unus alteri nomine communitatum eligere comitem et potestatem vel rectorem de una et eadem terra, prout de terra fuerint invicem concordes ad dictum tempus. Et obligarunt se omnia haec observare sub poena duarum millium marcarum argenti, deposito juramento ad s. Evangelia. Actum in ecclesia s. Joannis, praesentibus Stephano Rugerii de Ancona potestate civ. Spalatensis, Alberguccio Jacobi, potestate Traguriensi, Benvenuto eius socio, Valentino de Cassariza, Josepho Petri, Lucio Mathaei, Nicolao Casocti, Theodoro Alberti, Petro Leonardi, Privoslavo Dobrali, Duimo Domiche, Maio Dobrae, Silv. Mengazzae, examinatore.

Lucius: Mem. di Trau. p. 130.

MCDLXV. *Apud urbem veterem 1291. 12. Februarii.* Nicolaus IV. papa: siquidem Jadrensis ecclesia per obitum Laurentii archiepiscopi dudum pastore destituta fuisset, capitulum eiusdem ecclesiae magistrum Andream Capsoni, canonicum ecclesiae Paduanae elegit in archiepiscopum; reliqui tamen ad Gradensem patriarcham ab electione huiusmodi appellarunt. Coram quo aliquamdiu negotio ventilato, et per appellationem ad sedem apostolicam devoluto, concessit papa partibus in auditorem Joanem tit. s. Caeciliae presbyterum cardinalem. Verum postea idem magister Andreas cupiens suae provideri quieti, jus suum per electionem acquisitum in manus pontificis resignavit, qui recepta renuntiatione, Joannem fratrem ordinis Minorum nominavit in archiepiscopum Jadrensem et per suas litteras eidem intimavit.

Farlati: Illyr. Sacr. T. V. p. 85.

MCDLXVI. **Jaurini.** *1291. 21. Martii.* Andreas III. rex mandat hospitibus de monte Grech, cum magister Paulus filius Stephani bani palatium suum existens Zagrabiae in monte Grecensi, quod a comite Hodus et filiis suis pro concambio quarundam possessionum suarum recepit, Gilioni concivi eorum pro servitiis et rebus expensis donaverit, quatenus dictum palatium dicto Gilioni assignare debeant.
Tkalčić: Mon. civit. Zagr. I. p. 65.

MCDLXVII. *1291. 8. Aprilis.* Marcellus, episcopus Nonensis, transummit pro Luca filio Dessae, cive Jadrensi, litteras magistri Templariorum per Hungariam Guillelmi de Peymos super donatione terrae Podskalina in territorio Zablatae de anno 1284. Idem transumptum confirmat frater Salamon, prior provincialis Hungariae (et Slavoniae).
Kubinyi: Cod. dipl. Arpad. I. 148. — Fejer: Cod. dipl. Hung. T. VII. vol. V. p. 98.

MCDLXVIII. **Neapoli** *1291. 6. Junii.* Carolus I. rex Siciliae mandat justitiariis, capitaneis et aliis officialibus Apuliae, cum viri nobiles Doymus comes de Veglia et Radislaus Babunio, regis et reginae consortis suae fideles, de Ungaria venientes ad portum Manfredoniae applicasse dicuntur, deinde se ad regis praesentiam collaturi, quatenus eosdem comites totamque familiam et comitivam eorum cum animalibus et rebus libere permittant, nullam eis iniuriam inferre praesumant et honorabiliter sicut decet tractent et necessariis provideant.
Wenzel: Acta extranea. I. 77.

MCDLXIX. **Maulchae.** *1291. 17. Junii.* Magister Paulus filius Stephani bani significat, quod ex consensu fratrum et filiorum suorum palatium suum quod habuit Zagrabiae in monte Grech pro concambio a comite Hodus recepto contulit comiti Gilioni civi de Grech, prout etiam pater ejus Stephanus banus bonae memoriae ipsi comiti perpetraverat.
Tkalčić: Mon. civit. Zagr. I. p. 66.

MCDLXX. **Kamarun.** *1291. 8. Julii.* Andreas III. rex significat, quod Paulus filius Stephani bani retulit viva voce: quod palatium quoddam Stephani bani, patris sui, existens Zagrabiae in monte Grecensi, quod comiti Hodus contulerat et ac eo in concambium pro 4 possessionibus videlicet Polkuna in comitatu de Borsad, item 'Buken, Mixe et Gyurk in comitatu de Zobolch receperat, Gilioni civi Grecensi, personaliter astanti, pro servitiis et recompensatione rerum suarum sibi et Stephano bano fratri suo in necessitate eorum datarum et expensarum contulerat iure perpetuo. Et ipsi collationi Ladislaus filius comitis Hodus pro se et pro patre suo, ac magister Brictius filius Andreae cognatus comitis Hodus personaliter assensum praebuerunt, ad petitionem quorum rex dictam donationem confirmavit.
Tkalčić: Mon. civit. Zagr. I. p. 66.

MCDLXXI **Ragusii.** *1291. 11. Julii.* Coram Andrea Dandulo, clarae memoriae Johannis Danduli ducis Venet. filio, comite Ragusino et juratis judicibus Andrea Benexae, Dimitrio de Saracha, Marino Pesagnae, Junio Picineci et Savino Gifebae (?) de Vodacio, Savinus Ghetaldi cum assensu uxoris

suae Agapyae fecit testamentum, quod post obitum eius omnia eius bona stabilia veniant ad manus pitroporum seu commissariorum ipsius, qui debent dare annuatim fratribus Minoribus s. Savini de Daxa omnes redditus de dictis possessionibus detractis expensis. Et si fratres locum et monasterium desererent, distribuantur bona pro anima eius et uxoris secundum consilium ministri fr. Minorum provinciae Slavoniae. Possessiones hae fuerunt: domus quae confinat cum domo Ghetaldi, nepotis eius et cum domo Vitalis neptis eius; item vinea et terra Rossini de Bellem penes vineam Haislavi de Crossi; item vinea et terra in Breno quae terminatur cum vineis Marini Prodanelli, Petri de Prodano et s. Michaelis de Labe, quam habet Marinus de Bocciguolo; item vinea et terrae in Umbla quae confinant cum terris Mathaei Binciola, Daxae filiae condam Dobroslavi de Resti etc. Pitropos autem constituit Michaelem do Ragnina, cognatum suum, nepotem Ghetaldi, filium condam Bistii de Ghetaldo. Omnes denarios suos, exceptis 150 yperperis, reliquit uxori suae Agapae; mobilia omnia cum auro et argento reliquit fratribus Minorum salvo quod uxor eius de mobili possit trahere exagios quinquaginta de auro. Azo condam Jacobi de Pitusto juratus cancellarius scripsit. Fr. Bernardinus Gotius acceptavit.

Farlati: Illyr. Sacr. T. VI. p. 119.

MCDLXXII. **Zagrabiae.** *1291. 11. Augusti.* Katherinus major vilae, judices et consiliarii; Benk, Nicola, Wuneth, Thomas, Rodolph, Petrus, Jacob et Ivan ac universi cives de monte Grech significant, quod Gilyon, quondam major villae et concivis eorum exhibuit litteras Andreae (III) regis quibus idem notificavit: quod magister Paulus filius Stephani bani retulerit viva voce, quod palatium quodam Stephani bani patris sui, existens Zagrabiae in monte Grecensi, quod comiti Hodus cognato suo perpetuo contulerat, ab eodem comite pro concambio possessionum, Polkuna in comitatu Borsad, item Buken, Mixe et Gyurk in comitatu de Zobolch rehabuisset, et ipsum palatium Gilioni civi Grecensi ob merita servitiorum et recompensationem rerum suarum sibi et Stephano bano fratri suo in necessitate eorum datarum et expensarum donavit in perpetuum. Cui donationi Ladizlaus filius comitis Hodus pro se, pro patre suo ac magistro Briccio filio Andreae, cognato comitis Hodus assensum praebuerant. Ad majorem autem certitudinem praesentarunt litteras dicti comitis Hodus super donatione et concambio ipsius palatii inter ipsum et magistrum Paulum facta, in quibus idem Hodus regi Andreae refert, quod suum palatium Zagrabiae in monte Grech constructum; et ex dono filiorum Stephani bani pro quadam captivitate sua pro eisdem perpessa collatum, pro concambio possessionum supradictarum, ab Alexandro bano filio Georgii suo propinquo haereditario jure successorum, ipsi magistro Paulo resignavit. Qui quidem Paulus idem palatium servienti suo Gilioni civi de monte Grech tradidit, petiitque Andream regem, ut eandem donationem confirmare dignaretur. Cui petitioni rex assensum praebens mandavit universitati montis Grechensis ut dictum palatium supradicto Gilioni statuant et assignent, qui etiam illum in possessionem palatii solempniter introduxerunt.

Tkalčić: Mon. civit. Zagr. vol. I. p. 67.

MCDLXXIII. **Jaderae.** *1291. 18. Septembris.* Jaderensis communitas concludit in suo consilio: Cum mater regis Hungariae transitum facere intendit

per Jadram ad Regem, mittatur galeotta communis bene ac diligenter aptata, in qua vadant quatuor de nobilioribus civitatis et ei per praedictos praesententur C. castrati, et C. galettae vini melioris, et quod vendantur C. modii de ordeo communis.

Fejer: Cod. dipl. T. IV. vol. I. p. 185.

MCDLXXIV. **Tragurii.** *1291. 18. Septembris. — 26. Octobris.* In consilio communitatis Tragur. statutum est die 18. Septembris. Cum mater regis Ungariae transitum facere intendit per Jadram ad regem, mittatur galeotta communis bene et diligenter aptata, in qua vadant quatuor de nobilioribus civitatis, et ei per praedictos praesententur nomine communis 100 castrati et 100 galette vini melioris, et quod vendantur 100 modii de ordeo communis. — Die 26. Octobris. Nuntio qui tulit litteras regis provideatur de una marcha argenti de avere communis.

Lucius: Mem. di Trau. p. 131.

MCDLXXV. *1291. 9. Octobris.* Andreas III. rex confirmat Johanni filio comitis Bachiensis privilegium Ladislai regis in quo exemit populos eius inter Savam et Baza existentes a collecta victualium et marturinarum. Inter servitia eidem regi Andreae exhibita recitat inter caetera, quod cum contra ducem Austriae elevato exercitu generali, pro repellenda iniuria sibi et regno facta, processisset et plurima castra ducis expugnari et dirui fecisset, idem magister Johannes in expugnationibus dictorum castrorum maxime sub castro Viennae cum aliis fidelibus laudabiles exhibuit famulatus, ubi non sine effusione sangvinis sui evasit aliqualiter casum mortis. Datum per manus magistri Theodori Albensis praepositi aulae vicecancellarii.

Fejer: Cod. dipl. T. VI. vol. I. p. 128. Wenzel: XII. p. 509.

MCDLXXVI. *Prope Novam civitatem. 1291. 21. Octobris.* Andreas III. rex fideli suo magistro Johanni filio Nicolai bani mandat, quod cum magister Herbordus filius Herbordi ei conquestus sit, quod possessionem eius Ilmeuch indebite occupatam detineret, ut dictam possessionem dicto magistro reddat pleno jure prout ipsius fuisse dinoscitur ab antiquo et de damnis eidem illatis justitiae faciat complimentum.

Wenzel: Cod. dipl. Arp. V. 29.

MCDLXXVII. *1291. 28. Octobris.* Andreas III. rex notum facit, quod comes Ladislaus filius Servusdei exhibuit privilegium capituli eccl. Quinqueecclesiensis super collatione possessionis Oryva (Orljava) et catri in eadem constructi per Gregorium filium Clety dominae filiae suae uxori vero comitis Ladislai facta, petens ut eam confirmare dignaretur. Cuius petitioni rex annuit. — Ex litteris capituli mense Novembris a. 1290. extradatis patet, quod illud transmiserit suum canonicum Philippum ad Gregorium tunc podagricum, qui scilicet in suis petibus patitur podagran ab antiquo, et quod ipse infirmus corpore, mente sanus praesente filia Jolanta confessus sit de possessionibus haereditariis divisionem inter comitem Ladislaum et magistrum Philippum fratres eiusdem carnales et inter ipsum Gregorium factam fuisse ab antiquo de sibi devolutis possessionibus Krdos, Apaty Oryva, Chapa, castro Kuorogh, in Lyppov in Zeerya in Zava legavit has omnes consanguineis suis et fratribus. Oryavam

autem cum castro et omnibus pertinentiis dedit dictae filiae suae uxori comitis Ladislai filii Servusdei de genere Peech in quartam. Si illa haeredes non habuerit, nec filium nec filiam, tunc post mortem eius devolvetur possessio Oriava ad consangvineos fratris Gregorii . . si autem magister Gregorius adhuc filium habuerit extunc omnes possessiones hic filius possidebit jure geniturae una cum Oryava, salva quarta filiae suae. Praeterea dedit in donum huic filiae omnes servos suos et ancillas quos et quas usque modo precio comparavit, sicut litterae super his confectae declarant, item servos et ancillas quos et quas mater uxoris Ladislai secum traduxit, restituit filiae. Quorum nomina sunt: Cosmas cum uxore Pava et filiis et filiabus; item Paulus cum uxore Chepke et 4 filiabus, item Chydboj cum uxore Mazdolna cum 2 filiis. Hanc itaque dispositionem Gregorii quam et capituli b. Petri de Posega cum ipsius litteris confirmavit rex.

Cod. dipl. patrius VI. p. 370.

MCDLXXVIII. *In villa* **Dobsa.** *1291. 7. Novembris.* Nicolaus palatinus et comes Simigiensis dat pro memoria, quod comes Endre pro Nicolao bano, comite Wolko, domino suo ab una parte et comes Bartholomaeus filius Pauli pro se et comite Kalmero ab altera constituti coram eo, causam quam idem banus in octavis b. Andreae ap. coram rege contra antedictos habebat, arbitrio magistri Johannis fratris palatini, ipsius ac aliorum nobilium submiserint reformandam.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. 514.

MCDLXXIX. **Neapoli.** *1291. 28. Novembris.* Carolus, princeps Salernitanus et Vicarius in regno Siciliae Petro de Mara, secreto magistro portulano et procuratori Apuliae mandat, ut cuidam Jursio extrahere sinat de portubus Apuliae, sine jure exiturae, frumenti salmas 200 et 100 hordei, vehendas ad partes Sclavoniae et Dalmatiae ad munienda castra Pauli bani, Georgii et Mladeni fratrum, dominorum totius Sclavoniae et Dalmatiae.

Rački: Arkiv VII. p. 15.

MCDLXXX. **Neapoli.** *1291. 28. Novembris.* Carolus II. rex Siciliae, secreto Apuliae significat, a se fuisse datam facultatem Ivano de Jadera sal et frumentum deferendi e portu Baroli vel Manfredoniae ad terram Jadrae.

Rački: Arkiv VII. p. 15.

MCDLXXXI. *1291.* Andreas III. rex confert comiti Gardun filio alterius Gardun de Greben et ejus haeredibus possessionem Hrasthyna, in vicinitate possessionis Gereben, quam prius Nicolaus, Dominicus, Stephanus, et Demetrius filii Mauritii tenebant, sed ob certos actus notorios amiserant.

Ex Neo registratis actis Fasc. 2597. nr. 12. e regni Croatiae archivo per banum Khuen-Hedervary ablatis.

MCDLXXXII. *1291.* Andreas III. rex notificat, quod quia comes (Zagrabiensis) Gyarmanus a multis retroactis temporibus in omnibus negotiis obsequiosa merita devote impendit, primum siquidem eo tempore quando rex adhuc extra terminos regni fuit et ex missione praelatorum, baronum et nobilum regni in legationibus variis regi deferendis, multis fortunae casibus, pericula mortis non formidans, exhibuit famulatus. Idem etiam tempore Du-

catus regis, Albertino fratri suo, tam in veniendo ad eum, quam in conducendo eum ad patriam suam, grata impendit servitia. Item circa regiae coronationis initia diu noctuque regiis inheruit servitiis. — In reconpensationem itaque meritorum suorum, contulit ei rex terram Chehy iuxta aquam Zauam in campis, in comitatu Zagrabiensi, super qua hospites eiusdem castri regis residebant, cum omnibus pertinentiis, sub clausula ut populi liberi sint ab omni homine castri, ad ipsam terram venire volenti causa commorandi. Actum per manus magistri Theodori albensis ecclesiae praepositi aulae cancelarii.

Ex actis per banum Khuen-Hedervàry ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 137. N. 1.

MCDLXXXIII. *1291.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis ad mandatum sui episcopi Joannis inquirit in facto litis inter Petrum canonicum Zagrabiensem et Abbatem de insula s. Jacobi super fundo seu loco cuiusdam balnei in rivo Grech subtus curiam eiusdem Petri, ad quam spectare iste aiebat, abbas vero dicebat esse in terra ecclesiae B. Virginis. Capitulum cum per quinque exmissos inquisivisset, invenit fundum ad ecclesiam B. V. pertinere, adiudicavitque eum abbati.

Tkalčić: Mon. civit. zagr. I. p. 62.

MCDLXXXIV. *1291.* Capitulum b. Petri de Posega fatetur, quod Wydoslav et Jacobus filii Bogdan, ac Dragyna et Paulus filii Sena, particulam terrae suae haereditariae Aryanicha alias Oryanicha appellatae ac alterius terrae similiter Oryavicha dictae ad Grad potok adjacentis, metisque circumscriptae, Aladario filio Cethae pro 20 marcis vendiderint.

Ex actis regni archivi N. R. A. Fasc. 1504. nr. 15. per banum Khuen-Hedervàry ablatis.

MCDLXXXV. **Aquis**. *1292. 5. Januarii.* Karolus II. rex Siciliae et Maria consors eius Johanni filio Henrici bani scribunt ut conservet fidem eis et primogenito eorum Karolo regi Ungariae contra Andream III. invasorem eiusdem regni, ac fautores et consentaneos suos, dantes ei liberam facultatem gerendi bellum contra eos, ita quod nullam poenam nec etiam iudicii faciem propterea formidet.

Wenzel: Acta extera I. p. 81. Arkiv za jugosl. povjest. Knj. VII. p. 15.

MCDLXXXVI. *1292. 25. Januarii.* Capitulum eccl. Zagr. memoriae commendat, quod Gan, dictus Niger, civis Grechensis, consangvineus quondam Pernichoni exhibuerat litteras capituli antiquas, petens eas innovari (de a. 1270. et a. 1271.). Cuius petitioni annuentes, easdem de verbo ad verbum rescribi fecerunt.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 227.

MCDLXXXVII. **Jadrae**. *1292. 6. Februarii.* Temporibus Petri Gradonici ducis Venetiarum et fratris Joannis de Anan, Jadrensis archiepiscopi ac Joannis Contareni comitis, praesentibus nobilibus viris Marco Vitur et Martino Bembo consiliariis Jadrae, Marco de Marsilio socio Joannis Contareni comitis Jadrae et aliis pluribus testibus, actum in curia s. Jacobi ultra portum Jadrae, dominus Georgius comes Breberiensis solemniter firmavit pro se et gente sua ac subditis suis ac nomine communis Almissi puram et firmam treugam usque ad

unum annum completum cum Joanne Contareno, bonae memoriae Jacobi Contareni ducis Venetiarum filio, nomine et vice ducis et communis Venetiarum, promittens dictus comes Georgius, quod ipse cum supradictis non offendet nec offendi faciet, commune et homines Venetiarum nec in rebus nec in personis sed omnes habebunt salvos et securos ubique. Item promisit, quod non permittet molestare terram Pharae et Brazzae vel aliam terram ubi est comes com. Venetiarum. Item quod Almissani non inferre velint damna lignis Veneticis, nec venient ab Ancona ultra versus Venetias, nec a Hya versus Venet. nisi esset propter austeritatem temporis. Si per dictum comitem Georgium vel aliquem hominem ipsius daretur aliquod damnum hominibus Veneticis, tenetur comes totum damnum emendare vel dare illos in manus ducis, qui damnum intulerunt infra 30 dies, sed si illi qui commiserunt damnum non possent solvere et restituere damnum, et dati fuerunt in manus d. ducis, comes liberetur a solutione. Ad haec omnia juravit comes Georgius cum suis ad s. evangelia dei tacto libro, quod velit pacta observare sub poena 15 millium denariorum parvorum. Caeterum si dictus comes Georgius veniret Venetias occasione eundi ad curiam d. Papae, vel alia occasione, dictus dux per se et per dictos suos habebit et habere faciet eum una cum sua comitiva in personis et rebus salvum et securum Venetias veniendo, stando, eundo et redeundo.

Lucius: De regnis Dalm. et Croat. Lib. IV. cap. IX.

MCDLXXXVIII. *1292. 11. Februarii.* Capitulum Chasmensis ecclesiae significat, quod Petrus filius Petri confessus sit terram suam Goricha vendidisse magistro Paulo dicto Chak, in persona Thomae plebani de Hotkov vicem ejus gerentis, pro sexaginta marcis. Metae autem quas Petrus archidiaconus Chasmensis coram vicinis distinxerat incipiunt ab oriente in quadam Mlaka, versus occidentem magna via, quae est inter terram Pauli et Goricham, venit ad dumum Rakatya, conterminatur terrae Dionisii et terrae Benedicti filii Rodini, per varias metas cadit in caput Pollarini et vadit ad priorem.

Cod. dipl. patrius VII. p. 227.

MCDLXXXIX. *1292. 26. Februarii.* Andreas III. rex donat Stephano bano filio comitis Stephani terram Dresnik cum suis pertinentiis.

Orig. in archivo comitum Frangepani in Castello Porpetto nr. 9.

MCDXC. **Tragurii.** *1292. 27. Februarii. — 21. Martii.* Statutum in consilio generali communitatis Traguriensis die 27. Februarii, quod super Almissanis vim inferentibus mittatur ambassator Spalatum, qui cum alio ambassatore Spalatensi vadat ad comitem Georgeum ad hoc exponendum. — Die 21. Martii. Mittantur Spalatum duo ambassatores super Almissanorum incursiones. — Item quod pro 300 libris dandis d. Paulo bano ponantur 20 solidi pro centinario et solvantur bano, et residuum solvatur d. Potestati. Item super solutione hominum, qui tuebant banum contra hostem, colligatur unus grossus pro fumante (de fumo-domo).

Lucius: Mem. di Trau. p. 131.

MCDXCI. **Neapoli.** *1292. 12. Aprilis.* Carolus Martellus rex Sicilae pensatis gratis servitiis quae Johannes filius Henrici bani regi quondam Ladislao et ei ad praesens in agendis regni exhibet, annuens petitionibus eius, donationem

ei et magistro Georgio nato suo factam in pheudo de comitatibus Sopronii et Castriferei, quod illis Maria regina Siciliae contulit, confirmavit.
Wenzel: Acta extera I. p. 88.

MCDXCII. **Venetiis.** *1292. 22. Aprilis.* Iniunctum est per majus consilium potestati Farrae et Brazzae, quod faciant murum civitatis; item unum arsena ubi et sicut videbitur ei, et provideatur Farrae pro arsenatu de libris 150. Item intra muros capiatur monasterium in quo nunc habitat episcopus, et domum potestatis.
Ljubić: Mon. p. I. 150.

MCDXCIII. **Tragurii.** *1292. 10. Maii.* Domini Symon et Gausigna comites Marini, Marinus eorum nepos, pro eorum parte et nomine episcopi Georgii, et Salamon pro parte sua, et Gregorius Lucae nomine episcopi pro ipsius parte, vendiderunt praedicto Symoni potestati, nomine et vice communis Tragurii recipienti, generali et maiori consilio dictae civitatis ibidem congregato et volente, a crastina die in ante ad tres annos totam intratam quam habent ipsi et ipsorum quilibet de porta civitatis prope pontem ad possidendum et recipi faciendum et quidquid voluerint faciendum praedicti Symon, Gauzigna et Marinus, pro eorum parte tantum et dictus d. Gregorius pro parte d. episcopi. Et hoc fecerunt pro 40 libris Venetorum parvorum pro quolibet anno. Quas libras 40 solvere debent in festo s. Michaelis.
Lucius: Mem. di Trau p. 98.

MCDXCIV. *1292. 25. Maii.* Magister Laurentius praepositus ecclesiae s. Petri de Posega notificat, quod attendentes nobilitatis probitatem nobilis viri Zah filii Farcasii et puram devotionem quam in gratia eorum habet, et considerantes servitia magistri Petri fratris eius et concanonici eorum, quandam particulam terrae de terra ecclesiae eorum exceptam, iuxta terram eorum a Tristano filio Guthardh comparatam pro curia, eisdem Zah et Petro magistro, quamdiu fideles ecclesiae extiterint, donaverunt ita tamen, quod omni anno in festo Pentecostes solvet unum fertonem. Meta terrae incipit, ubi exit de Gyuok potoka in dumum avellanarum, inde ad quoddam Mege ex per aliud Mege et varias metas ad primam.
Cod. dipl. patrius VI. p. 382.

MCDXCV. **Simigii.** *1292. 30. Maii.* Andreas III. rex, notum facit bano totius Slavoniae pro tempore constituto, quod ille tertiam partem fori liberae villae Grecensis, capitulo Zagrabiensi ob remedium animae suae duxit conferendam.
Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 228.

MCDXCVI. **Anconae.** *1292. 4. Junii.* Innitus est tractatus inter Grubessam Radigne nuntium Ragusinum, et Dominicum Prandi nuntium Anconitanum cum consensu Andreae Danduli comitis Ragusii, filii Joannis condam Danduli ducis Venetiarum, determinatum quoque quid Ragusini Anconae et Anconitani Ragusii in suis commerciis pro daciis solvere teneantur et quaenam commercia et quo modo ibidem ad invicem exerceri possint. Pro violatore statuta poena 200 marcharum argenti. Karlectus notarius scripsit.
Ljubić: Mon. I. p. 151.

MCDXCVII. *1292. 22. Junii.* Andreas III. rex notificat, quod Lothardus banus, filius comitis Pauli de genere Gwtkeled et Ladislaus filius ejus ei in praesentia sua significarunt, quod Stephanus condam rex pro meritoriis servitiis et fidelitatibus eiusdem Pauli comitis, patris Lothardi bani, eidem regi in omnibus expeditionibus regni, et specialiter eo tempore cum homines ducatus Styriae, tunc temporis ad ipsum regem pertinentes, ab eodem perversi in perfidiam se retraxerant, in conflictu contra eosdem homines per Stephanum regem habito, ubi Lodomerius filius Mayad consanguineus ipsorum et alter cognatus Laurentius de Pardan ac sexaginta servientes eiusdem comitis Pauli extiterant interempli, et idem comes Paulus fuerat captivatus, et tamdiu in captivitate detentus donec possessione sua Mayad, pro redemptione sua vendita, fuisset liberatus. Ipse etiam Lothardus banus impendit servitia Ladislao regi, patrueli regis Andreae, cum Joachinus banus una cum ipso Lothardo ex praecepto Ladislai regis ad devastandum regnum Austriae iverat contra regem Boemorum, ubi idem Lothardus banus extiterat sauciatus, in altera etiam expeditione contra Ottocarum Boemiae regem idem Lothardus viriliter dimicans, laetale vulnus acceperat. In conflictu contra Cumanos per regem Ladislaum habito idem Lothardus ictu sagittae in sinistro pede fuerat sagittatus et frater ejus Dominicus interfectus. In remunerationem servitiorum confirmavit ei rex quoddam tributum in fluvio Zomus de qualibet navi cum salibus descendente viginti sales, quod ei Ladislaus rex concesserat.
Wenzel: Cod. dipl. Arpad. V. 66.

MCDXCVIII. *1292. 26. Junii.* Andreas III. rex manifestat, cum post exitialem obitum regis Ladislai, patruelis eius, praeordinatio divinae clementiae ipsum ad thronum et coronam reginalis fastigii sublimasset et omnibus praelatis, baronibus et nobilibus agnoscentibus fuisset coronatus, capitulum Zagrabiense postulavit ab eo, ut ecclesiam s. regis Stephani Zagrabiensem regalibus munificentiis prospicere dignaretur in eo, ut tertiam partem tributi fori de monte Grecensi ecclesiae et capitulo dare dignaretur. Rex igitur pro remedio animae suae petititioni huic annuit, et tertiam partem tributi, cuius etiam duas partes ex collatione regia colatas capitulum in antea possidebat, contulit integraliter possidendam. Datum per manus magistri Theodori albensis praepositi, aulae vicecancellarii.
Tkalčič: Mon. Hist. T. I. p. 228.

MCDXCIX. **Budae.** *1292. 24. Julii.* Praelati, barones et nobiles regni Hungariae inter quos occurrunt: Thomas Bosnensis et Michael Zagrabiensis episcopi, Jacobus banus totius Slavoniae, Ladislaus condam banus, Lucas comes Zaladiensis etc. aggregant Albertinum ducem totius Slavoniae et comitem de Posega, avunculum Andreae III., regis coetui universitatis eorum et ornant nobilitatis privilegio quo universi barones et nobiles regni consveverunt ab antiquo gratulari. Inter eius merita numerant, quod ille Andream regem, suum nepotem, a tempore pueritiae suae usque aetatem juventutis in domo sua ut pater filium naturalem, et tandem accepta totius regni petitione eundem regem, tamquam praetiosum regni thesaurum sub fideli custodia conservatum in medio eorum adducendo, educaverit, innumeram pecuniae quantitatem pro eo expendendo, et multis fortunae casibus suam propriam personam susmittendo.
Fejer: Cod. dipl. Hung. T. VII. vol. 5. p. 602.

MD. *Apud urbem Veterem. 1292. 1. Augusti.* Nicolaus IV. papa, ministro provinciali fratrum Minorum in provincia Slavoniae mandat, ut cum sex aliis fratribus ad id idoneis praedicando misterium vivificae crucis, populum ad liberandam terram sanctam de manibus impiorum, hortare conantur, ut quamplurimi suscipiant signum crucis et succursum praebeant in passaggio generali.
Fabianich: Storia dei Frati minori in Dalm. et Bosna. I. p. 420.

MDI *Apud urbem Veterem. 1292. 1. Augusti.* Nicolaus IV. papa encyclicas litteras ad Joannem Jadrensem archiepiscopum misit ut Christianos ad sacrum bellum et crucis insigne suscipiendum hortaretur. Joannes vere archiepiscopus acceptis litteris communicat eas suis episcopis provincialibus.
Farlati Illyr. Sacr. T. V. 85.

MDII. **Zagrabiae**. *1292. 3. Augusti.* Frater Guyllermus de Peimis magister domorum militiae templi per Hungariam et Slavoniam significat, quod cum ille Andream III. regem pro diversis negotiis domorum suarum universarum in Hungaria et Slavonia existentium usque Zagrabiam secutus fuisset et penes eum multam pecuniam expendisset et Zagrabiam provenieudo tota expensa caruisset, necessitate compulsus ut domos suas apud regem ad pristinum jus posset revocare, terram suam seu praedium Gragina, quod ab antiquo Butko obtinuerat et possederat, adjungendo ad eandem alteram terram desertam infra terram Butko, quae iacet ad magnam viam quae tendit versus villam Crisiensem, cum omnibus pertinentiis ex consensu et consilio fratrum suorum, videlicet fratris Franconis se Valegio socii sui, fratris Willami de Brabantia praceptoris domus de s. Martino, fr. Rogerii praeceptoris de Glogonicha, fr. Gregorii de Wrana et fr. Samsonis, contulit in pignus Petro Theutonico probo viro et honesto pro viginti septem marcis tali conditione, quod quocumque tempore ipse vel alter magister domorum, vel aliquis praeceptor de Glogonicha dictam terram redimere poterit a praedicto Petro liberam habebit redimendi facultatem. Meta terrae eiusdem incipit a capite fluvii Gragina. Inde per semitam et montem venit ad terram Templariorum Zelnicha. Abhinc ad aliam terram domus, et per aliquod spatium separatur a terra Butko. Exinde ad viam et per eundem montem Berch eundo per satis magnum spatium venit ad magnam viam quae tendit versus villam Crisiensem. Divertit ad orientem et cadit in fluvium Gragena, ubi terrae jobag. castri Crisiensis commetantur. Inde terra emptitia eiusdem Petri vicinatur quam a Petro filio Zulga et Nicolao filio Jonae comparavit et revertit ad primam.
Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arp. X. 79.

MDIII. **Zagrabiae**. *1292. 10. Augusti.* Universitas civitatis montis Grechensis notificat, quod Marculinus, comes camerae regis et civis Zagrabiensis, quamdam terram suam seu possessionem per comitis Perchini sine haeredibus decessum ad eum devolutam, prope territorium civitatis Endessevec existentem, commetaneam terris civitatis, capituli et Pristaldorum, donavit Vuel filio Herzel cognato suo.
Marcelovich: Extractus dipl.

MDIV. **Brinoniae**. *1292. 19. Augusti.* Carolus II. rex Siciliae, considerans devotionem sinceram, quam viri nobiles Paulus Chrovacye. Dalmacieque banus,

* Brignano penes Salernum.

Georgius et Mladinus comites, fratres eius, gesserunt ab hactenus erga eum et gerunt ad praesens; attendens etiam, quod ipsi certa servitia Karolo primogenito suo, regi Hungarie, in aquisitione dicti regni sui efficacia opera prestiterunt, et prestare poterunt in futurum, omnes concessiones et donationes factas eis et eorum successoribus per praefatum regem Karolum confirmat, specialiter de territorio, quod Dyesnich appellatur, nec non progenie seu generatione, quae vocatur Sucznnny et Pset (Krupa), que est iuxta territorium predictum, et ab inde usque ad confinia provinciae, quae dicitur Bosna; ac etiam de eo, quod praedictus rex dictis fratribus donavit de Chroacia et Dalmatia quantum scilicet protenditur a finibus comitatus de Chelum (Zachulmia) usque Seniam, Gazecham et Modrusiam, cum omnibus baronibus, vasallis, civitatibus castris et villis, ac omnibus infra se positis maris insulis adiacentibus, et omnibus iuribus et pertinenciis.

Arkiv za povjest jugosl. VII. p. 19.

MDV. **Brinoniae.** *1292. 19. Augusti.* Carolus II. rex Siciliae, considerans devotionem sinceram quam vir magnificus Ladislaus, filius primogenitus illustris principis Stephani, regis Serviae, erga eum gessit ab olim, et gerit continue, concedit et confirmat eidem ac successoribus eius in perpetuum ducatum Sclavonine, praeterea terras, quas possidet Radislaus banus cum fratribus suis, praeterea etiam terras quas tenent infra ditionem praedictam comes Johannes de Veglia, Modrussia et Vinodol cum fratre suo, et comes Duymus, consobrinus eiusdem comitis Johannis, donec tamen in eius regis fidelitate existant.

Arkiv za povj. jugosl. VII. p. 20.

MDVI. **Zagrabiae.** *1292. 13. Septembris.* Johannes episcopus Zagrabiensis significat, quod cum vir magnificus Ladislaus banus totius Slavoniae adhuc dominum Antonium episcopum Zagrab. praedecessorem suum, ratione possessionis Harastnycha inpetivisset asserendo, quod eadem de iure deberet pertinere sibi, sive ecclesia ipsam vel pignoris sive emptitionis titulo possederit, et demum dicto episcopo de medio sablato huiusmodi quaestio inter eos exorta fuisset et diutius ventilata, tandem Radislaus (sic) banus ut haec dissensionis materia de medio tolatur commisit causam in arbitrium proborum virorum videlicet magistrorum Manfredi, praepositi ecclesiae Zagrab. Gogani praepositi eccl. Chasmensis, Davidis de Kamarcha, Batholomaei de Kemnuk et Michaelis de Waska archidiaconorum ac Dominici decani eccl. Zagr. communiter electorum. Item nobilium regni: Ivan comitis filii Iruzlay, Mathaei filii Endre comitis, Andreae judicis curiae episcopalis et comitis Simonchae quondam castellani de Medved per episcopum assumptorum. Item comitis Gardun, comitis Wulkozlai, comitis Isip de Blina et comitis Andreae filii Floriani, per Radozlaum banum assumptorum. Tandem per praedictos arbitros decretum fuit ut episcopus dictam possessionem Harastnycha, quam contra cosvetudinem regni Slavoniae possidere indebite titulo emptionis videbatur, maxime cum tempore Belae regis universi nob. regni Slavoniae litteras eiusdem obtinuerint, ut ecclesia nullas possessiones nobilium sive pignoris sive emptionis titalo audeat usurpare, porro quod eadem possessio ipsum Radoslaum banum iure proximorum suorum Endre et Murk venditorum eiusdem possessionis contingere videbatur, sepedicto Radoslao, prout condigne foret aestimata restituerat possidendam. Ad cuius possessionis aestimationem comes Isip et

Thomas de Blina per banum, comes Andreas et comes Simonka per episcopum nominati, ad faciem loci transmissi decreverunt, quod dictus banus pro eadem possessione persolveret ducentas et triginta marcas, quibus perceptis ab eodem bano (singulas marcas cum quinque pensis denariorum Zagrabiensium computando), eandem possessionem cum omnibus pertinentiis restituit episcoeus de bona voluntate dicto bano, una cum instrumentis Belae et Stephani regum, praeter litteras emptitias Philippi episcopi, quae quod perditae sint juramento suo et capituli episcopus confirmavit. Meta terrae quam mag. Michael archidiaconus de Vasca reambulavit, incipit ab illa parte Petrinae occidentali et transit ipsam aquam Petrina. — Inde veniens ad parvam vallem Zuhodol et venit ad dumum et transiens per valles venit ad quendam fluvium et ad unam vineam et per varias metas arboreas et castaneas venit ad fluvium Reznicha et ascendens monticulum ad Kalistam, inde declinat ad fluvium Kerleuch et in magno spatio in aquam Culpa per quam exit in Petrina et in magno spatio intrat fluvium Bluoticha, venit in Vrachcham tendens superius castrum, inde in vallem et in magnam viam versus orientem, inde per viam ad montem Sebekik, inde supra vineas ad Zeredahel, inde ad puteum Nevkus et revertit ad primam. Datum per manus Gogani praepositi Chasmeusis tunc magistri notariorum episcopi.

Cod. dipl. patrius T. VI. p. 388. Ex archivo comitum Erdödy Galgóczam oblatum.

MDVII. **Anconae.** *1292. 20. Septembris.* Orsacius de Villiarico et Marinus Clementis de Pecorario procuratores et nuntii Ragusini persolvunt debita communi Anconae pro acceptis ab Anconitanis diversis bonis et rebus. Actum coram Thomaxio de Henzola potestate civ. Anconae, Morano legis doctore, et Simeone de Nippis capitaneo populi; praesentibus Thomaxio et Bonaventura judicibus, Simeone Raynoldi et Guilelmo Laurentii de Ancona, et Laurentio Lobagnae, Nicolao Magiolesi et Blasio da Caboga de Ragusio. Karlettus Petri Trasmundi notarius scripsit.

Ljubić: Monumenta I. p. 151.

MDVIII. *1292. Mense Octobri.* Nicolaus praepostitus et capitulum Quinqueecclesiense notificant, quod magister Guthfred canonicus Zagrabiensis nomine Johannis episcopi Zagrabiensis ab una parte, ab altera vero comes Nicolaus filius Petri de Sylle pro se et Olyverio fratre suo, item Gregorius filius Simonis de s. Johanne, pro Nicolao filio Borch de Phyles personaliter constituti confessi sint, quod cum super metis possessionis episc. Zagrab. Schentmartun vocatae ab ista parte fluvii Dravae, seu immediate iuxta eundem fluvium situatae, verteretur questio, tandem mediantibus probis viris, ambae partes separarunt terminos. Et quidem incipit prima metaa ab aqua Kalista ubi sunt duo dumi Horozth et Rakathya. Inde tendit versus meridiem et cadit in caput stagni Stologa. Deinde vadit in aliam aquam Kalista, quae alio nomine vocatur Malachycha et divertit ad dumum in quodam Ozturga (Ostruga) vocato Pop-Ozturga ibique terminatur. Post haec retulit magister Guthfred, cum praefata possessio Sceutmarton a multis temporibus fuisset desolata, et ecclesiae nulla utilitas ex ea resultaret, donavit eam episcopus praenomatis nobilibus, excepta villa Reyfalu in portu Dravae situata, quam epiccopus sibi reservavit.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 229.

MDIX. *1292. 26. Novembris.* Andreas III. rex notum facit, quod comes Ogyoz (Ochuz) filius Buzad, cum regnum Hungariae primo adivisset eius se lateri iungens multa ei servitia exhibuit. Demum adepto regno cum exercitum contra filios Herrici bani movisset, idem comes damna non modica in amissione castri sui et destructione possessionum suarum, quae ad valorem mille marcarum ascendebant, est perpessus, cum et multi ex eius servientibus vulnerati fuissent. Praeterea cum magister Johannes filius Herrici bani rupto pacis foedere inter eum et regem ordinato, ipsam personam regiam ausu temerario impendivisset, ipse comes pro liberatione eius unicum filium suum eidem magistro tradidit in obsidem. Consideratis itaque his servitiis, rex ei villas seu praedia reginalia in comitatu de Wereuche existentia, Luchina et Wrihovch vocata, in perpetuum contulit possidenda. Datum per manus m. Theodori praepositi albensis aulae vicecancellarii,

Ex archivo camerali budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad XII. 526.

MDX. **Neapoli.** *1292. 1. Decembris.* Carolus Martellus, rex Siciliae, Hungariae., Dalm., Croaciae etc., cum nobilis vir Racislaus bannus Slavoniae, certa bona in regno Ungariae sibi dudum a bonae memoriae Ladislao rege Ungariae praedecessore et avunculo suo asserit donacione concessa fuisse, confirmat eidem dicta bona cum suo privilegio.

Arkiv za povj. jugosl. VII. p. 21.

MDXI. **Zagrabiae.** *1292. 26. Decembris.* Andreas III. rex significat, quod attendens fidelia servitia Petri Sclavi de vico Latinorum servientis sui duxit ei gratiam facere, quod nullus banus vel officialis eius seu collectores regii in possessione dicti Petri, Ivan filii Martini, cognati ipsius, et Domoldin proximi eorundem, in possessione eorum Scepnicha audeat aliqualiter molestare vel turbare.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 230.

MDXII. *1292.* Andreas III. rex, considerans servitiorum merita magistri Duruzlai de Rum (Ruma), quae in diversis expeditionibus regni, non sine cruoris sui effusione in conflictu exhibuit, prout ex relatione baronum et nobilium extitit manifestum, specialiter eo tempore, cum magister Johannes filius Henrici bani ausu temerario regem impediverat, idem Duruslaus propter libertatem regis continuis legationibus fatigatus, filium suum dederat in obsidem. Cupiens ergo respectu servitiorum suorum eum renumerare donavit ei quandam terram (non nominatam). Datum per manus magistri Theodori albensis praepositi aulae vicecancellarii.

Fejer: Cod. dipl. T. VI. vol. I. p. 204.

MDXIII. *1292.* Andreas III. rex confert magistro Duruzlo (Daroslav) quandam terram jaculatorum, Igrichi vocatam, pro eo, quod in conflictu Teutonicorum fidelia exhibuerit servitia, eo tempore cum magister Johannes filius Herrici bani ausu temerario regiam Maiestatem impediverat idem magister propter libertationem regis continuis legationibus fatigatus, filium suum pro rege tradidit in obsidem.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. 530.

MDXIV. *1292.* Andreas III. rex concedit Arnoldo filio alterius Arnoldi de genere Buzad, translationem possessionis suae Morfartfeulde inter Dravam et Muram fluvios situatae in Jacobum filium Ponye.

In neo registratis actis archivi cameralis Budensis. Fasc. 1516. nr. 45.

MDXV. *1292.* Andreas III. rex notum facit, quod nobilis vir magister Jacobus filius Ponith de genere Buzad exhibuit litteras nobilium in comitatibus Simigiensi et Zaladiensi existentium, scilicet: Gregorii bani comitis Symigiensis, Johannis filii Isep, Kosmae de Koazna, Gregorii filii Iharus et Ugra filii Leopoldi, item Stephani comitis Zaladiensis, Keled filii Keled, Laurentii filii Uros, Dionisii et Illu filii Bogizlai, tempore regis Ladislai per eundem in dictis comitatibus ad compescendos fures et malefactorum audaciam deputatorum, super facto possessionis Vrbonuk confectas, petens ut ipsas ratificare dignaretur. Cui petitioni rex annuit et litteras Gregorii bani comitis Simigiensis et supradictorum nobilium confirmavit in quibus continebatur: quod Mortunus filius Johannis de Vrbonuk in congregatione eorum in Monruhel celebrata qua fur et latro ad mortem condemnatus fuit, et quia personaliter non venit data est potestas Jacobo filio Ponich, ut ubicumque eum invenerit sine ullo ulteriori mandato, iugulandi et suspendendi liberam habeat faculatem, quod si fecerit possessiones dicti Mortunus de benignitate regia conferentur possidendae. Cumque idem Mortunus per eundem Jacobum existerat captus et suspendio damnatus, contulit ei rex Ladislaus per dictos judices adiudicatam possessionem Vrbonuk, quam collationem rex confirmat.

Cod. dipl. patrius. II. p. 22.

MDXVI. **Zagrabiae**. *1292.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis notificat, quod Mikula filio Mirozlai et Stephano filio Georgii ab una parte, ex altera vero fratre Venero priore et fratre Petro procuratore Haeremitarum de domo iuxta Zagrabiam pro eodem conventu constitutis, idem Mikula et Stephanus terram Lonca pro remedio animae dicti Mirozlai et suarum animarum contulerunt dictis fratribus possidendam. Cuius metae, magistro Dominico tunc decano transmisso, prout retulit haec sunt: ab oriente rivus Blyzna, a meridie terra quam magister Valentinus concanonicus possidet, ubi quidam torrens de magna valle separat terram capituli . . et revertitur ad primam.

Tkalčić: Mon. hist. T. I. p. 231.

MDXVII. *1292.* Magister Laurentius praepositus ecclesiae s. Petri de Posega confert nobili viro Zah filio Farkas et magistro Petro canonico de eadem Posega fratri suo, quandam particulam terrae ecclesiae suae in vicinitale terrae eorum a Tristano filio Guthard comparatae situatam, pro curia eorum, quamdiu fideles fuerint ecclesiae praedictae.

Fejer: Cod. dipl. T. VII. vol. II. p. 172.

MDXVIII. *1292.* Congregato consilio civitatis Traguriensis sub potestate Philippi Zani de Nappis civis Anconitani proposuit dictus potestas et petit sibi consilium exhibere super requisitione facta per litteras communis Spalati, qui petunt consilium ipsis dari super juramentum fidelitatis, quod per quendam nuntium Caroli Martelli postulatur, sicut per Dominicum potestatem fuit lectum. Maiori parti de consilio placuit, quod nihil Paulo bano significetur de requisitione quae fuit facta a nuntiis fegis Caroli, quousque dictum commune a

dicto bano (non) fuerit requisitum. Dessa Lucae surgens consuluit, quod commune Spaleti vult habere consilium cum Paulo bano et quod quaedam littera mittatur communi Sibenicensi de ista materia et eligatur quidam sapiens et mittatur Spaletum. Hoc postremum consuluit Thomas Zanichae et quod dicant Spalat., quod illi nuntiis Caroli non possint modo responderi, quia qui se regem facit Ungariae solet se coronari in tali civitate, unde illi, qui coronaretur in regem intendimus obedire. Matheus Lucae consuluit, quod mittatur Paulo bano aliquis nuntius et asserat totam responsionem quam fecerunt nuntio regis Caroli cum Spaleto et Sibenico.

Lučius: De regno Dalm. et Croatiae Lib. IV. cap. X.

MDXIX. **Neapoli.** *1293. 18. Januarii.* Carolus Martellus rex Siciliae communicat magistris Portulanis Apuliae, quod Paulo bano comiti Breberiensi et Spalatensi concederit licentiam extrahendi de quocumque portu Apuliae 200 salmas frumenti et totidem ordei, illasque ferendi per mare in Ungariam.

Wenzel: Acta extera I. p. 100.

MDXX. **Neapoli.** *1293. 18. Januarii.* Carolus Martellus rex Siciliae mandat Portulanis Apuliae quatenus religiosum virum fratrem Girardum ordininis Militiae templi et Volcetum cognatum Pauli bani comitis in Ungariam transfretantes cum octo familiaribus eorumque arnesio, exire de quocunque portu Apuliae, libere permittant.

Wenzel: Acta extera I. p. 101.

MDXXI. **Neapoli.** *1293. 18. Januarii.* Carolus Martellus rex Sicilae mandat Portulanis Apuliae cum ille religioso fratri Girardo ordinis Militiae templi, de quocunque portu Apuliae voluerit, triginta salmas leguminum extrahendi illaque per mare in Ungariam deferendi licentiam praebuerit, quatenus praedictum fratrem dictas salmas extrahere sine aliqua contradictione permittant.

Wenzel: Acta extera I. p. 101.

MDXXII. **Sibenici.** *1293. 17. Februarii.* Regnante Andrea III. rege Hungariae, temporibus Leonardi Faletro de Venetiis, electi Sibenicensis, nec non Georgii comitis et Laurentii Civatellis potestatis Sibenicensis, dictus Georgius comes cum una potestate et cum tota curia civ. faciunt manifestum, quod ad eorum presentiam, sedentibus pro tribunali ante ecclesiam s. Jacobi, venerit Stephanus plebanus s. Petri Novi de Jadra cum duabus commissionibus, una facta ex parte haeredum filiorum et filiarum quondam Slavae filiae olim Radovani Postajnice Sibenicensis et uxoris Joannis de Soffae civis Jadrensis, quam scripserat Joannes diaconus s. Mariae majoris Jadrensis anno 1292. die 18. Octobris; et aliam commisionem ex parte Viti de Cergna et Joannis de Soffae civibus Jadrensibus tutoribus filiorum et filiarum dictae Slavae, in quibus exponuntur praetensiones a praenominato Stephano plebano et contutore nomine creditorum propositae, in quibus comes Georgius cum tota curia sententiam protulit. Praesentibus testibus et consiliariis Stancio filio Vidossii, Daniele Stephani, Dissino Budimiri, Mathaeo Nicolae, Cerpagnae Joannis et Marino Dobrinico. Laurentius Civatellis potestas subscripsit Daniel Stephani examinator manum misit. Dragosius Siben. notarius scripsit.

Ljubić: Mon. I. 154.

MDXXIII. *1293 23. Martii.* Frater Gwylermus propraeceptor de Bela, gerens vices magisti domus hospitalis s. Johannis Hierosolomitani per Hungariam et Slavoniam significat, quod hospites liberae villae Chichan universi et singuli eius accedentes praesentiam asseruerunt, quod cum durantibus articulis inpacati temporis quodam castrum inter ipsos constructum, extitisset combustum, et cum illo et privilegium castri, quod per venerabilem fratrem Rembaldum tunc magistrum per Hungariam et Slavoniam super ipsorum libertate concessum fuerat, sicut etiam ex relatione discretorum virorum fratrum videlicet Orys de Chichan et .... de Pekrecz praeceptoris hoc idem constitit evindenter, petierunt itaque ut ipsorum libertatem vigore ejus privilegii innovare et confirmare dignaretur. Ipsorum igitur petitionibus annuens hanc libertatem duxit eis concedendam: Quod si quem ex eisdem sine haerede decedere contigerit, tunc omnia sua bona fratribus vel cognatis, vel aliis quibuscumque voluerit, dummodo in villa Chichan commorari velit, liberam habeat legandi vel conferendi facultatem, nec praeceptor dictae villae ad bona sua manus extendere audebit. Item si aliquis civis dictae villae suum concivem interfecerit, extunc occisor pro homicidio interfecti centum pensas solvere tenebitur, praeceptori attunc constituto ex eodem homicidio quinque pensas, et eandem penam si extraneus perpetraverit homicidium inter hospites memoratos patietur. Si vero occisor in claustrum domus hospitalis aufugerit, ipsum praeceptor ad manus inimicorum suorum ad effusionem sanguinis trahere non tenetur, imo eum tuebitur iuxta posse. Quod si praeceptor compositionem ordinare poterit inter partes, bene quidem, alioquin eundem occisorem mittet abire salva persona sua, recepta ab ipso una marca. Medio autem tempore donec cum inimicis concordabit, nullus ad bona sua manus extendet, et nec haeredes eius molestabit. Item furtum, incendium et effusionem sanguinis praeceptor una cum dictis hospitibus indicabit, quorum judicium sunt duodecim denarii, de quibus duae partes praeceptori tertia vero villico dicte villae. Item singulis annis singuli hospites tenentur dare munera praeceptori in tribus terminis videlicet in nativitate Domini, in Pasca et in Assumptione virginis gloriosae. Item in singulis aniversariis tenentur dare magno magistro unam iuvencam, vel quadraginta denarios, tres cubulos vini, centum panes et sex gallinas. Item si aliquis recedere voluerit, liberum vendendi die claro cum omnibus bonis suis habeat facultatem, una pensa tantum praeceptori persoluta. Domus autem extraneis non potest venundari, nisi in eadem vila commorantibus. Item praeceptor quilibet suam curiam pro utilitate domus potest habere in villa memorata. Item terram communitatis seperat a terra curiae quaedam via quae venit de Selyn et vadit in curiam memoratam. Ex alia parte viae a parte sylvae sunt duae possessiones ad eandem curiam pertinentes. — Ne ergo series praefatae libertatis valeant per quempiam imposterum retractari, praesentes contulit litteras sigilli munimine roboratas.

Cod. dipl. patrius VII. p. 228.

MDXXIV. **Spalati**. *1293. 12. Maii.* Johannes Spalatensis archiepiscopus, totius Dalmatiae, Croatie, Slavonieque primas scribit N. episcopo Scardonensi cum in concilio anno praeterito in Spaleto celebrato ordinatum fuerit, quod nullus suffraganeus in praeiudicium alterius Clericos alterius diocesis ad sacros ordines promovere aut alia sacramenta ministrare praesumat sub poena 500

librarum. Quod praeceptum Gregorius episc. Traguriensis in festo b. Domnii praesentibus suffraganeis dictum episcopum Scardonensem infregisse est conquestus, dicens quod ille clericos Sibenicenses ad sacros ordines promoverit et alia sacramenta celebraverit, cum dicti clerici et totum Sibenicum subiecti sint episcopatui Tragurii, excusando se cum mandalo archiepiscopi, quare eidem graviter extitit infestus et molestus idem episcopus Traguriensis. Sed oportet episcopo Scard. bene recolere cum nuper in societate Pauli bani accessisset ad eum super eodem facto non solum a Traguriensibus sed etiam Spalatensibus gravissimas lamentationes et terribiles conquestiones in praesentia potestatis Spalatensis et omnium nobilium Spalat. contra se rigida et dura et molestas appellationes audiverit. Quatenus ei mandat ut in antea nullatenus atemptet in praedictis excedere, si poenam concilii incurrere non velit.

Lucius: Mem. di Trau p. 132.

MDXXV. **Venetiis.** *1293. 27. Maii.* Capta pars in maiori consilio, quod fiat gratia comiti Podino, qui dedit reipublicae Almisium, de amphoris viginti vini, portandi quolibet anno sine datio ad terras amicorum, usque ad beneplacitum ducis.

Ljubić: Mon. I. p. 179.

MDXXVI. **Bari.** *1293. 22. Junii.* Carolus Martellus rex Sicilae, Ungariae etc. nobilem virum dompnum Maurum Zabilinum de Zadara, quem ob eius in se merita suo consortio exin aggregare intendit, in sui praesentiam vocat.

Arkiv za povj. jugosl. knj. VII.

MDXXVII. **Nuceriae.** *1293. 23. Junii.* Carolus II. rex Siciliae, justiciario terrae Hidrunti iubet quaerulanti Michaeli, filio Camurtii de civitate Spalatri, restitui merces et res, (vel aequivalentem pecuniam) eidem per Leonardum de Monila et socios vi ablatas e barcha cuiusdam Dussizae de civitate ipsa, onerata pannis, laneis, carnibus, pasulis aliisque mercibus et rebus dum transfretaret in Apuliam.

Arkiv za povj. jugosl. knj. VII. p. 23.

MDXXVIII. **Tarasconiae.** *1293. 23. Junii.* Carolus II. Sicilae rex et Maria regina, illius consors, filio Carolo regi Hungariae, dant liberum arbitrium et plenam potestatem conferendi in eodem regno Ungariae, terras, castra, villas, honores, banatus, dignitates, et libertates.

Arkiv za povj. jugosl. VII. p. 24.

MDXXIX. **Tarasconiae.** *1293. 24. Julii.* Carolus II. Siciliae rex et regina significant se omnes et singulos banos, comites, nobiles, plebeios et cuiuscunque conditionis, quos Elisabetha regina, relicta Ladislai regis Ungariae, dicet esse et fuisse fideles primogenito suo filio Karolo regi Ungariae in sua gratia habituros et retenturos.

Arkiv za povj. jugosl. VII. p. 24.

MDXXX. **Melfie.** *1294. 5. Julii.* Carolus II. rex Sicilae, Petrum de Florentia et Heristasium de Trano constituit suos procuratores ad partes Tuscie levaturos a nonnullis communitatibus pecuniam promissam, sibique necessariam ad expensas quas necessarie exigit prosecutio recuperationis regni Ungariae

ad Karolum primogenitum nostrum per successionem legitimam devoluti; ad quod utique recuperandum et eripiendum de manu occupatoris ipsius nostre, dictique regis vires in brevi cum eterni regis auxilio potenter insurgent.

Arkiv za povj. jugosl. VII. p. 25.

MDXXXI. **Melfie.** *1293. 8. Julii.* Carolus II. rex Siciliae, eius consors regina Maria et filius Carolus rex Hungariae notum faciunt universis: se Paulo bano Chroatorum et comiti Georgio, et eorum alteri, veniendi simul vel separatim ad praesentiam suam, morandi et abeundi cum voluerint .... licentiam et securitatem plenariam in personis et rebus eorum dedisse.

Arkiv za povj. jugosl. VII. p. 25.

MDXXXII. *1293. 11. Julii.* Andreas III. rex notum facit, quod quia Radwzlaus banus filius Stephani, per frequentes nuntios regis et suos se per omnia studuit subiicere eius Maiestati, postulavit a rege quandam possessionem castri seu comitatus Zagrabiensis Selyn vocatam sibi conferri. Rex considerans servitia ipsius bani omni praemio dignissima ei exhibita in eo, quod cum rex Ugrinum ad partes maritimas dominae matris obviam misisset et idem Ugrinus per quosdam inimicos fuisset captivitatus, idem Raduzlaus banus recepto regio mandato cum ipsis infidelibus regis iniens conflictum, eosdem militari potentia debellavit et dictum magistrum Ugrinum de captivitate liberavit, quamquam unus de consangvineis dicti Radozlai bani et quinque servientes sui in eodem praelio interempti et quam plures de suis militibus vulnerati extitissent. Recensens etiam servitia ipsius bani in animo quae excellentissimae matris suae studuit exercere cum ipsa ex regis vocatione studuit in regnum venire et propter insidias infidelium aditum nulla ratione habere potuisset, rex autem negotiis regni occupatus personaliter eidem matri obviam accedere eo tempore nequivisset, idem Radoslaus collectis suis viribus, non parcens laboribus et expensis contra omnium infidelium insidias matrem regis omni reverentia debita qua decuit ad regnum solemniter induxit, maximam quantitatem suae pecuniae expendendo. In remunerationem itaque servitiorum ipsius bani et restaurationem suarum expensarum et ob rationem mortis consanguinei et servientium possessionem castri zagrab. Selyn, ei eiusque haeredibus in perpetuum donat habito consilio et consensu praelatorum et baronum suorum. Datum per manus magistri Theodori albensis praepositi aulae cancellarii. Existentibus inter caeteros Pouka Syrmiensi episcopo, Thoma Bozneusi, Johanne Zagrabiensi, Ugrino comite de Posega, Dominico magistro Tavarnico d. matris reginae, comite de Wolkow.

Cod. dipl. patrius. VII. p. 228. Ex Croat. Archivo comitum Erdödy Galgóczam ablato.

MDXXXIII. *1293. 27. Septembris.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis significat, quod cum Andreas rex possessiones seu terras Vrbaz, Galas, Petrina, Vinodol, Selen, Oclich, Podgoria et Zamobor cum castris in eisdem constitutis viro magnifico Radoslao tunc bano totius Slavoniae, pro fidelibus servitiis donasset mediantibus privilegiis perpetuo possidendas, ad assignandum ei easdem possessiones transmisit rex Gregorium specialem et familarem juvenem suum, qui coram magistro Gueroldo archidiacono de Zana, Vrbaz et Dobicha et concanonico Zagrabiensi per capitulum transmisso, qui easdem posses-

siones astantibus regni nobilibus bano Radoslao assignaverat nemine contradicente.

Cod. dipl. patrius. VII. 235. Ex Croat. archivo comit. Erdödy Galgóczam ablato.

MDXXXIV. *1293. 29. Septembris.* Capitulum quinqueecclesiense commendat memoriae, quod magister Abraam notarius capituli ecclesiae Bosnensis pro dominis suis patre Thoma episc. eccl. Bosnensis et magistro Demetrio fratre eius carnali, filiis Elek de genere Scentemagych, exhibens eiusdem episcopi litteras de ratihabitione ex una parte, et nobilis juvenis filius magistri Philpes ab altera constituti, dixerunt quod cum circa portionem terrae Koporna quam episcopus et frater eius emerat, inter partes verteretur quaestionis materia, tandem secundum arbitrium proborum virorum praefata portio cessa est Thomae episcopo et fratri ejus, inter partes autem iuvicem se damnificantes conclusa est perpetua pax.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. Cont. V. 84.

MDXXXV. *1293. 6. Octobris.* Capitulum ecclesiae s. Petri de Posega significat, quod Johannes filius comitis Petri pro se et pro Borichio ac Belud fratribus euis confessus est quod quandam terram suam Gramachnik vocatam, quam pater suus a Ratholdo et Mathia filiis Rolandi bani pro trigiuta duobus marcis comparaverat, Nicolao filio Inocha pro eisdem 32 marcis vendidisset. Cuius terrae prima meta incipit in capite rivuli Dolkoki, inde ascendit ad Berch versus aquilonem et pervenit ad viam antiquam, inde ad quoddam Kallista, et pervenit ad locum Vadista et per dictam viam ad aliam viam et per varias metas ad fontem qui dicitur Gramachnik few, a parte orientis terra filiorum Zabov, deinde per silvam usque Murzuna et usque Zavam.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. XII. 548.

MDXXXVI. **Neapoli**. *1293. 30. Novembris.* Carolus II. rex Siciliae justitiario capitanatae provinciae iubet ut comiti Georgio fideli suo de partibus Sclavoniae, qui per nuncium nobilem virum Johannem de Jacobo conquestus est, quod Daminnus de Tragurio, qui in vasello ipsius comitis redux cum mercibus ex Aprucio „more piratico“ in alto maris a nonnullis hominibus Temularum cum gallono armato spoliatus fuit mercibus, convocatis patronis, nauclero et aliquibus marenariis galloni praedicti, satisfaciat, retemtamque navim restitui faciat.

Arkiv za povj. jugosl. VII. 26.

MDXXXVII. *1293.* Andreas III. rex notificat, quod cum in culmen regiminis regni Hung. successisset iure et ordine geniturae et solemniter coronatus fuisset, comes Johannes, filius Junk comitis, nobilis ultradravanus fidelissimos semper et ubique impendit famulatus non parcendo rebus nec personae. Caeterum cum contra Albertum ducem Austriae et Styriae tunc capitalem hostem suum et regni iuimicum convocato exercitu generali pro repulsanda iniuria regno illata processisset, idem comes Johannes in expugnatione castri Vorlter letaliter extitit vulneratus. Adhuc cum idem comes de fidelitate coronae debita nullatenus voluisset resilire, ipsum quidam de potioribus regni est persecutus in destruendis possessionibus suis, comburendis et populis suis aufugandis. Quocirca concedit illi rex, ut populi ejus collectam marturinarum et collectam

septem denariorum ubique in regno Slavoniae existentes non persolvant. Datum per manus magistri Theodori albensis ecclesiae praepositi aulae regni vicecancelarii.

Orig. perg. in mea collectione.

MDXXXVIII. *1293.* Andreas III. rex considerans fidelium virorum militarium Pauli bani maritimi, Georgii et Mladini comitum, fratrum suorum, qui a primaevis progenitorum suorum personis quasi haereditario quodam iure in multis et magnis praeliorum congressibus militari meruerunt laurea decorari, per frequentes suos nuntios et specialiter per religiosum virum Desiderium ordinis Heremitarum s. Augustini oblatas preces, admittere decrevit patrum suorum munificentiis aliquid superadere, donando eis et haeredibus banatum maritimum cum iuribus, utilitatibus redditibus et proventibus banalibus universis, assumens eisdem suo et haeredum suorum nominibus cum quingentis militibus apparatum habentibus militarem in expeditionibus regalibus ei solerter assistere, et hoc vel in personis propriis vel saltem fratrum, filiorum, necessariorumque suorum. Banatum itaque maritimum confert eis iure proprietatis et perpetui dominii, sub condicionibus etiam quod Maiestatem suam et matrem suam Ducissam totius Slavoniae et maritimarum partium Principissam, debitum fidelissimae subiectionis et in Strenarum et aliorum clenodiorum oblationibus juxta vulgarissimam consvetudinem regni recognoscant, et quod ad regis et matris praesentiam convocati veniant et per se vel per fratres, filios aut alias personas praesentent.

Lucius: Mem. di Trau in additamentis p. 63 Ex. archivo Zriniana.

MDXXXIX. *In* **Ivanich.** *1293.* Johannes episcopus Zagrabiensis considerans merita probitatis et servitia Salamonis comitis, filii Sozo, terram quae quondam fuit castrensis, Hubena vocatam, in comitatu suo Chasmensi sitam cum omnibus pertinentiis contulit eidem et haeredibus suis. Hoc adiecto, quod idem comes et sui haeredes ei et eius successoribus omni fidelitatis studio inservire tenebuntur. Metae autem terrae, prout magister Andronicus quondam comes suus Chasmensis per eum ad limitandum transmissus in scriptis retulit hae sunt: Prima incipit iuxta quandam viam a parte aquilonis in vinicitate Georgii filii Petri inter duas vineas, venit ad vicinitatem Danych, vadit per multas metas arboreas et terreas et valles, venit ad metas terrae Gurk Ungari per magnam viam, inde per vallem ubi est potok Hubena et intrat in potok Tyzkevch, venit ad quoddam nemusculum et ibi cadit in magnam viam exercitualem et per bonum spacium revertitur ad primam.

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. VII. vol 5. p. 515.

MDXL. **Chasmae.** *1293.* Johannes episcopus Zagrabiensis notum facit, quod cum possessio ecclesiae suae Guesche, circa Vaska existens, propter turbationem et gverram praesentis temporis, quae in regno Ungariae et Slavoniae a multis retroactis temporibus miserabiliter inolevit extiterit desolata et fere habitatoribus destituta, volens conditionem eius facere meliorem, eandem donavit comiti Stephano de Monuzlo more aliorum praedialium suorum de Vaska. Hoc adiecto, quod idem comes Stephanus et sui haeredes episcopo omni fidelitatis studio assistere tenebuntur. Metae autem, quas Mychael archidiaconus de Vasca et frater Laurentius praepositus fratrum ord. s. Augustini de Vaska

*

reambularunt hae sunt: aqua Berzenche ubi cadit in eam aqua Achyn, tendens ad septemtrionem in magno spatio, venit ad magnam viam, et cadit in potok Kacha. Per varias metas arboreas et terreas eundo cadit in aquam Hadinech et per eam in aquam Zumolch. In magno spatio versus orientem exit in Bohorcheheret, venit in Virilek et in aquam Trynoich. Inde iuxta Tumbul per varias metas ad aquam Berzenche. Datum per manus magistri Gogani canonici et pronotarii episcopi

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 231.

MDXLI. **Venetiis.** *1294. 14. Januarii.* Cum Ragusei teneantur per pactum armare lignum unum cum hominibus centum quinquaginta contra Almissanos sive Cacithos quando Veneti armant contra praedictos, et ipsi per aliquod tempus armaverunt dignum lignum et per aliquod non armaverunt, ad supplicationem eorum capta fuit pars in maiori consilio quod ipsi Ragusei solvere debeant pecuniam pro tempore quo non armaverunt, et de armamento dicti ligni supersedeatur ad praesens usque ad illud tempus, quod placuerit domino duci.

Ljubić: Mon. I. 180.

MDXLII. *1294. 18. Januarii.* Andreas III. rex notificat, quod licet fidelitates comitis Abraam filii Menoldi notoriae sint, tamen ut ipsius famae praeconium apud posteros celebre habeatur, aliquos ex suis actibus vult explicare. Ipse siquidem tempore adhuc Ducatus sui (i. e. regis) fideles exhibuit famulatus. Demum cum confinia regni per Teutonicos capta essent, omnibus nobilibus illius partis Teutonicorum subiectis ditioni, idem comes rebellavit dictis Teutonicis perseverans in debita fide regiae coronae. Item cum post mortem Ladislai regis fratris eius patruelis eidem successisset in regni solium, ipse comes Abraam cum exercitu Alberti ducis Austriae et Stiriae, tunc inimici ejus capatalis, iuxta civitatem Tyrnavensem viriliter dimicavit, et plures ex Teutonicis captivavit et vexilla hostium ei transmisit. Castrum etiam Sasvar expugnavit regique reddidit. Cum etiam ad expugnandum castrum Posoniense Mathaeum magistrum Agazonum rex misisset, ipse comes Abraam ad castrum viriliter dimicavit, ubi etiam laetaliter extitit vulneratus eius servientibus fere quinquaginta sauciatis. Pro quibus servitiis ei rex terram quandam castri sui Golgoch iuxta fluvium Vag, in quo castrum quondam constructum fuerat, contulit.

Wenzel: Cod. dipl. Arp. X. p. 135.

MDXLIII. *1294. 9. Februarii.* Andreas III. rex donat magistro Ivankae, filio comitis Andreae, terras castri Nitriensis Ternnteleky et Kuiha, considerans specialiter eiusdem magistri afflictiones quas per magistrum Johannem filium Henrici bani propter fidelitatem suam captus una cum rege et in captivitatis ergastulo per anni circulum detentus per eundem, est perpessus.

Fejer: Cod. dipl. T. VI. vol. I. p. 300.

MDXLIV. **Obrovac** *1294. 28. Martii.* Georgius comes Breberiensis solemniter inivit, fecit et firmavit pro se ipso, et gente sua, ac subditis suis et nomine communis et hominum Almisiae meram et firmam treugam usque ad decem annos continuos cum Rogerio Mauroceno Jadrensi comite et vice ducis Venetiarum et hominum civitatis eiusdem.

Ljubić: Mon. I. p. 181.

MDXLV. **Jaderae.** *1294. 29. Martii.* Bugius Georgii sindicus et procurator Volzitae potestatis, Miligosti Salvonerii et Jacobi Dragae judicum et Drusinae Joannis ac Tolislai Budislai camerariorum consilii et communitatis Nonae et totius communitatis solemni stipulatione promisit se facturum et curaturum omni exceptione et occasione remotis, quod Georgius comes Breberiensis, tam suo nomine et suorum hominum quam hominum communis Almisii firma habebit et observabit omnia inita pacta cum Rogerio Mauroceno Jadrensi comite.

Ljubić: Mon. I. 184.

MDXLVI. **Clissii.** *1294. 7. Aprilis.* Tempore regis Andreae III. et potentis viri Georgii de Briberio, civitatum maritimarum illustris comitis, cum Matthaeus Lucii sindicus et procurator communis Traguriensis, nomine communis publico instrumento se pro praedicto comite Georgio et hominibus Almisii obligaverit d. Rog. Mauroceno comiti Jadrae, nomine ducis Venetiarum dė 3000 librarum denariorum Veneticorum parv. occasione trengae factae et firmatae inter praedictum Georgium comitem et dictum d. Rogerium. Idcirco dictus c. Georgius tam nomine suo et subditorum suorum quam dicti communis et hominum Almissi promisit solemniter se obligando Dessae Amblasii civi Trag. sindico et procuratori communis Tragur. se facturum taliter, quod si dictum commune inciderit in dictam poenam 3000 librarum, ipse compellet illos qui contravenerint ad dandum dicto communi dictam quantitatem, et quod ipse dictum commune conservabit a solutione penitus et sine damno, alioquin dictus comes promisit de suo proprio solvere dictam quantitatem. Actum in castro Clissii in domo d. comitis Georgii, praesentibus Radoslao olim Domognae de Policia. Comite Slavano, Stanislavo de Bribirio servientibus eiusdem comitis et magistro Benvenuto medico eiusdem dom. comitis. Stroctus Petri de Ancona notarius scripsit.

Lucius: Mem. di Trau p. 123.

MDXLVII. **Jadrae** *1294. 9. Aprilis.* Nobilis vir d. Mathaeus Luzii civis Tragurii syndicus, rector et procurator nobilis viri d. Phylipuzii Rogerii de Todinis civis Anconae, potestatis communis Tragurii, nomine et vice eiusdem et communis. Item Marinus Dorbinae iudex, civis Sibenicensis sindicus et procurator Georgii Jurisig de Berber potestatis Sibenicensis, Milobrati Drugozai, Eliae Dragovani, Marsae Gregorii et Marini Drobinae judicum terrae Sibenicensis, nomine et vice dictorum et communitatis Siben. Item d. Lubatius iudex civis Scardonensis sindicus et procurator dominorum Pribi, Bosani et Berizlai iudicum, consilii et communis Scardonensis vice et nomine totius communitatis Scardonensis, obligarunt se in libris 3000 mille quingentis denariorum parvorum Venet. se facturos et curaturos, quod Georgius comes Breberiensis tam suo quam suorum hominum nomine quam et hominum Almissi firmam pacem tenebit cum Rogerio Mauroceno comite Jadrensi vice et nomine ducis Venetiarum. Actum coram testibus dominis Barchi Saladini, Lampredae Zenalelli, Andrea de Cande, Damiano de Nasci, et Blasio de Sope civibus Jadrensibus. Antonius quondam Rolanduci de Bononia iudex et notarius scripsit.

Ljubić: Mon. I. p. 185.

MDXLVIII. **Almissi.** *1294. Mense Aprili.* Temporibus Andreae III. regis et potentis viri Georgii de Bribirio comitis Almissi. Cum Mathaeus Lucii sindicus et procurator Traguriensis pro d. Georgio comite et pro communi Almissi et aliis fidelibus domino comiti se et commune Tragurii obligaverit (pro 3000 libris dandis et obligatis duci et communi Venetiarum), idcirco Nicola comes Radigosti, Priboslavus et Budic judices Almissi cum consensu parlamenti dicti communis, in platea ad vocem preconis de mandato dicti Nicolai comitis et judicum congregati promiserunt se liberaturos commune et homines Tragurii ab ipsa fideiussione 3000 librarum illa occasione, si homines Almissi inciderant in poenam dictarum 3000 librarum et reficere damna et expensas. Praesentibus Zulla filio zupani Budislavi, Stroislavo filio Barbani, Petro Cvitanae Concui, et pluribus aliis. Siroctus Petri scripsit.

Lucius: Mem. di Trau. p. 133.

MDXLIX. **Neapoli.** *1294. 27 Aprilis.* Carolus II. rex Siciliae, justitiariis et iudicibus regiae curiae mandat, ut satisfaciant Mathiae Derchie et Petro Tome civibus et mercatoribus Ragusinis, quos referentibus Raynerio Michaelis consule Veneto in Apulia et Luca de Muco ambasciatore Ragusino, dum e Romania versus Dalmatiam navigarunt, habitatores Neapolitani Marcus Vulcan et Ystla more piratico invaserunt, barcam grano, sale, cera et aliis mercibus onustam spoliarunt, ipsosque mercatores male tractarunt.

Arkiv za povjest jugosl. VII. p. 26.

MDL. **Bari.** *1294. 20. Junii.* Carolus rex Hungarie nobili viro Paulo bano, cuius consilio super prosecutione negotii de regno Ungarie uti vult, dat liberum indultum et facultatem in sui presentiam veniendi, in regno commorandi et redeundi cum universo comitatu suo.

Arkiv za povj. jugosl. VII. p. 26.

MDLI. **Bari.** *1294. 20. Junii.* Karolus II. Siciliae rex et Karolus ejusdem regis primogenitus, Ungariae et Croatiae rex, notum faciunt, quod cum ii super prosecutionem negotii regis Ungariae de regno Ungariae cum nobili viro Paulo bano conferre ac eius consilio uti volentes eundem Paulum ad suam praesentiam duxerint evocandum, nolentes ei et fratribus Georgio et Mladino eius dubium vergere, licet eis dubitare de aliquo non sit opus, assecurant eos ut tam venire, morari et redire ad propria possint salvo, secure et libere sine aliqua molestia aut dampno. Hanc ipsam assecurationem securitatis dederunt dicti reges una cum regina Maria comitibus Paulo et Georgio de dato Melfi 8. Julii 1294.

Wenzel: Acta extera I. 114. 119.

MDLII. **Scardonae.** *16. Junii (1294.—1310.)* Paulus banus Croatorum et dominus Boznae scribit Pontifici Clementi VI. (erronee erit Coelestinus aut Clemens V.), quod considerans eius contra Venetos latas sententias ac eorum visa protervia et duricia in Jadratinos, qui suae Sanctitati speciali ducti fiducia a Venetorum violento dominio recedentes ad libertatem debitam pervenerunt, requisitus per eosdem suum primogenitum banum Mladinum, banum Bosnensium, misit cum potentia ad defendendum et protegendum Jadratinos. Sed quia Veneti continuo tenent galeas armatas ante Jadram, de-

vastando Insulas ipsorum, nec ille (Banus) habeat ad praesens galeas ad obviandum eisdem hostiliter, petit a pontifice auxilium et pro Jadratinis protectionem.

Glasnik Srbske slovesnosti XV. p. 205. Wenzel: Cod. dipl. Arpad. IX. 432.

MDLIII. **Budae.** *Circa 1294. 23. Junii.* Andreas III. rex scribit civibus de monte Grecensi, quod pro eo, quod de castro suo Medwe eis et ad eos spectantibus per comitem Gyanum illata fuisse dicuntur nocumenta, cupiens ipsa ab illis amovere, cameram suam de Zagrabia eidem Gano duxit conferendam, ut amplius castro nullum nocumentum inferri praesumatur, sed de regiis rebus custodes nutriantur.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 233.

MDLIV. **Zagrabiae.** *1294. 1. Septembris.* Capitulum eccl. Zagrab. significat quod nobilis vir Grobsa, filius Stephani de Lapech (Lapac), confessus sit, quod ipse omnes terras ex ista parte fluvii Wn, inter Zakop et terras episcopatus Tyniensis ecclesiae existentes, per mortem Ozorias filii Ludgaris proximi sui sine haerede decendentis ad ipsum devolutas, Stephano bano per Jacobum sacerdotem praesentanti vendiderit in perpetuum, ob favorem et dilectionem dicti bani specialem, dans ei consensum ut omnes etiam per dictum Ozorias impignoratas recuperare possit, cum eidem Grobsae ad redimendum proprias non suppetat facultas.

Wenzel: Cod. dipl. Arp. XII. p. 361.

MDLV. **Zagrabiae.** *1294. 1. Septembris.* Capitulum Zagrabiensis ecclesiae significat, quod Zemk filius Bose pro se et fratre suo Wlkoy, item Radey filius Wlkowoy pro se et pro fratre suo Ramona, item Retk filius Nenadai de genere Rach, vendiderint Stephano bano in persona Jacobi sacerdotis particulas terrarum suarum in Drozgomech pro septem marcis, singulis cum quinque pensis denar. zagrabiensium computatis. Inter metas occurit quaedam antiqua via, praedium Radey, dumus Zyvibongrum, quedam Mlaka et fluvius Maya.

Tkalčić: Mon. Hist. I. p. 233.

MDLVI. **Venetiis.** *1294. 9. Septembris.* Petrus Gradenico dux Venetiarum nobili viro Thomae Michaeli de suo mandato ambasciatori ad comites Veglae mandat, cum illum miserit ad accipiendum lignamen quod Januensibus per Segnanos dabatur, non ut ipsum haberet sed solum ut Januenses ipsum habere non possint, et comites et ipsi Segnani non fecerint illud quod debebant, ita quod navis Januensium cum lignamine ac galeis recessit, ut non oportet ei de ligno aliquid accipere, sed si aliquid de navi remanserit, accipiat solum illud quod convenienter non posset negare et redeat Venetias.

Ljubić: Monumenta I. p. 187.

MDLVII. **Zagrabiae.** *1294. 16. Octobris.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis significat, quod Drusk, Petrus et Vincer filii Stephani vendiderint nobili viro Stephano bano in persona Mark filii Descych. terram suam in Turya existentem a Wlchizlo, Dimyntha, Beloca filiis Cuetan, Craban filio Brocynan, Strestrona filio Gordoan et Wlkina filio Rope, nec non vineam suam in terra Zavarcha existentem comparatas; item terram, quam dictus Drask a Ban et Alexandro filiis Ivanus, Wlkoyn filio Mosila, et Martino filio Radona compa-

raverat, et quidem pro viginti septem marcis, singulis cum quinque pensis denariorum Zagrabiensium computatis.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 234.

MDLVIII. *1294.* Capitulum ecclesiae Quinqueecclesiensis fatetur, quod Aegidius filius Gregorii de genere Thomae bani, fratre suo Petro episcopo Transilvaniae praesente et consentiente, uti defectui proximus, possessionis suae Ogona tres Vyznicatus seu possessiones Gagy, Odroha et Dornolch, Michaeli praeposito ecclesiae Transilvaniensis et Petro comiti Siculorum, filiis comitis Stephani filii Diers de genere regio, suis in secundo gradu consanguineis, hisceque in fratres adoptivos receptis, eorumque haeredibus jure perpetuo contulerit et resignaverit.

Ex actis per banum Khuen-Hedervary ex archivo regni ablatis. N. R. A. Fasc. 1504. N. 19.

MDLIX. **Ragusii.** *1294.* Marinus Badoarius comes Racusii cum voluntate minoris et maioris consilii statuunt et firmant, quod nulla persona debeat de aliquibus partibus ducere in Racusium nec eius districtum follaros falsos sub poena et banno ipperperorum centum pro quolibet et qualibet vice. Pro falsis vero follariis cognoscebantur: Stameni de Dyrachio et Romania. Follari de Armenia et Turchia, novi et veteres. Follari facti de petiis de rame sine litteris et figuris. Follari incisi. Follari qui dicuntur Capuciae.

Pucić: Споменици Србски II. 169.

MDLX. *1295. 5. Januarii.* Johannes episcopus Zagrabiensis et capitulum significant, quod comes Nicola castelanus regis de Medwe, et Janinus frater eius ab una parte, ab altera autem Andreas maior villae et universitas civium Grecensium personaliter constituti, omnibus litibus, adversitatibus et inimiciis inter eos ratione occisionis Petrilce filii Benk subortis paci consulentes iuxta mandatum regis, renuntiarunt, ita quod dictus comes Nicola et Janinus frater praetextu huiusmodi adversitatis vel detentionis personarum amodo nulla dampna vel iniurias aliquas, praesertim donec idem comes N. et frater suus custodiam conservationis castri Medwe habebunt, memoratis civibus et ad eos pertinentibus inferrent aut inferri facient manifeste vel occultate, ad quod tactis sacrosanctis reliquiis praestiterunt juramentum. E converso promisit idem maior villae et universitas civium praestito iuramento. Si vero comes Nicola et Janinus trangressores fidei reperti fuerint, possessiones suas intra et extra civitatem Grecensem ammittant.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 235.

MDLXI. *1295. 9. Martii.* Andreas III. rex notum facit, quod capitulum eccl. Zagrabiensis significare curavit, quod cum Stephanus filius Mladucheucz, quondam jobagio castri Zagrab., imminente sibi mortis articulo terram suam Casna vocatam, in medio terrarum capituli Zagr. similiter Casna existentem, cujus alteram portionem quondam Vulk fratris capitulum ex collatione regia jam possidet, simul cum suo parvulo filio, coram testimonio civium Grechensium conservationi et tuicioni dicti capituli reliquisset tali modo, ut si puer perveniret ad aetatem legitimam extunc una cum successoribus suis de praedicta terra more praedialium capitulo servire teneretur. Si vero puer ante tempus vel sine liberis decederet, tunc eadem terra in propietatem capituli

caderet. Huic ordinationi praebuit rex suum assensum, cum eam ordinationem veram esse civitatis Grechensis universitas confirmavisset. Datum per manus Theodori praepositi Albensis aulae vicecancellarii.
Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 236.

MDLXII. **Anagniae.** *1295. 28. Maii.* Carolus II. Sicilae rex et pro rege Ungariae mandat Henrico de Hervilla cum pro munitione quorumdam castrorum in partibus Slavoniae, que nuper ad Caroli regis Ungariae ejus filii fidem et dominium pervenerunt, salmae frumenti mille illuc per mare mittendae de partibus Apuliae necessariae reputentur, quatenus nuntium dicti regis Ungariae dictas salmas ex portubus iurisdictionis ejus extrahere libere permittat.
Wenzel: Acta extera I. p. 123.

MDLXIII. **Venetiis.** *1295. 28. Maii.* Cum captum fuerit alia vice de facienda gratia comiti Podinae, qui dedit Venetiis Almissium, de amphoris viginti vini omni anno, capta fuit pars, quod fiat dicta gratia portandi dictum vinum sine datio ad terras amicorum.
Ljubić: Mon. I. p. 188.

MDLXIV. **Anagniae.** *1295. 17. Junii.* Carolus II. Siciliae rex attendens grandia, grata et accepta servitia, quae Paulus banus Maritimus, dominus Croatorum, dilectus et fidelis consangvineus, quondam patri regis praestiterat et assiduae praestat regi et ejus filio Carolo regi Ungariae. consentit quod dictus rex Ungariae eidem Paulo bano concedat in vita sua Banatum seu Dominium banatus in Croatinis et Dalmatinis partibus, secundum quod ipsum Banatum tenuit et nunc tenet.
Wenzel: Acta extera I. p. 124.

MDLXV. et MDLXVI. *1295. Junii.* Carolus II. Siciliae rex tribuit nuntiis Pauli bani licentiam extrahendi libere a jure exiturae de portubus Apuliae mille salmas frumenti deferendas ad partes Slavoniae pro munitione castrorum ipsius bani.
Wenzel: Acta extera. I. 125.

MDLXVII. *1295. 25. Junii.* Capitulum Chasmensis ecclesiae notificat, quod magister Tiburtius, debilis corpore, sanus adhuc mente, reliquit testamentaliter quandam particulam unius aratri sufficientem in possessione sua Stupna in comitatu Guerzenche, a parte Heremitarum s. Augustini de Guarich adiacentem eisdem fratribus Heremitis B. Virginis de Garich sub tribus sigillis (videlicet eiusdem Tiburtii et conventus fratrum Minorum de Gurbanich ac comitis Mathiae), salvis tamen portionibus Joannis et Nicolai nepotum suorum. Metae quas Mathias sacerdos ecclesiae s. Nicolai de Guerzenche retulit, hoc ordine distiguuntur: Prima incipit in capite rivuli Stupna, et ibi sunt tres vineae, per quandam semitam cadit in magnam viam et venit ad ecclesiam, de qua per antiquam viam ascendit ad tres arbores Hrast, de quibus cadit in magnam viam, qua itur versus forum ad meridiem, per Stupnam redit ad priorem metam.
Fejer: Cod. dipl. T. VI. vol. I. p. 376.

MDLXVIII. **Posegae** *1295. 8. Novembris.* Thomasina mater regis Andreae III. Ducissa totius Slavoniae et gubernatrix partium citra Danubialium usque

ad mare confert magistro Coraldo filio Stephani de Ovar possessionem Gueresd quam possederat iniuste Benedictus episcopus Albae Bulgaricae.
Wenzel: Cod. dipl. Arp. X. 186.

MDLXIX. **Venetiis.** *1295. 10. Novembris.* Petrus Gradonico dux Venetiarum scribit potestati et consilio civitatis Traguriensis: cum Diambra quondam uxor et nunc sola commissaria Totigliae Vituri, filii quondam Ceciliae uxoris olim Drusimiri Vituri, de confinio s. Mariae Formosae, civis Venetae, ratione repromissae praedictae Ceciliae spectantis jure successionis ad dictum Totigliam, pro parte ei de supradicta repromissa contigente librarum den. Venet. octingentarum de bonis dicti Drusimiri debeat percipere, secundum cartam adiudicatoriam de a. 1271. die 28. Nov. Petit ergo dux quatenus tantum de dictis bonis Drusimiri per suos officiales extimari facere velint, quantum ascendit pecunia supradicta, et duci pretium et confines totius quod fuerit extimatum per suas litteras declarant, ut Veneti judices inde valeant procedere sicut postulat ordo juris.
Lucius: Mem. di Trau p. 141.

MDLXX. **Venetiis.** *1295. 3. Decembris.* Capta fuit pars maioris consilii, quod nobilis vir Marinus Georgio comes Curzolae sit de maiori consilio semper quando venit Venetias et stat iuvando ipsum consilium.
Ljubić: Mon. I. 188.

MDLXXI. *In conventu* **Varadiensi.** *1295.* Thomasina regina, mater Andreae III. regis, Ducissa totius Slavoniae a Danubio usque mare notum facit, quod Laurentius magister dapiferorum dictae reginae et magister Philippus ac Ladislaus filii magistri Philippi possessionem ipsorum haereditariam Wruzy vocata in comitatu de Walkov, per modum divisionis a magistro Johanne, Philippo, Demetrio et Ladislao, filiis comitis Ladislai, distinctam, pro meritis comitis Alexandri pugillis, ex permissione filiorum Ladislai confessi sunt se dedisse eidem comiti Alexandro in perpetuum tali modo, ut iidem filii magistri Philippi ratione eiusdem terrae quinquaginta marcas in denariis, se ab Alexandro recepisse confessi sint.
Wenzel: Cod. dipl. Arp. X. 183.

MDLXXII. *1295.* Thomasina mater Andreae III. regis, enumerat fidelia servitia comitis Ladislai filii Nicolai et quidem primo: Cum Andreas rex Ladislao regi successisset in regni solium, idem comes eidem fidelissimos exhibuit famulatus. Praeterea cum Johannes Henrici bani ipsum regem Andream captivasset, idem comes Ladislaus praedicto Johanni liber et spontaneus se dedit in obsidem, ut iugum detentionis regia possit evadere Celsitudo, nec aliter a praedicto Joanne dictus comes se liberare potuit, nisi ducentis marcis persolutis et filium suum loco sui in obsidem relinquendo, ubi dictus puer propter malitiam aeris in aegritudinem incidens mortuus est. Dimicavit etiam ad castrum Zeckchu contra Mize palatinum una cum Nicolao palatino. Pro quibus servitiis ei Ducissa terram Zub ad praedium Segusd pertinentem contulit.
Wenzel: Cod. dipl. Arp. X. p. 185.

MDLXXIII. *1295.* Thomasina mater regis Hungariae, Ducissa totius Slavoniae et gubernatrix partium circa Danubialium usque Maritima, notificat,

quod considerans fidelitates et multiplices famulatus Turdizlai et Blasii filiorum Grubuch de Vrbas, quos in diversis expeditionibus et praesentim in expugnatione castri Radizlai bani infidelis, Wrbazeu vocati, ubi iidem non formidantes ictus lapidum frequentissimos, nec jaculorum nimbos expavescentes vulnera sustinuerunt letalia sub eodem castro viriliter dimicando, volens igitur praedictis Turdizlao et Blasio occurere reginali cum favore, medietatem tributi cuiusdam portus super Zauam, also Gradisca nuncupati, qui versus Wrbaz transit, ad ipsorum terram Schplatu vocatam, cuius medietatem Nicolaus filius Dezlo tenere dicitur, cum omnibus utilitatibus et pertinentiis, sicut apud comitem permansit de Wrbaz pro tempore constitutum, duxit conferendum. Datum per manus d. episcopi Quinqueecclesiensis aulae cancellarii.

Ex transumpto Andreae III. regis de a. 1297. 15. kal. Febr. Orig. perg. in mea collectione.

MDLXXIV. *1295.* Johannes filius Dionisii quondam palatini, magister pincernarum dominae reginae maioris et comes Vesprimiensis notificat, quod totam terram suam in provincia Godoucha (Moroucha) existentem, Nespesa vocatam, cum terra quam prius Gregorius possidebat, quas prius contulerat Paulo et filio fratris sui Fabiano, remittens ei omnia offensa et excessus, quibus contra eum excesserat, donavit eidem Paulo et dicto Fabiano pro fidelibus serviciis tempore patris sui peractis et modo renovatis. Hii sunt commetanei terrae Nespisae. ab oriente Mathaeus filius Endure comitis, a meridie homines de Drenua, ab occidente Ivan et Joank, a septemtrione homines de Peser superiori. In medietate minor villa Peser. Praesentes et assentientes fuerunt Jacobus filius Beriwoy, Philip filius Kayan, Pethylo filius Paulus, Ioan de Monte, Joank filius Nepput, Bogdoslo filius Stane, Johannes filius Wechezlai, Marcus Laznog, Budur filius Gurdus, Paulo Churtan comite castellano de Zeltina,et Pouka de Phihuna castellano comite. Datum per manus magistri Corardi.

Ex transumpto Mykch bani totius Slavoniae de anno 1342. in pergamena cum sigillo pendenti. In mea collectione.

MDLXXV. *1295.* Magister Tiburtius legat in perpetuum claustro Heremitarum B. M. V. de Garigh particulam terrae unius aratri, alteri terrae haeditariae s. Augustini de Garigh contiguam, atque de possessione sua Stupna in Guerzenche habita excisam, cum vineis, cunctisque pernentiis, salvis attamen Joanni et Nicolao nepotibus suis exinde obtingentibus portionibus.

Ex actis monasterii de Garigh Fasc. I. Nr. 6. per banum Khuen-Hedervúry e regni archivo ablatis.

• MDLXXVI. *1296. 26. Februarii.* Andreas III. rex confirmat omnia privilegia et possessiones collatas monasterio b. Mariae de Toplica (ord. Cistercit.) per reges Andreum II., Belam IV., Stephanum et Ladislaum IV. Datum per manus patris Theodori episcopi Jauriensis aulae vicecancellarii.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 237.

MDLXXVII. *1296. Mense Martio.* Nicolaus praepositus et capitulum ecclesiae Quinqueecclesiensis notificant, quod magister Benedictus filius comitis Nicolai de Saag quandam possessionem ab antiquo vacuam, habitatoribus in

uno loco ultra Drawam iuxta Karasu (Karašica?) situatam, Gueredistha vel Hydwigh vocatam aut vocatas, cum omnibus utilitatibus comiti Thomae filio Benedicti de Beend et uxori eius, sorori suae carnali, contulerit. Dum autem idem comes Thomas populos supra hanc terram suam congregasset, ecce dictus mag. Benedictus eundem Thomam et suos jobagiones aufugavit et dictam terram potentialiter occupavit percipiendo fructus terrae per quinque annos. Convocatus idem Benedictus per dictum Thomam ad praesentiam regiam, fuit in pluribus judiciis legitime convictus. Tandem de permissione regia compromiserunt causam arbitris judicibus, secundum quorum arbitrium, videlicet comitis Kemyn comitis de Borona, filii Laurentii quondam palatini, item comitis Andreae filii Petri et Benceneh filii Martini nobilium de genere Budimir, item comitis Ornolth filii Ylarii de genere Nempthi, item Michaelis filii Michaelis de iuxta Karasu, item Beka filii Marceli comitis de Chithov, item comitis Petri filii Buchk de Bermen, et comitis Burin filii Burin de Horosth, Moroth nigri de Peray, Jacobi filii Porozlov, nobilium comitatus de Barana aliorumque nobilium conprovincialium concordarunt partes ita, quod ipse comes Thomas propter pium cognationis affectum et amorem damnum factum ad 40 marcas exsolvit; item totam portionem suam in iudiciis sibi debitam circa 20 marcas numeratam eidem Benedicto relaxavit; Benedictus autem supra nominatas terras ultra Drawam iuxta fluvios Karasu et Welchiza situatas dicto Thomae et sorori suae remisit. Metae huius terrae fuerunt, aqua Mlaka, terra nobilium de genere Zabov, terrae Petri bani et filiorum suorum Ozyagh vocatae, locus Hotharastk, aqua Welchyza.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. X. 228.

MDLXXVIII. *1296. 6. Mensis Martii.* Nicolaus praepositus et capitulum Quinqueeclesiense significant, quod nobiles juvenes, fratres, patrueles: Magistri Laurentius et Philippus ac Ladislaus filius magistri Philipus, filii comitis Clety, ab una parte et magistri Johannes, Philipus, Demetrius, Ladislaus filii comitis Ladislai, filii eiusdem comitis Clety ab altera confessi sint, quod cum ipsi super possessionibus suis de Zelyz in comitatu Tholnensi, metis suis ab invicem separando; item super possessionibus suis ultra fluvium Dravae situatis metis separando, divisionem inter se fecissent, diutius vertebatur circa quedam illata damna coram Andrea rege et judice curiae suae, et coram Ducissa totius Slavoviae quaestio et altercatio, tandem de voluntate dominae Ducissae secundum arbitrium comitis Ochuz de genere Buzad, judicis curiae dominae Ducissae, Lorandi woyvodae filii Thomae, item com. Benedicti Iwanka, magistri Geyleth filii magistri Geylethy, nobilium de Posega, item comitis Detrici et fratris sui magistri Bolug comitis et castellani de Posega, item magistri Stephani filii Johannis de Gara, et magistri Dominici quondam palatini, filii Petri de genere Chak, aliorumque nobilium amicabili compositione partes concordarunt ita, quod filii comitis Ladislai medietatem possessionis et castri Nadasth in comitatu de Tholna, item duas terras Beersen et Zekleeh in eodem comitatu, item medietatem terrarum Zauva, Zerna et Bora in comitatu de Barana ex ista parte fluvii Drawae, item totalem medietatem castri Koronog ultra fluvium Drawae dimiserunt filiis comitis Philipus. E contra filii magistri Philippus medietatem castri et possessionis Oryawa in Posega, item duas terras Hothyas et Bethev iuxta fluvium Drawae adjacentes relinquerunt in concambium praemissorum filiis comitis Ladislai; diviserunt quoque pari modo

mancipia, servos et ancillas. Super qua divisione tria paria privilegia capituli et Ducissae Slavoniae acceperunt.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. X. p. 232.

MDLXXIX. *1296. 6. Martii.* Nicolaus praepositus et capitulum Quinqueecclesiense significant, quod Johannes filius Becha de Keulges totalem terram suam Keulges, ultra fluvium Dravae sitam, cum duabus villis et omnibus pertinentiis contulit magistris Laurentio, Philipo et Ladislao filiis magistri Philipus jure perpetuo, e contra ipsi juvenes filii magistri Philipus filii comitis Cleti possessionem suam Francheusfeldy vel Zeueboog in ambitu uno ultra Drawam iuxta fluvium Karaso in concambium dederunt, prout haec etiam in patentibus litteris dominae Ducissae Slavoniae (Thomasinae) continentur. Meta autem terrae Zeuoboogh incipit in littore fluvii Karaso (Karašica), cadit in aquam viminosam Katha plesa, procedit ad arborem magnam Bereknnya terra cumulatam, inde cadit in aquam Nevlenya, pervenit ad magnam viam de Saagh decurrentem ad ecclesiam b. Mariae de Luka, venit ad foveam seu fossatum Kalista aquarum ex inundatione pluviarum aliquando autem siccum, commetatur cum terris magistri Benedicti et terris filiorum David et Samsonis de genere Havasth, et procedendo per magnam viam venit ad aliud fossatum. Per varias metas cadit in aquam Keresua et venit ad aquam Begya mlaka, exinde prope sessionem Scynork, inde ad arborem pomi Lubachym, venit ad aquam Zugonsuk et terminatur ad fluvium Karaso.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad X. 239.

MDLXXX. *1296. 12. Martii.* Capitulum Chasmensis ecclesiae significat, quod comes Gregorius filius Romani petierit ut aliquem ex capitulo ad reambulandas terras eius in districtu Zaladiensi exmitteret, annuentes petitioni, transmiserunt magistrum Johannem cantorem dictae ecclesiae, qui rediens retulit, quod easdem terras et metas earundem sine contradictione aliqua reambulasset, et quod Endrus et Adrianus filii Vitalis et Wlk filius Isip et Martinus filius Ladizlai omnes terras in Zeguna et Ebis existentes pro quadraginta sex marcis dicto comiti Gregorio dignoscuntur vendidisse in perpetuum. Quarum prima meta incipit in fluvio Curnech in vicinitate terrae Cruciferorum et per silvam in bono spatio venit ad fluvium Zeguna, ubi vicinatur terrae Opoy (de Rasinja), inde in eodem fluvio ascendit et cadit in potok Berzench. Transiens campum versus meridiem venit ad magnam viam et per varias metas venit ad viam quae ducit ad ecclesiam s. Crucis, versus occidentem iungitur terrae Benedicti filii Rodyn, inde declinat ad magnam vallem et versus septemtrionem ad magnam viam, per varias metas arboreas ad rivulum Cernech et inde ad priorem metam.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. X. 219.

MDLXXXI. *1296. 1. Maii.* Conventus Zaladiensis declarat, quod magister Jacobus filius comitis Panith de genere Buzad et nobilis domina consors sua Anna filia comitis Ladislai filii Nicolai praesentes constituti, eadem domina confessa est, quod ob dilectionem sui mariti dotem suam et res parafernales si ipsam ante dictum Jacobum maritum vita transmigrare contigeret eidem Jacobo relaxasset. E converso dictus maritus eius asseruit, quod de possessionibus suis duas, videlicet zent Trinitas cum terra Kakonya emptitia, me-

diante privilegio Bartholomaei condam episcopi Vesprimiensis, aliam vero terram suam inter Dravam et Muram adjacentem et aquisitam mediante privilegio Stephani condam regis possessam, assignasset eidem uxori suae.

Cod. dipl. patrius VII. p. 247.

MDLXXXII. *1296. 12. Maii.* Capitulum Quinqueecclesiense notum facit, quod comes Jacobus filius Ambrosii de genere Nempchy ab una parte, Hector et Chaak filii magistri Herborthy filii comitis Nicolai ab altera confessi sint quod super omnibus destructionibus, damnis, captivationibus, vulneribus sive plagis quibuslibet; item super facto dotum rerumque parafernalium ab utraque parte debentium, specialiter super facto dotis dominae relictae magistri Herborthy, item super morte vel homicidio, caeterarumque discordiarum articulis subortis et illatis usque modo, in conspectu regio inter partes vertebatur materia quaestionis, secundum arbitrium magistri Karul filii comitis Benedicti de Orman, item Stephani et Priboslai filiorum comitis Stephani, nobilium de Cheredey, item Dionisii filii Benedicti de Peturdy, item Orualch filii Ylamar, et Gervasii filii Petha nobilium de Nempchy, item comitis Homoney et Ladislai filiorum Michaelis de Thopod aliorumque nobilium comprovincialium, sibi invicem mutuo satisfacientes perpetuam pacem se habere (velle) sunt confessi, et quod neutra partium alteram abhinc in posterum super dictis injuriis poterit molestare. Item super facto possessionum, scilicet Kernzthur, quae est in Zelisio, scent Gal in Woyzlo et Rawen, ratione quarum inter partes vertebatur quaestio, concordarunt in hunc modum, quod eaedem terrae Jacobo filio Ambrosii in perpetuum dicti filii magistri Herborthy cederent cum omnibus literis et privilegiis super easdem terras sonantibus.

Orig. in perg. ex collectione Radoslai Lopašić.

MDLXXXIII. **Zagrabiae.** *1296. 23. Maii.* Capitulum ecclesiae Zagrabiensis affirmat, quod Mathaeus filius Detrici de genera Acha in jus vocaverat civitatem ratione terrae Sviblian, ac deinde actioni et iuri suo cessit relinquens eam ut antea civitati possidendam. Civitatem representarunt Gilyon maior villae, sir Marko, Petrus Scandalay, Michael Bissenus et magister Clemens cives castri Grecensis.

Tkalčić: Mon. civit. Zagr. T. I. p. 76.

MDLXXXIV. **Venetiis.** *1296. 30. Julii.* Cum in pactis Ragusiae contineatur inter caetera, quod Ragusaei debent esse franchi de mercationibus Slavoniae, capta fuit pars maioris consilii, quod vicedomini observent Ragusaeis dicta pacta.

Ljubić: Mon. I. p. 188.

MDLXXXV. *1296. 29. Augusti.* Andreas III. rex ad petitionem comitis Mike filii Radun confirmat ei collationem terrarum in superiori Hungaria, comitatu de Thyrocz, factam, considerans fidelitates et servitiorum merita ejus quae in omnibus expeditionibus exhibuit, maxime in expugnatione castri Adrian ubi una cum fratre suo Bytov extitit lethaliter vulneratus, attendens insuper quod idem comes Mike castrum Posega de regio mandato fideliter conservavit restituens ipsum Catherinae matri regis. Datum per manus Theodori episcopi Jauriensis aulae vicecancellarii.

Fejer: Cod. dipl. T. VI. vol. II. p. 36.

MDLXXXVI. *Sub castro* **Kwzegh.** *1296. 6. Octobris.* Andreas III. rex significat, quod cum Stephanus, Ladislaus et Ugrinus filii Ladislai multa spolia et latrocinia contra eum indesinenter in regno suo commiserint, pro eo etiam quia possessiones Gregorii bani et comitis Stephani filiorum comitis Mark pluries destruxerint, pro huiusmodi itaque excessibus possessiones eorum universas et specialitsr possessiones Pech sine haerede decedentis, quas potentialiter occuparunt, auferendo ab eis, contulerat memorato Gregorio bano et comiti Stephano.
Wenzel: Cod. dipl. Arp. Cont. T. V. p. 150.

MDLXXXVII. **Venetiis.** *1296. 29. Decembris.* Cum per Almissanos fiunt et factae sunt Venetis derubationes et damna et sunt modo ambasciatores ipsa occasione tam comitis Georgii, quam civitatum Spalati, Tragurii et Sibenici et ipsa negotia sunt magis propria consilio triginta, quam consilio Rogatorum, capta est pars, quod negotia Almisii debeant fieri in consilio Rogatorum et quadraginta.
Ljubić: Mon. p. I. 189.

MDLXXXVIII. *1296.* Andreas III. rex Moys filium Alexandri ob excessus enormes in episcopatu Quinqueecclesiensi et in societate Nicolai quondam palatini filii Henrici bani perpetratos iactura bonorum mulctat.
Fejer: Cod. dipl. T. VI. vol. II. p. 17.

MDLXXXIX. *1296.* Conventus b. Adriani de Zala declarat, quod comes Reynoldus et Princh filii comitis Princh ac Arnoldus filius ipsius Reynoldi confessi sunt, quod comes Johannes filius Iwan de Bukinca debito triginta marcarum, quarum ratione et pro facto Bartholomei fratris ipsorum terram Lyzov, Emerico filio Herceg et eius filiis assignata extiterat expedivisset ipsos pecunia propria ac expensis, ob quam rem idem Reinaldus Princh et Arnoldus ex eadem terra Lyzov ad usum septem aratrorum pro 15 marcis dedissent ac vendidissent comiti Johanni et suis haeredibus praesentibus vicinis. Meta terrae incipit penes fluvium Lizov qui descendit de Saag juxta terram filiorum Pantus, vadit ad capellam S. Martini et ad terram jobagionum castri Patruh, silvam ecclesiae de Chatar, et per varias metas arboreas et terreas revertitur ad primam.
Cod. dipl. patrius. VII. p. 254.

MDXC. *1297. 18. Januarii.* Andreas III rex ad petitionem Turdizlai et Blasii filiorum Grubuch de Vrbaz confirmat privilegium Thomasinae matris suae, ducissae totius Slavoniae, super collatione medietatis tributi cuiusdam portus fluvii Zaua, Also-Gradisca nuncupati, eis concessum (a. 1295). Datum per manus Th. episcopi jauriensis aulae vicecancellarii.
Ex mea antiqua collectione.

MDXCI. **Zagrabiae.** *1297. 20. Januarii.* Michael, episcopus Zagrabiensis, comes de Garig et de Gersenche, significat, quod Katheryn filius Martini, civis de monte Grech, particulam terrae in comitatu episcopi de Vgra iuxta Sepnizam a Matheo fratre Damiani emptam, vendiderit Michaeli filio Stephan civi de monte Grech.
Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 238.

MDXCII. *Apud Vestas 13. Aprilis 1297.* Regnante Karulo II. rege Jerusalem, Siciliae, ducatus Apuliae etc. Scarus de S. Andrea Vestarum judex et Felicius dictae terrae notarius, cum caeteris testibus et habitatoribus de eadem terra in unum congregati exaudiverunt Angelum de Vincentio et Johannem de Rugio, constitutos olim sindicos suos ad ordinandam pacem et concordiam inter homines civitatis Vestarum et commune et homines Tragurii, inter quos vertebatur discordia et gverra pro eo, quod multas offensiones et damna receperunt a piratis seu cursoriis Dalmatiae, inter quos praesumebantur fuisse homines de Tragurio. Qui sindici exposuerunt quod dictam pacem cum Tragurinis fecerint, et quod Nicolaus sindicus eorum in consilio generali nomine omnium civium promiserit dictis Angelo et Johanni sindicis pacem perpetuam, sicut ab antiquo fuit, servari.

Lucius: Mem. di Trau. p. 135.

MDXCIII. **Venetiis.** *1297. 2. Maii.* Petrus Gradonico, dux Venetiarum, mandat Marco Michaeli, comiti Arbensi, et universitati civitatis, cum contra Januenses parat potens extolium, ut 50 homines ad suas expensas et residuum hominum pro complemento armandi unam galeam ad expensas Venetas, ad 180 homines pro galea, praeparant armis et omnibus necessariis, habent quoque mittere unum nobilem pro supracomite pro galea.

Ljubić, Mon. I. p. 189.

MDXCIV. **Romae.** *1297. 15. Maii.* Bonifacius VIII. papa, cum Spalatensis ecclesia dudum viduata pastore, licet in ea de Jacobo archidiacono ipsius ecclesiae electio fuerit celebrata, quia tamen infra tempus a jure statutum dem archidiaconus non fuit negotium electionis prosecutus, dicta electio juribus extitit vacuata et idem archidiaconus de mandato pontificis resignationem suam recepit, praefecit igitur papa in archiepiscopum Spalatensem fratrem ord. Minorum Petrum, capellanum Mariae Reginae Siciliae.

Farlati: Illyr. Sacr. T. III. p. 295.

MDXCV. *Apud urbem veterem 18. Junii 1297.* Bonifacius VIII. papa cum Jadrensis ecclesia per translationem archiepiscopi Joannis ad Tranensem ecclesiam pastore suo destituta fuisset, nominat in archiepiscopum Jadrensem Henrium de Tuderto, fratrem ordinis minorum, quod ei per litteras suas intimat.

Farlati: Illyr. Sacr. T. V. p. 86.

MDXCVI. **Posegae.** *1. Septembris 1297.* Michael, episcopus Zagrabiensis, domini Albertini Ducis Slavoniae cancellarius et comes de Garygh notum facit, quod cum praepositus et conventus fratrum S. Augustini, canonicorum regularium de domo in Wasca, possessionem suam Tubina, possessioni de Wasca adiacentem commode procurare non possent, ad illorum quaerulam relationem donavit eis particulam terrae villae suae de Waska, pro qua recepit supranominatam terram Tubina. Dictae particulae terrae metae sicut retulerunt Olyverius officialis episcopalis de Wasca, Gurethe et Teodorus praedialis ac Adrianus plebanus de eodem loco, incipit a quibusdam dumis avellanarum iuxta lacum, et currens per varias metas arboreas, vadit circa magnam viam ducentem in Zalathnuk, inde iterum per varias metas arboreas ad ecclesiam S. Georgii ad occidentem in vicino terrae nobilium de

Tubina, inde ad caput lacus Ferten, inde iuxta viam vicinatur terrae Lucach filii Martini et in aquilone terrae Petche usque ad Drawam ubi terminatur. Datum per manus magistri Dominici lectoris ecclesiae Zagrabiensis tunc notariorum magistri.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 238.

MDXCVII. *1297.* Capitulum ecclesiae Bachiensis notum facit, quod magister Thomas filius Petri, et Paulus filius eiusdem confessi sint, quod possessiones suas haereditarias Zoch vocatas, in comitatu de Wolkov, a parte occidentali et septemtrionali magistri Ugrini filii Pous, a parte meridionali comitis Stephani de Gara et Blasii filii Mauricii, ab oriente abbatis ecclesiae S. Crucis de Franka villa contiguas et vicinas, cum fundo duarum villarum Graga et Waradh, magistro Johanni filio comitis Eynardi cognato suo ob dilectionem proximitatis donarunt iure perpetuo.

Ex actis archivi regni Croatiae per banum Khuen Hederváry ablatis.

MDXCVIII. *1297.* Magister Stephanus filius Dyonisii conquestus est contra Dominicum filium Pauli quod ipse in comitatu syrmiensi quandam possessionem Pachey, haereditario iure eum contingentem, quae per dictum Dominicum et alios iuxta libitum in diversas partes divisa et ubique Pachey nominata, et quaedam portio ab eodem D. occupata et detenta extitit. Super hoc demonstravit tres litteras Cruciferorum de Strigonio, quae attestant comitem Dionisium filium Dionisii palatini dicti Stephani anno 1291. et annis sequentibus eundem Stephanum, Desev et Thomam fratres semel et seundo coram conventu Cruciferorum S. Stephani protestatos [fuisse ut octo villas eorum Pachey, Jexsinch, Solch, Katha, Thunch, Susy, Vesench et Petrich in comitatu Sirmiensi, quidam potentialiter occupassent . . .

Cod. dipl. Patrius VIII. p. 266. ex fragmento litterarum.

MDXCIX. *1297.* Neophitus Joannes, presbyter ex Zeta, extruxit ecclesiam s. Michaelis in loco Bogdašić iuxta Cattarum ad honorem etiam B. M. Virginis, s. Bartholomaei et s. Joannis apostoli, diebus honorificentissimi et deo observatissimi regis Urosii.

Ex collectione Papafavae.

MDC. *Circa 1298.* Michael episcopus Zagrabiensis mandat capitulo Zagr. cum ei relatum sit, quod Janinus castellanus de Medved ab illo peteret victualia, ecclesiam tamen eorum ei vel cuipiam alteri tributari non velit, quatenus dicto castellano de Medved de victualibus nihil dent nec dari faciant.

Tkalčić: Mon. episc. Zagr. I. p. 240.

MDCI. **Budae.** *1298. 7. Januarii.* Andreas III. rex significat, quod ad petitionem Michaelis episcopi Zagrabiensis possessionem Triburya, quam idem ecclesiae suae a jobagionibus castri se comparasse asseruit, a iurisdictione judicis et potestate Banatus ac cuiuslibet iudicis saecularis eximendo, illa libertate gaudere vult, qua caeterae possessiones episcopatus Zagrabiensis gratulantur.

Tkalčić: Mon. hist. T. II. p. 239.

MDCII. **Romae.** *1298. 1. Maii.* Bonifacius VIII. papa ad supplicationem reginae Mariae, consortis Caroli regis Siciliae, et Georgii comitis civitatum

Dalmatiae ad tollendam perpetuam discordiam inter Tragurinos et Sibenicenses propter subiectionem hominum de Sibenico episcopatui Traguriensi ad praesens non sopitam, mandat archiepiscopo de Jadra et electo de Spalato ut ecclesiam Sibenicensem in cathedralem ecclesiam et oppidum Sibenicense in civitatem erigant, quae metropoli spalatensi qua suffraganea subiecta erit, propriamque ei diocesim assignat certis finibus limitatam. Insuper dictae ecclesiae idoneam personam in episcopum praeficiant autoritate apostolica, quem archiepiscopus Spalatensis consecrari debet. Ita tamen quod per hoc capitulo ecclesiae Sibenicensis, ad quod electio episcopi pertinet, pro futuris temporibus nullum praeiudicium generetur.

Lucius: Mem. di Trau. p. 136.

MDCIII. *1298. 13. Julii.* Andreas III. rex manifestat, quod magister Ugrinus filius Pous de genere Chak, regni Baro fidelissimus, in praesentia regis Mathaeum, Paulum et Michaelem filios comitis Urbanus, explanavit, ut dum Tartari partes Macho obsedissent, et ad devastationem regni Hungariae se transferre voluissent, iidem filii Urbanus, cum dicto magistro Ugrino domino ipsorum, fluvium Zava transeuntes abiecto rerum et personae periculo viriliter dimicarunt, ubi Mathaeus laethali vulnere sauciatus claudicationis sui pedis est passus orbitatem, et duos Tartaros militari suo exercitio capite detruncavit, quorum capita idem Ugrinus regi Budam transmisit, pro quibus factis servitiis postulavit Ugrinus ut terram Pabar in comitatu de Wolko cum quatuor locis villarum Jelum, Tugia, Mihalj et Eneztuen dicto Mathaeo et fratribus donare dignaretur. Cuius petitioni rex annuit.

Wenzel: Cod. dipl. Arp. XII. 617.

MDCIV. *1298. 29. Augusti.* Magister Aegidius, filius Gregorii, legat monasterio B. M. V. de Nowak, fratribusque Cruciferis in eodem degentibus, pro perpetuis missae sacrificiis quavis septimana semel pro refrigerio animarum aviae et fratrum suorum celebrandis, terram suam Vratyna vocatam cum omnibus pertinentiis suis.

In transumpto bani Slavoniae de a. 1461. Ex actis Jesuitar. Zagr. Fasc. V. ex 2 in archivo regni Croatiae.

MDCV. *1298. 20. Septembris.* Capitulum ecclesiae Zagr. significat, quod Nicolaus et Agk, filii Arlandi et Dyonisius filius Johannis pro se et pro Gregorio, Georgio ac Athycha fratribus suis ab una parte, Mathaeus filius Detrici, Borch filius Borch pro se et Martino filio suo, Bartholomaeus filius Potela, Jacow filius Petrus pro se et pro aliis propinguis et cognatis suis absentibus nunc, videlicet Mathe filio Blase, Belos filio Alexandri, Trosel filio Trosel, Jacobo filio Nicolai et Iwan filio Chybriani ab altera, nobiles de genere Acha confessi sunt: quod cum inopportunae adversitates et hostilitates super occisione cognatorum, servientium, populorum ac servorum suorum nec non super occupatione possessionum et spoliationibus inter eos subortis, ventilatae diutius perdurassent, tandem ipse partes perpetuam concordiam fecerunt restitutis omnibus rebus et possessionibus, ut quicunque ex illis litem innovare aut in judicium vocare unum ex illis cognatis praesumeret, solvet centum marcas in judicium vocato. Si autem aliquis aliquem ex eis occiderit, tenetur cognatis occisi solvere 200 marcas, sine strepitu iudicii; si vero terras

et possessiones una pars alteri iniuste occuparet, habet ante ingressum litis salvere 40 vel 80 marcas.

Orig. perg. in mea collectione.

MDCVI. *1298. 13. Decembris.* Capitulum Quinqueecclesiense significat, quod nobilis juvenis magister Johannes filius comitis Ladislai filii Cleti una cum fratribus suis confessus est, quod ipse post obitum patris eorum villam Thyuzen in comitatu de Wolkov cessisset nobili dominae novercae suae et filiis suis ad alendum fratres suos pro tempore, donec fratres ad legitimam pervenerint aetatem.

Ex archivo camerali Budensi. Wenzel: Cod. dipl. Arpad XII. 683.

MDCVII. *1298.* Andreas III. rex attendens fidelitates et merita magistri Stephani filiis comitis Michaelis de genere Guthkeled quae idem a tempore coronationis suae in omnibus expeditionibus regni exhibuit, specialiter in bello contra Albertum ducem Austriae et Styrie tunc inimicum specialem, nunc regem Romanorum et patrem eius carissimum, dimicando laudabiliter subtus castrum Vyennae ubi letaliter extitit vulneratus. Item cum Rolandus Woywoda et fratres sui, filii Thomae, contra regem processissent, et rex eorum castrum Andrian fecisset expugnari, ubi etiam idem Stephanus laetalia vulnera recepit, pro quibus servitiis hanc ei specialem gratiam tribuit, quod quia idem magister assiduis quaerimoniis recitabat quod populi et jobagiones eius in universis eius possessionibus destructiones et damna quamplurima per judicia et feritates sententiarum comitum parochialium et curiales comites eorundem, maxime per comitem de Walkou et curialem comitem eius, sunt perpessi, eundem magistrum et populos suos tam in comitatu Walkov quam in aliis comitatibus a iurisdictione comitum et curialium comitum in perpetuum eximit. Datum per manus Antonii episcopi Chanadiensis aulae viceeancellarii.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. X. p. 295.

MDCVIII. **Chasmae.** *1298.* Michael episcopus Zagrabiensis declarat, quod condititiones libertatis hospitum liberae villae suae de Vgra ab eo eidem concessae catenus ordinavit: quod idem hospites suum maiorem villae ex communi voluntate eligendi omni anno liberam habeant facultatem, qui maior villae causas pecuniales inter ipsos emergentes una cum senioribus villae pleno iure judicandi habet potestatem et iudicia exigent consueta, scilicet duodecim denarios pro judicio; maiores vero causas, veluti homicidia, latrocinia, furta et incendia, vulnerumque illationes ac percussiones hominum in die fori accidentes, comes episcopalis de Vgra sive castellanus una cum maiori villae teneatur iudicare. In quibus causis duae partes iudiciorum cedant comiti, tertiam vero percipiat maior villae, sed nullae causae inter ipsos ad duellum iudicentur, sed per testes terminentur. Emigrationem cum omnibus rebus liberam declarat. Statuit etiam in ipsa libera villa liberum forum absque exactione alicuius tributi die dominico celebrandum, ad quod forum die sabbati quicunque voluerint conveniant libere usque meridiem die lunae, si voluerint permansuri. Cuius quidem institutionem in detrimentum fori fratrum suorum capit. Zagr. in Casna (Kašina) antiquitus praeordinati esse non vult. Exemptos declaravit etiam hospites pro uno anno ab omni censu, tributo aut collecta episc. vel suo castelano debita, completo vero anno annuatim in tribus festivitatibus videlicet festo s. regis

Stephani, Natalis domini et resurectionis pascualem pecudem, singulas galinas de singulis mansionibus et singulos duos panes, nec non tres marcas in den. Zagr. episc. offere teneantur. Castelano vero similiter unam ovem, viginti galinas et quinquaginta panes offerant annuatim. Liberos etiam declaravit hospites ab omni viagio, nec compelli debeant in equis vel pedites legationes seu litteras defferre.

Ex transumpto Augustini episcopi Zagrabiensis de a. 1307. Orig. perg. in mea collectione.

MDCIX. **Venetiis.** *Circa 1290.—1299.* Petrus Gradonicus dux Venetiarum iniungit Marino de Molino suo ambasciatori ad regem Tunisii, cum Marinus de Magnoco de Ragusio venisset in portum Tunisii cum sua tarida onerata vino graeco et aliis rebus, duae naves de Sicilia, vocatae Aquila et s. Salvador, coeperunt dictam taridam cum rebus, et non volentes restituere abduxerunt eam, ut rogat dictum regem satisfacere damnato iuxta pacta.

Ljubić: Mon. I. p. 191.

MDCX. *1299. 9. Januarii.* Capitulum Quinqueecclesiense refert Andreae III. regi, quod per captis litteris comitis Stephani judicis curiae, nomine ac vice magistri Stephani de genere Durusina, hominis regii, cum Johanne filio Bernalth de eodem genere Durusina et cognato suo, hominem capituli Nicolaum canonicum transmiserint, qui cum Johanne pristaldo accedens quarta Januarii in villam Rozbeyd, filii Zamuerti, Tholman vocatam, in comitatu de Wolkov, ibi reperiendo Dionisium filium Mortun, Tholmani fratrem, patruelem dicti Rozbeyd, cui Dionisio et populis in eadem villa jobagionibus eiusdem Rosbeyd commorantibus in una curia,.sub una parte, dixit verbo regio ut in quindecimo die a praedicto die computando dictus Rozbeyd illas litteras quibus mediantibus literae introductoriae videntur revocari, exhibeat in persona contra magistrum Joannem de Vosoud, ut cognoscatur veritas de litteris revocatoriis.

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. VII. vol. 3. p. 113.

MDCXI. **Quinqueecclesiis.** *1299. 13. Januarii.* Paulus episcopus Quinqueecclesiensis memoriae commendat, quod Johannes filius Imbor de Posega protestatus sit, quod magister Gyletus filius Gyleti, ipsum de possesionibus suis expulisset et citari fecisset eundem in facie possessionum earumdem, ad cuius citationis exequendam ob metum eiusdem magistri Gylety accedere formidaret, quia unum fratrem ipsius occidi et servientem suum vulnerari fecerit

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. cont. V. p. 214.

MDCXII. *1299. 22. Januarii.* Capitulum Chasmensis ecclesiae et Symon subprior et Stephanus lector, ac conventus Praedicatorum domus loci eiusdem (de Chasma) significant: quod Georgius filius Gregorii filii Grobesa pro se et pro fratre suo Mathaeo, assistente Michaele episcopo Zagrabiensi in medio illorum, confessus sit, quod cum ipsi contra Petrum filium Prelsa super diversis iniuriis, quibus eundem Petrum, populos suos fugando, captivando, ipsorumque bona violabiliter auferendo, graviter fuerunt persecuti, non veriti fidem domini sui episcopi violare, per publicam sententiam comprovincialium suorum praedialium videlicet, rei et convicti redditi extitissent, et per hoc possessionibus suis in episcopatu fuissent per dictum episcopum privati, maxime

quia postmodum Henrico bano tunc contra regiam Maiestatem procedenti adhaerentes, super liberam villam Chasmensem et domos fratrum ipsius episcopi, capituli loci eiusdem, sub vexillo eiusdem Henrici bani irruerunt, damna plurima inferendo. Tandem volentes ipsum episcopum placare, et eidem tam de notoriis et manifestis excessibus pro posse satisfacere, ut redire et recipi in pristinam ipsius ecclesiae gratiam valerent, totum ius ipsos Georgium et Mathaeum in possessionibus Mergereuche vocatis contingens, iuxta tenorem aurei privilegii Belae regis, domino episcopo et ecclesiae in recompensationem damnorum libera voluntate sua tradiderint.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 240.

MDCXIII. **Neapoli.** *12. Febr. 1299.* Carolus II. Siciliae rex mandat Johanni de s. Cruce Prothontino Monopuli, quod pro conducenda et associanda illustri regina Ungariae sorore regis (Elisabeta Karoli II.) cum duabus galeis statim ad partes Slavoniae se conferat.

Wenzel: Acta extera I. p. 133.

MDCXIV. *1299. 29. Martio.* Capitulum Chasmensis eclesiae significat, quod magistro lectore Zagr. ecclesiae, nomine episcopi Zagr. Michaelis, ab una parte, Daniele et Stephano filiis Petri, fratris condam Hudina, pro se et Ivan fratre eorum, Bors filio Petri filii Gurke pro se et pro Georgio ac pro Paulo filio Pauli proximis suis, item Bata et Toma filiis Batachyn, pro se et Ivan fratre suo, ac pro filiis eiusdem Bata videlicet Batachyn et Martino, Priezda filio Bogdan pro se et filiis suis, Bogdan et Paulo, proximis et consangvineis Hudyna supradicti ab altera constitutis; idem Daniel cum caeteris de parte sua confessi sunt, quod cum ipsi in pauperitatem nimiam propter crebros depredatorum regni insultus et vastus incidissent, et famis inedia laborantes per praefatum episcopum victum seu alimonia ipsis inpendentem sustentati et de famis periculo erepti extitissent, in recognitionem huius gratiae totum ius et proprietatem, quod et quam in possessionibus Megeriywche, iuxta continentiam aurei privilegii Belae regis habere dinoscuntur, dederunt ad manus praedicti episcopi in perpetuum possidendum.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 241.

MDCXV. *In castro* **Scardonae.** *1299. 7. Aprilis.* Paulus banus Cornaciae, Dalmaciae et dominus Bosnae notificat, quod una cum consorte sua Vrsa Banissa elegerit habere Johannem Babtistam pro suo haeredumque suorum patrono et domino, eique tota devotione astringi. Ad laudem dei et honorem beati Johannis et christiani populi utilitatem voluit etiam hedificare a fundamentis ecclesiam in honorem s. Johannis Babt. penes monasterium s. Elizabeth ex adverso civitatis Scardonae, ubi soror sua domina Stanislaua collegio monialium ordinis s. Clarae praesidet. In qua ecclesia s. Joannis constituit fratres Minores ordinis s. Francisci ad regendam illam more aliorum monasteriorum. Pro necessitatibus vero eorum providit eis in mille quingentis libris denariorum parvorum Venetorum annuatim, quas libras procuratores fratrum de Comitatibus de Briberio de domo bani specialiter assignabunt de possessionibus per eum emptis. Et quidem: 1. Molendinum quod emit a Lubanac cive Scardonensi pro ducatis 150 flor. in auro, quod molendinum est in Slap in scopulo iuxta molendinum vocatum Barsac. Unam Valcariam cum

uno murali in quo sunt V. conductus aquae sive colonoge vulgariter vocatae. — Item terram quam emit duabus millibus librarum a communitate Scardonensi cum omnibus pertinentiis, cuius termini ascendunt ab aqua sive lacu marino per canale iuxta pratum bani, et ascendunt usque ad viam quae ducit versus villam Chuliscichi versus portam seu Vraça vulgariter dicta, deinde per viam quae currit per supercilium montis iuxta macerias anticas, et descendit ad Nedobithe ad flumen Carcha, inde per medium fluvii super Slap inter molendina super dictum lacum et versus fontem Scubal sine Gesero. Item terram quam emit consors sua Vrsa Banissa a quibusdam Scardon. pro praecio librarum 150 parvorum denariorum Venetorum, cuius termini sunt ab oriente mons incultus, ex parte scirocali est via quae vadit versus villam Çulischichi, ab occidente est pratum bani, ex boreali terra Vladislaui filii quondam Petri. Item terram quam emit a praedicto Vladislauo cive Scardonensi pro centum marcis, quae sita est inter terram bani et viam quae descendit de Dubrouiça versus Bitne, cuius latitudo est canarum sive scachiçarum sexaginta trium mensura Charuatorum. Per longum vero incipit a monte inculto et attingit ad viam publicam quae ascendit a civitate Scardonensi ad Billane. Item tradidit vineam Ceuerca, que metatur viae publicae, quae ascendit a villa Slamnich. Item aliam vineam quae metatur ex parte boreali terrae Slotargouach, ex sirocali vineae Cuerca, ex oriente terra Tobolouich. Item terram in valle Dabar. Item duodecim jugera terrae quam emit a Dragoslava quondam Dominici, cognomento Bersathe pro libris LX, quae terra posita est in Corlaniça? inter istos confines: ex oriente terra Tuardouch et Stephani Sichiriçe, ex occidente mons incultus, ex boreali et meridionali terra Lubasci quondam Bratobrus. Item totam terram et villam Slamnich excepta particula villae donata Dechli, quae eidem remanet libera, more seu libertate nobilium Charnatorum. Huius terrae confines incipiunt a puteo Visneuach, transeunt per viam currentem inter Duboviçam et Prispaç usque ad Gomilicas vulgariter vocatas, et vergit versus villam Plastovo et puteum Slamnich ad viam publicam vocatam Sac. Sea . . iça cesta, descendit ad fontem Coçur et per torrentem descendit ad montem Gradçina et dirigitur ad Petrani inter vallem Badan et Dabar et a Dabar inter montem Sridofçiça et speluncas. Et terram emptam a Dobrosao cognato Tvardouch et a fratre suo Gregorio cognato Obliça et a Granaç cognomine Bigamus pro libris M. ducentorum parvorum denariorum Venetorum et duas sessiones servorum suorum scilicet Nicolai et Petri filiorum Johannis qui fuit pastor ecorum (equorum) suorum.

Originale pergameneum in mea collectione.

MDCXVI. *1299. 28. Aprilis.* Frater Stephanus abbas conventus Zaladiensis notum facit, quod comes Achuz a parte una et magister Stephanus filius comitis Haholdi ab altera confessi sunt inter se fecisse concambium, quod idem comes Ochuz terras suas empticias in Oltarch scilicet duas villas, Volkuna, Byky, Sculkfolua, Harankylysy, Kalachulgvelg, villa s. Georgei, Iwanilisy, et duas villas Kutfeu ac portionem de terra Horvath in vicinitate terrae comitis Ine Horvath dictae, item terram Zamar et Molnari ad villam Scemene pertinentes dedit in perpetuum. E converso magister Stephanus possessiones suas Scentmartum, Condatur, Bogatha et Scelescyghche dedit in concambium co-

miti Ochuz. Meta incipit iuxta fluvium Kanysa, terminatur cum vineis de Gelse et terra Bogata.

Wenzel: Cod. dipl. Arpad. X. 361.

MDCXVII. *1299. 17. Maii.* Capitulum Zagr. ecclesiae notum facit, quod Georgio filio Pauli, filii Vida, ab una parte, et Paulo filio Bosin ab altera iobagionibus castri Zagr. personaliter constitutis, idem Georgius confessus sit se portionem terrae Coztaneuch per patrem eius a Paulo filio Oporis comparatae, vendidisse Paulo et suis haeredibus pro 35 marcis denariorum Zagrabiensium.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 242.

MDCXVIII. *1299. 14. Junii.* Hrivatinus comes, filii et fratres eius consangvinei et cognati Pauli bani Croatorum et Georgii et Mladini fratrum, comitum, habent confirmationem a Carolo II. rege et Maria regina de donatione facta eis in partibus Slavoniae a quondam Karolo primogenito rege Ungariae pro meritis in prosecutione causae suae in Ungaria.

Wenzel: Acta extera I. p. 133.

MDCXIX. Neapoli. *1299. 19. Junii.* Carolus II. Siciliae rex Henrico de Heruilla Portulano magistro Procuratori Apuliae mandat, ut statim balistam unam de turno, de balistis curiae regiae quae sub custodia eius sunt, Domaldo de Ungaria (Slavonia) latori praesentium nomine et pro parte nobilis viri Pauli bani assignare procuret. Si non habet emat de pecunia curiae.

Wenzel: Acta extera I. p. 134.

MDCXX. *1299. 13. Julii.* Capitulum ecclesiae Zagrab. significat, quod constitutus coram eo Wlck filius Rodik de Guerche confessus est se vendidisse Marcolpho et fratribus eius Paznano et Endreyk nobilibus de eadem Guerche possessionem suam haereditariam Mrzlopolje, iuxta consvetudinem nobilium de Guerche ex antiquo approbatam, pro decem et octo marcis denariorum banalium. Cujus terrae metae, sicut retulit magister Bonoras canonicus Zagr. incipiunt in aqua Coronicha, ubi rivulus Brezouech intrat in eam, inde supra rivulum et per montem venit ad locum ubi rivulus Topolouech intrat in Brezouech, inde per montem venit ad magnam viam et venit ad alteram per quam itur de villa Dobrenin ad Stanichnak, inde per magnum spatium et varias metas ad Coronicham ubi commetatur terrae Iheseve loque, inde sursum venit ad priorem. Astiterunt vicini et proximi emptorum et venditoris: Pezk filius Dragzini, Ivahen filius Craymerii, Gregorius filius Dobroteh, Stephanus et Johannes filii Icomerii, Vid filius Wlkan, Wlk filius Poligrad, Radislaus filius Tugoray, qui omnes venditionem ratificabant.

Ex actis archivi regni Croatiae per banum Khuen-Hedervány ablatis.

MDCXXI. *1299. Mense Julio.* Conventus monasterii Varadiensis notum facit, quod nobiles juvenes Philippus filius magistri Philippi ab una parte et magister Ladislaus filius eiusdem magistri Philippi maioris, frater eius ab altera super possessione Grabsafolva, quae est possessio magistri Philippi in partibus ultradravanis in comitatu de Wolkov iuxta possesionem dicti Ladislai Zombothel vocatam, item super possessione Chala in comitatu de Tholna, tale concambium fecerunt inter se, quod dictam possessionem Grabsafolva, dictus

magister Philippus dedit magistro Ladislao, idem autem Ladislaus suam possessionem Chala prenotato Philippo. Meta praedictae terrae Grabsa incipit a quadam arbore illicis iuxta viam quae ducit de villa Nemel versus orientem ad silvam Budigosth. versus septemtrionem venit ad fluvium Vonya, inde per dictam silvam et fluvium ad viam per quam de domo Marys filii Gyopol venitur ad Zombothel et per varias metas ad lacum Narastov, deinde per varias metas eundo ad villam Eleveyarew et ad quodam stagnum Mergustov ubi teminatur.

Cod. dipl. com. Zichy. I. p. 93.

MDCXXII. **Budae.** *1299. 1. Augusti.* Andreas III. rex enumerando servitia et merita avunculi sui Albertini Mauroceni ducis, contulit ei ducatum totius Slavoniae, qui est prima dignitas regiae prolis, et insuper comitatum de Posega, qui ad ius pertinet regale seu reginale, in perpetuum, pleno iure.

Fejer: Cod. dipl. Hung. T. VII. vol. 5. p. 547.

MDCXXIII. **Neapoli.** *1299. 4. Augusti.* Karolus II. Siciliae rex et Maria consors eius, regina Ungariae, pensantes gravia et grata servitia quae per viros nobiles Paulum banum Croatorum et Georgium ac Blandinum fratres, civitatum Dalmatiae comites, dilectos consangvineos et affines suos, ab olim eis exhibita fuerant, illudque speciali remmeratione volventes, quod in manutenenda, gubernanda et defendenda causa eorum de regno Ungariae contra hostiles insidias et conatus, labores graves, solicitudines vigiles et taediosa gravamina pertulerint, omnes eorum civitates, castra, villas, terras et possessiones in regno Ungariae et Slavoniae et partibus Croatiae et Dalmatiae constitutas, quae sive habuerunt, vel de novo acquirerunt, de novo donant et confirmant.

Wenzel: Acta extera I. p. 135.

MDCXXIV. **Neapoli.** *1299. 7. Septembris.* Karolus II. Siciliae rex et Maria regina Ungariae, audito quod viri nobiles Stephanus, Johannes, Radislaus et Och comites, filii Babonic, tamquam in fide eorum ferventes, hostes nostris facti sunt hostibus et persecutores inimicis, ob quem fervorem eos dignis laudibus commendant et eorum cuilibet omnem culpam, offensam, poenam realem et personalem ex promissis commissam remittunt et perpetuo relaxant, eorumque possessiones et dignitates, Banatus eis rationabiliter competentes, confirmant.

Wenzel: Acta extera I. p. 136. 137.

MDCXXV. **Neapoli,** *1299. 29. Septembris.* Carolus II. Siciliae rex mandat Joanni de Cruce militi, Prothontino Monopolis, cum serenissimus genitor eius reginam Ungariae (Elisabetham) sororem suam et amitam regis ad partes Apuliae providerit debere venire, quatenus statim procedat Brundusium et duas galeas de melioribus et fortioribus curiae aptat et muniat et armat, et cum eis accedat in Slavoniam ad civitatem Spalati et inibi reginam, Petrum de Suria et Petrum Pilectum, familiares suos, nec non familias eorum recipiat et cum illis Barolum vel Manfredoniam redeat.

Wenzel: Acta extera I. 138.

MDCXXVI. **Chasmae** *17. Novemb. 1299.* Michael episcopus Zagrabiensis notum facit, quod cum nobilis vir comes Ugrinus, filius Andreae, in operibus

summae fidelitatis ab antiquo Zagrabiensi ecclesiae et ipsius episcopi personae assistens indefesse studuit laborare, pro quibus servitiis possessionem Gulynchi in comitatu de Iwanigh, quam quondam comes Gardun hostis et tyrannus notorius Dei et ecclesiae Zagr. gravissimus persecutor per collationem Johannis episcopi praedecessoris ejus, et per consequens Jaco filius Jacus cognati eius dinoscuntur possedisse, pro nefandis excessibus eorum ablatam, donavit et contulit. Metae autem per Joannem notarium reambulatae incipiunt ab oriente in vena aquae Rosech de aqua Golgonycsa dirivantis. Versus meridiem venit ad magnam viam ducentem in Iwanigh, per quam viam venit in rivulum Lypnicha, ascendendo per quandam villam venit per magnam viam ad metas arboreas et per vallem ad aquam Lypnich et per metas arboreas ad aquam Golgonicha ad priorem metam.

Tkalčić: Mon. Hist. T. I. p. 243.

MDCXXVII. **Neapoli.** *1299. 19. Novembris.* Carolus II. rex Siciliae expedit salvum conductum pro Prudentio de Barulo et personis navigantibus in duabus barcis nobilis viri Georgii comitis Traguriensis et Sibinicensis ad eundum et redeundum de partibus Slavoniae pro servitiis dicti comitis deputatis, quibus praedictus Prudentius praeest.

Wenzel: Acta extera I. p. 139.

MDCXXVIII. **Neapoli.** *1299. 26. Novembris.* Karolus II. Siciliae rex, cum nobiles viri comites Stephanus, Johannes et Radislaus fratres, filii comitis Babonec ac nepotes quondam bani Radislai, ab eo petierunt ut eas terras quas filius eius rex Ungariae, sitas in ducatu Slavoniae praedicto, quondam Radislao bano, dictorum fratrum avunculo, concesserat, confirmaret; rex petitioni huic annuit.

Wenzel: Acta extera I. 139.